Hæ promiſſiones ſuauiſſimæ, & maxime neceſſariæ ſunt: quod ſcilicet illorum etiam vocatio diuina ſit, qui voce Eccleſiæ vocati ſunt: quod illorum miniſterio Deus adſit, & per illud efficax ſit. Ideo Paulus dicit, in Timotheo ineſſe gratiã & donum, per impoſitionem manuum. Nec tantum dicit, mearum manuum: ſed addit, etiam presbyterij. 1. Tim. 4. ne exiſtimetur diſcrimen eſſe, ſiue ab Apoſtolis, ſiue à presbyteris quis ordinetur. Vt autem mediata illa vocatio, hiſce priuilegiis gaudere poſſit, oportet eam eſſe legitimam, hoc eſt, vt fiat eo modo, & ab illis, ſicut ſcriptura tradit. Et de modo quidem, hoc eſt, quales debeant eſſe, qui ad miniſterium vocandi ſunt, præſcripta eſt certa regula, Actor. 6. Tit. 1. 1. Tim. 3. Hoc verò loco, quæritur, quorum voce & ſuffragiis electio & vocatio illa fieri debeat, vt ſtatui poſſit eſſe diuinam, hoc eſt, Deum ipſum per illa media eligere, vocare, & mittere operarios in meſſem ſuam. Et ſunt huius rei exempla in ſcriptura, certa & manifeſta. Act. 1. cum in loco Iudæ ſubſtituendus eſſet alius, Petrus negocium illud proponit in medio, non Apoſtolorum tantum, ſed & reliquorum diſcipulorum, ita enim tunc vocabantur credentes, quorum numerus, qui ſimul cõgregati erant, quaſi 120. erat. Et ibi Petrus ex ſcriptura proponit, qualem & quomodo eligere debeant, & adiunguntur orationes. Sortes verò mittũtur, quia non debeat eſſe ſimpliciter mediata, ſed Apoſtolica vocatio, ideo poſtea in vocationibus non ſunt ſortibus vſi, Act. 6. cum eligendi & vocandi eſſent Diaconi, nolunt Apoſtoli ſoli ius vocationis ſibi arrogare, ſed conuocant Eccleſiam. Non autem prorſus ſe abdicant cura vocationis, & vulgi aut multitudinis cœcæ & confuſæ libidini eam permittunt, ſed ſunt quaſi gubernatores & moderatores electionis & vocationis: proponunt enim doctrinam & regulam, quales & quomodo eligere debeant. Et electi ſiſtuntur coram Apoſtolis, vt illorum iudicio electio probetur, an rite facta ſit, illi verò orantes, impoſitione manuum electionem approbant. Act. 14. Paulus & Barnabas in ſingulis Eccleſiis, quibus euangelizauerant, conſtituunt presbyteros. Non autem ſibi ſolis, ius & autoritatem electionis & vocationis ſumpſerunt, ſed Lucas vtitur vocabulo χειροτονήσαντες, quod 2. Cor. 8. de electione, quæ fit voce ſeu ſuffragiis Eccleſiæ vſurpatur, ſumptum enim eſt à Græca conſuetudine, qua ſuffragia porrectis manibus ferebantur, & ſignificat, ſuffragiis aliquem creare, deſignare, aut conſenſum oſtendere. Non igitur ſine conſenſu Eccleſiæ, Paulus & Barnabas inuitis obtruſerunt presbyteros. Et Actor. 15. cum eligendi eſſent, qui cum mandatis ad Antiochenam Eccleſiam mitterentur, inquit Lucas, viſum eſt Apoſtolis & presbyteris, cum vniuerſa Eccleſia eligere Barnabam & Silam. Illud verò in hiſtoria Apoſtolica vtile eſt obſeruare, quod aliquando ſimul & miniſtri & reliqua Eccleſia coniunctim proponebant & eligebant, quos iudicabant idoneos, vt Act. 1. Aliquando Eccleſia proponebat & eligebat, Apoſtolorum verò iudicio ſubiiciebatur electio approbanda, Act. 6. Sæpe verò Apoſtoli, qui de his rebus melius iudicare poterãt, Eccleſiis proponebant, quos iudicabãt ad miniſterium idoneos eſſe, & cum accederent ſuffragia & cõſenſus Eccleſiæ, rata erat vocatio. Ita Paulus ad Eccleſias mittit Timotheum, Titum, Syluanum, &c. Ita Actor. 14. proponuntur presbyteri, in quos Eccleſia per χειροτονίαν conſentit. Interdum etiam quidam operam ſuam Eccleſiæ offerebant. 1. Timoth. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Semper tamen in legitima vocatione, tempore Apoſtolorum, aderat & requirebatur conſenſus Eccleſiæ, iudicium & approbatio presbyterij. Ita Titus in Creta præfectus fuit gubernandæ & moderandæ electioni presbyterorum, vt rite illa fieret, vtque ordinatione approbaret & confirmaret electionem rite factam. Vtitur enim Paulus Tit. 1. de cõſtituendis presbyteris, eodem verbo quod extat Acto. 14. vbi ſimul mentio fit & χειροτονίας, & conſtitutionis presbyterorum. Et Tito præcipit, vt eos, qui in doctrina non ſunt ſani, nec docent quæ oportet, ſeuere arguat, hoc eſt, ſicut clarius inquit 1. Timot. 5. Ne cito manus alicui imponas, ne cõmunices peccatis alienis, approbando ſcilicet electionem aut vocationem, non rite factam.

*Exempla vocationis miniſtrorum in Apoſtolica hiſtoria.*

*Hiſtoria Apoſtolica de vocatione miniſtrorum.*

Hæc exempla Apoſtolicæ hiſtoriæ clare oſtendunt, electionem ſeu vocationem pertinere ad vniuerſam Eccleſiam, certo quodam modo, vt ſuæ in electione ſeu vocatione, ſint partes & presbyterij, & populi. Et hæc Apoſtolica forma electionis & vocationis, retenta & vſurpata eſt, etiam poſtea in Eccleſia. Diſtinct. 24. extat Canon III. Concilij Carthaginenſis: Nullus ordinetur clericus, niſi probatus vel examine Epiſcoporum, vel populari teſtimonio. Diſtinct. 62. Leo dicit, nulla ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeãtur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus ſunt expediti, nec à comprouincialibus Epiſcopis, cum metropolitani iudicio conſecrati. Diſtinct. 67. Reliqui ſacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo, ita vt ciues & alij ſacerdotes aſſenſum præbeant. Diſtinct. 24. ex Carthaginenſi Concilio IIII. Epiſcopus ſine conſilio clericorum ſuorum, clericos non ordinet, ita vt ciuium conniuentiam & teſtimonium quærat. Diſtinct. 23. ex eodem concilio. cap. Qui Epiſcopus. Cum in his omnibus examinatus, inuentus fuerit plene inſtructus, tunc cum omni conſenſu clericorum & laicorum, & conuentu totius prouinciæ Epiſcoporum, maximeque metropolitani, vel authoritate, vel præſentia ordinetur Epiſcopus.

VIII. Quæſtio. 1. citatur ex Hieronymo, ſed eſt Origenis, cap. licet. Requiritur ergo in ordinando ſacerdote, etiam populi præſentia, vt ſciant omnes & certi ſint, quod qui præſtantior eſt in omni populo, ille eligitur ad ſacerdotium, & hoc atteſtante populo, ne qua poſtea retractatio cuiquam, ne quis ſcrupulus reſideret. Diſtinct. 65. cap. Plebs: Presbyteros, Diaconos, & vniuerſam turbam, vos Epiſcopos oportet ſæpius conuocare, quatenus non prout cuilibet libuerit, ſed concordantibus animis, vobis admonentibus, talem quærant perſonam, quam nulla contrarietas à conſtitutis poſſit reuocare reſcriptis. Item Epiſcopos per Emilion non conſecres, niſi poſt electionem vel conſenſum cleri & populi. Cap. Metropolitano: Omnium clericorum atque ciuium voluntate diſcuſſa, optimus ordinetur. Cap. Si in Plebibus: Archidiaconus cum clericis & populis ipſius plebis electionem faciat. Cap. Sacrorum Canonum: Carolus & Ludouicus Imperatores ſtatuunt, vt Epiſcopi per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta Canonum eligantur. Hieronymus ad Ruſticum Monachum: Ita viue in Monaſterio, vt clericus eſſe merearis. Cum ad perfectam ætatem perueneris, & te vel populus, vel Pontifex ciuitatis, in clerum elegerit, age quæ clerici ſunt.

*De populi præſentia ordinandi ſacerdote.*

*Hieronymus.*

Ambro-



*Ambroſius.*

Ambroſius lib. 10. Epiſt. 82. Merito vir tantus euaſit, quem omnis elegit Eccleſia, & merito creditum, quod diuino eſſet electus iudicio, quẽ omnes populi poſtulauiſſent.

Poſtea cum Imperatores & Reges, Chriſtianam religionem amplexi eſſent, illorum etiam volũtas, iudicium & authoritas, ad electionem & vocationem adhiberi & requiri cœpit, quia debent eſſe nutricij Eccleſiæ, & exẽplo Ioſaphat, Ezechiæ & Ioſiæ, inſpectio ipſis mandata eſt, vt miniſteria Eccleſiæ recte conſtituantur & adminiſtrentur. Hac de re extant multi Canones diſtinct. 63. Apud Sozomenum lib. 7. cap. 7. Imperator in Synodo dat primum Nazianzeno & ſuffragantur ei omnes Epiſcopi. Et pulcherrimum modeſtiæ exemplum in cap. Valentinianus, deſcribitur: vbi Synodus petit, vt Imperator ſapiens & pius exiſtens, eligat ſeu proponat aliquem. Imperator verò reſpondet: Super vos eſt talis electio. Vos enim gratia diuina potiti & illi ſplendore fulgentes, melius poteritis eligere. Et electioni poſtea præbuit aſſenſum.

Quod verò quædam exempla veteris Eccleſiæ, videntur ab hac forma aliquantulum diſcedere, inde factum fuit. Pulcherrima enim hæc ſymphonia Epiſcoporum, clericorum, Chriſtiani magiſtratus, & populi in electione & vocatione miniſtrorum Eccleſiæ, ſæpiſſime turbata fuit. Clerici vel hæretici, vel ſchiſmatici, vel aliis affectibus deprauati, iure electionis ſæpe abutebantur, vel illud ſibi ſolis arrogabant. Ibi & magiſtratus & populus Chriſtianus coacti fuerũt ſe interponere. Ita cum poſt mortem Æluri, clerus ſua authoritate Epiſcopum elegiſſet Petrum Monchum, Imperator Zenon adeo offenſus eſt, vt quoſdam etiam ſupplicio afficeret. Euagrius lib. 3. cap. 11. Cum Antiochiæ in abſentia populi, Porphyrius à paucis Epiſcopis ordinatus fuiſſet Epiſcopus, ſecutus fuit atrox tumultus. Nice. lib. 13. cap. 30. Aulici etiam illo quaſi iure ſuo ſæpius abutebantur. Et ibi clerici ſe oppoſuerunt, cuius generis aliquot ſtatuta extant, diſtinctio. 63. Omnium verò modeſtiſſima eſt Caroli & Ludouici conſtitutio, quæ ſic habet. Sacrorum Canonum non ignari, vt Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbemus, vt Epiſcopi per electionem cleri & populi, ſecundum ſtatuta Canonum eligantur.

*Caroli & Ludouici conſtitutio de electione.*

Populus etiam ſæpiſſime iure ſuo ad tumultus, ſeditiones & varias confuſiones abuſus fuit. Ibi Epiſcopi & Chriſtianus magiſtratus ſe oppoſuerunt, vt in electione Ambroſij. Et inde Canon Laodicenus dicit: Non eſt permittendum turbis, electionem eorum facere, qui ſunt ad ſacerdotium promouendi. Apud Sozomenum lib. 7. c. 8. cum contraria eſſent Epiſcoporum & plebis ſuffragia, Imperator Nectarium elegit, & poſtea electio illa, à Synodo eſt rata habita. Non autem ideo vel populus, vel magiſtratus Chriſtianus, ſimpliciter ab electione & vocatione excluſi fuerunt, ſed addita fuit hæc moderatio, diſtin. 62. Docendus eſt populus, non ſequendus. Nos quoq; ſi neſciant quid liceat, quidve non liceat, commonere eos, non his cõſenſum præbere debemus. Decretum Leonis inquit: Vota ciuium, teſtimonia populorum, arbitriũ honoratorum, electio clericorum, in ordinationibus ſacerdotum cõſtituantur. Item, Per pacem & quietem, ſacerdotes, qui futuri ſunt, poſtulentur, teneatur ſubſcriptio clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis. Item, Cleri plebiſq; conſenſus, & deſiderium requiratur. Et cap. Noſſe: Conuocato clero & populo, talis ibi eligatur, cui ſacri non obuenient Canones. Sacerdotum quippe eſt electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt, quia docendus eſt populus, non ſequendus. In hiſtoria Tripart. plebs potuit eligere, & ſua petitione aliquem offerre. Cyprianus vt Epiſcopus, lib. 3. Epiſt. & lib. 4. Saturum, Optatum & Celerinum proponit Eccleſiæ. Valerius Auguſtinum optans ſibi coadiutorem & ſucceſſorem, proponit illud populo. Et Auguſtinus ipſe Epiſt. 110. Eradium ſe cupere ſucceſſorem, proponit populo, oratione ſuauiſſima. Quia ſcio, inquit, poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic proſpicere ciuitati. Et Auguſtini illa electio, à populo confirmatur, & illud inſinuatur Theodoſio & Valentiniano Auguſtis. Narrat etiam ibi Auguſtinus, exemplum de Seuero Mileuitano, qui putarat ſufficere, vt ſucceſſorem ſuum apud Clericos deſignaret, & apud populum exinde non locutus erat. Inde verò orta fuit poſtea perturbatio. Et Auguſtinus de hoc facto inquit: Minus tamen aliquid factum erat. Cyprianus formam electionis, quæ ſuo tempore fuit, ita deſcribit libro 1. Epiſt. 4. Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere, cum ipſe maxime habeat poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de diuina autoritate deſcendere, vt ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur. Et paulò poſt: Coram omni ſynagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtendit, non niſi ſub populi aſſiſtentis cõſcientia, fieri oportere, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ omniũ ſuffragio & iudicio fuerit examinata, quod poſtea ſecũdum diuina magiſteria obſeruatur in actis. Ibidem: Ordinari nonnunquam videmus indignos, non ſecundum Dei voluntatẽ, ſed humanam præſumptionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitima & iuſta ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per Oſeam Prophetam, dicens: Sibimet ipſi Regem conſtituerunt, & non per me. Propter quod diligenter de traditione diuina & Apoſtolica obſeruatione, ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrãdas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ, proximi quinq; conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime nouit, & vniuſcuiuſq; actum de eius conuerſatione perſpexit, &c. Idem lib. 1. Epiſt. 3. dicit, populi ſuffragium, & coepiſcoporum conſenſum, eſſe diuinum iudicium.

*Auguſtinus. Cyprianus de forma electionis ſui temporis.*

Quia verò non commode poterat vniuerſa populi turba ſemper conuocari, & ſingulorum ſuffragia exquiri, obſeruatus fuit mos ille apud Chriſtianos, annotante Lampridio in vita Alexandri, quod eorum nomina, qui eligendi & vocandi propoſiti erant, ante ordinationem publice proponebãtur, & monebatur populus, vt ſi quis quid haberet contra ordinãdum, id proferret & proponeret. Et breuiter, iuxta Gregorij ſententiam, ſemper grauis

abuſus

9

Theol. 106a

# QVARTA ET POSTRE-
# MA PARS
# EXAMINIS DE-
# CRETORVM CONCILII
# TRIDENTINI, COMPLE-
## CTENS EXPLICATIONEM
## LOCORVM:

De Reliquiis Sanctorum. | De ieiuniis.
De Imaginibus. | De ciborum delectu.
De indulgentiis. | De Feſtis.

*ADDITA EST HISTORICA OBSER-
uatio controuerſiarum, de ſingulis locis, inde vſq; ab
Apoſtolorum temporibus:*

AVTHORE
MARTINO CHEMNICIO, D.




FRANCOFVRTI,
Excuſum per Iohannem Feyrabendt. Anno 1596.

4107. 63-2°
4

# REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO HENRICO IVLIO, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS IVLII, DVCIS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS, FILIO, ET HALBERSTAtenſis Eccleſiæ deſignato Epiſcopo, &c. Domino ſuo clementiſſimo:

Gratiam, ſalutem ac pacem, à Deo Patre, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vnicum Magiſtrum, authorem & conſummatorem fidei noſtræ.

SICVT *in funeſto Germaniæ bello Romanus Pontifex, pro eius cuius perſonam ſuſtinet Antichriſti, imperio, poſtulare auſus fuit, vt omnes Principes & ordines imperij, futuris Tridentini Concilii Decretis ſine vlla conditione & exceptione, ſe ſubmitterent: ita nunc moleſtiſsime fert, ſi quis conſcientiæ cauſa ex fundamentis Scripturæ ſacræ, quæ tamen ideo Canonica vocatur, in decreta Tridentini Concilii inquirere auſit. Ideo enim Reges & Principes ſibi addictos variis artificiis inflammat, vt ſine veritatis inquiſitione, etiam contra pacta & datam fidem, ferro, flamma & ſanguine, executio Tridentini Concilii obſignetur, quaſi fides perfidia poſſet ſtabiliri. Huius Pontificiæ Tyrannidis cum in piis de religione ſermonibus aliquoties mentio incideret, memini Celſit. veſtræ parentem, Illuſtriſsimum Principem & Dominum, Dominum Iulium, Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem, Dominum meum clementiſsimum, prolixe laudare id, quod Tertullianus in Apologetico, de legibus contra Chriſtianos tunc latis, recte & eleganter dixit: Lex quæ probari ſe non vult, merito ſuſpecta eſt, & ſi non diſcuſſa ac probata dominetur, improba eſt, cum nulla lex ſibi ſoli iuſtitiæ ſuæ conſcientiam debeat, ſed eis, à quibus obſequium expectat.*

*In quo ſermone memini Celſit. ipſius longius progreſſam, grauiter diſſerere, quantum referat, in doctrina religionis fontes veræ ſententiæ & refutationum, quæ corruptelis & ſuperſtitionibus recte & ſolide opponi poſſunt, ex ipſis fundamentis noſſe & tenere, præſertim quando ob confeſsionem veræ doctrinæ odia & pericula, ſicut Celſit. ipſius accidit, ſuſtinenda ſunt. Cumq́; adeſſent, qui ſignificabant, propter illam cauſam priores meas contra Tridentina decreta lucubratiunculas, multis doctis & piis non improbari, Pontificios vero non leuiter vrere: Celſit. ipſius cohortationibus clementibus inſtitit, vt reliquas etiam partes pertexerem, ac laborem illum, quem multi non inutilem iudicarent, Eccleſiæ & poſteritati præſtarem: Ac clementer oſtendit, Celſit. ſuæ non ingratum fore, ſi poſtremam hanc partem veſtræ Celſit. vt filiolo ſuo*

*longe chariſſimo, publica inſcriptione dedicarem. Cuius ſui conſilij pias & graues afferebat rationes. Cupere enim ſe Deo propitio, liberis chariſſimis hæreditatem relinquere, non tantum prouinciam egregie & feliciter excultam, ſed inter theſauros, vnum hoc tanquam principale κειμήλιον velle ſuis commendatiſſimum eſſe, formam ſcilicet veræ & puræ religionis, ex fontibus Propheticæ & Apoſtolicæ ſacræ Canonicæ ſcripturæ extructam, & Eccleſiarum atq; Scholarum, in quibus recte & pie conſtituendis quotidie diligenter elaboretur, curam atq; nutricationem. Vtq; meminiſſent, præcipua capita doctrinæ cœleſtis non obiter & in ſuperficie (quod dicitur) ſed ex ipſis fundamentis ſibi cognoſcenda, vt eius confeſſionem paterno exemplo, etiamſi propterea odia & pericula ſuſtinenda eſſent, Deo clementer ipſos gubernante & iuuante, retinere poſſent, ideo velle ſe à primis annis tradi, commendari & proponi ſuis talia ſcripta, in quibus ex ſacræ ſcripturæ fundamentis, & ex veræ antiquitatis conſentientibus teſtimoniis, doctrina explicetur, & errorum atq; ſuperſtitionum ſolidæ refutationes monſtrentur.*

*Cumq; Celſit. ſua cognouiſſet, Lindanum Ruremundenſem Epiſcopum, in Apologetico, contra Illuſtriſſimos Germaniæ Principes, & reliquos Imperij ordines, Auguſtanæ confeſſionis doctrinam profitentes, edito, etiam ſuæ Celſit. Eccleſiaſticam ordinationem ſatis contumelioſe ſugillare, quaſi in ea à paterna, adeoq; Catholica Chriſti religione, diſceſſum eſſet: clementer ſignificauit, cupere ſe, & ad liberos ſuos chariſſimos, & ad omnem poſteritatem, extare teſtimonium non temere aut leuiter, ſed habitis grauiſſimis deliberationibus, ex ſolidis ſcripturæ & veræ antiquitatis fundamentis (ſicut de quibuſdam locis in hoc ſcripto ſpecimen exhibetur) Eccleſiaſticam illam ordinationem conſcriptam eſſe, in qua ipſe etiam aduerſarius multa laudare cogitur. Et meminit Celſit. ſua, Illuſtriſſimum ſuum parentem, felicis recordationis, toto illo tempore, quo per aliquot menſes decubuit, mente ad extremum vſque integra, noluiſſe Pontificios ſacrificulos, ad exhibendam ſibi ſuperſtitioſam Pontificiorum vnctionem, & mutilatam cœnam Domini admittere, non mandaſſe aliquid de vigiliis & miſsis pro defunctis, cum commentitij purgatorij ne mentionem quidem ferre tunc voluerit, non confugiſſe ad patrocinium Sanctorum, nec opera vel ſua, vel aliorum iudicio Dei oppoſuiſſe, ſed curaſſe ſibi prælegi dicta ſcripturæ, & ſumptas inde pias precatiunculas de miſericordia Dei, & gratuita reconciliatione, remiſſione peccatorum, & ſaluatione, propter meritum & ſatisfactionem ſolius obedientiæ & paſſionis Chriſti, vnici noſtri Mediatoris & Seruatoris, & in ea fide atq; inuocatione obdormiuiſſe. Id quod complures grauiſſimi teſtes, nobilitate generis & virtute præſtantes, conteſtentur, quibus etiam aliquoties diſerte ſignificarit, cum multas ſuperſtitiones, & varios abuſus, in Papiſtica Eccleſia animaduertat, ſe filio vnico hæredi poteſtatem facere, vt Eccleſiarum ſuæ ditionis reformationem, prout ex verbo Dei, Chriſto iudici eius ſe rationem reddere poſſe iudicaret, inſtitueret. Sed de ordinatione illa Eccleſiaſtica, ſi Lindano eam copioſius, ſicut minitatur, ſugillare libuerit,*

*buerit, non deerit Illuſtriſsimo Duci Iulio, &c. & Theologis ipſius, vera, pia & honeſta oratio.*

*Poſtremo, quod ad hanc dedicationem attinet, addidit Celſitudo ſua & hanc cauſam, quod exiſtimet, potiſsimam partem educationis boni Principis in eo conſiſtere, vt in principiis doctrinæ cœleſtis fideliter inſtituatur, vtque libri complectentes ſummam & fundamenta eius doctrinæ, à primis annis Principum liberis tradantur & commendentur. Sicut 4. Reg. 11. Ochaziæ filio, octo annorum puero, vna cum regni diademate etiam volumen Legis diuinæ in manus traditur: Licet enim per ætatem de grauiſsimis religionis negotiis iudicare nondum poſſet, exiſtimauit tamen ſapientiſsimus Pontifex Ioiada, vtile & ſalutare eſſe, vt voces Legis diuinæ Regij pueri aures à prima ætate circumſonarent, atque traditione illa libri Legis admoneretur, in quam ſpem, ad cuſtodiendam ſcilicet & propagandam veram religionem, iuxta Legis diuinæ normam, educaretur. Nam & propter illam ipſam cauſam Reges & Principes olim liberos ſuos in collegiis Eccleſiaſticis, cum adhuc in vero eſſent vſu, educari voluerunt, ſicut Otto Magnus, & Heinricus Secundus, in Collegio Hildeſienſi ita educati & inſtituti fuerunt, & in Collegio Leodienſi ſcribuntur aliquando ſex Regum & Principum liberi ſimul ita educati & inſtituti fuiſſe.*

*Hanc igitur poſtremam partem Examinis Decretorum Concilij Tridentini, veſtræ, Illuſtriſsime Princeps ac Domine clementiſsime, Celſit. de grauiſsimo parentis Illuſtriſsimi conſilio, propter cauſas iam expoſitas, pro fauſto omine piæ & ſalutaris educationis, debita reuerentia offero, nuncupo & dedico, ac demiſſe oro, vt Celſit. veſtra in ſuſcipiendo ſacro hoc munuſculo eam oſtendat clementiam, qua ſimul & ſubditorum votis atque omini, & Illuſtriſsimæ familiæ Brunſuicenſis & Brandeburgenſis expectationi reſpondeat, & primis aſſueſcat ab annis vtilia ſcripta amare, & Eccleſiæ Doctores, in mundo deſpectos & exoſos, ſua clementia complecti, fouere & tueri. Quod ſi conſimili indicatione pietatis & clementiæ veſtra Celſit. dedicationem hanc acceperit, ſicut ante annos octo, maximæ tunc ſpei puer, Illuſtriſsimus nunc Pruſsiæ Dux D. Albertus Fridericus, &c. primæ partis nuncupationem ſibi gratam eſſe oſtendit, erit de quo & Deo gratias agam, & Brunſuicenſi prouinciæ gratuler.*

*Legat autem aliquando Celſit. veſtra, cum controuerſias illas religionis intelligere cœperit, & interea legent in quarta hac parte alij, non abſque voluptate, vt arbitror, integras hiſtorias, de reliquiis & imaginibus Sanctorum, de indulgentiis, de delectu ciborum, de ieiuniis, & feſtis, quæ ſcilicet fuerint de his controuerſiis ſententiæ, & obſeruationes in Apoſtolica & primitiua Eccleſia, quomodo progreſſu temporis quædam fieri cœperint inclinationes ad ſeminaria ſuperſtitionum, quibus alij vigilantes Epiſcopi ſe oppoſuerunt, donec tandem Deo mundi ingratitudinem & verbi ſui contemptum vlciſcente, craſſæ & horrendæ inde factæ fuerint, in Pontificia Eccleſia,*

 non

*non tam ſuperſtitiones quam idolomaniæ. Et quomodo abiectis prauis abuſibus & impiis ſuperſtitionibus, controuerſiæ illæ ad fontes ſcripturæ Canonicæ ſint reuocandæ, ne propter abuſus & ſuperſtitiones res ipſæ, quæ, ſi iuxta ſcripturæ normam reformentur, ad Eccleſiæ ædificationem retineri poſſunt, temere & cum ſcandalo infirmorum abiiciantur. Infeliciter enim ſanantur vulnera, vbi medicina adhibetur nocentior morbo, ſicut in multis reformationibus ſæpe accidit.*

*Et quia Pontificij videntes ſe ſcripturæ præſidiis deſtitui, antiquitatis ſpeciem corruptelis & ſuperſtitionibus ſuis prætexere conantur, vtile eſt & hunc prætextum, detectis ſophiſmatum inſidiis, ipſis adimere: Veneranda enim eſt antiquitatis canities, qua viri graues non immerito mouentur. Voluimus igitur in hiſce partibus oſtendere, Pontificios fide non bona antiquitatis teſtimonia tractare. Primo enim pro traditionibus Apoſtolicis ea venditant, quæ extant in illis ſcriptis, quæ vetus Eccleſia expreſſe inter Apocrypha reiecit. Secundo, plurima conquirunt ſuffragia ex illis ſcriptis, quæ falſo patribus quibuſdam tribuuntur. Tertio, veteribus quædam affingunt, quæ ipſi nunquam vel ſenſerunt, vel ſcripſerunt, ſicut Andradius ſcribit, Valentinianos à Tertulliano in Scorpiaco ideo damnatos, quod dictitarint, ſanctis, qui ex hac vita diſceſſerunt, non eſſe tribuendum cultum & inuocationem. Extat autem liber ille Tertulliani, & nulla in eo ſyllaba de cultu & inuocatione Sanctorum reperitur, ſed hoc refutat Tertullianus, quod noſtici Martyriorum (ſicut inquit) refragatores docuerunt ſimplicitatem, imo vanitatem atque adeo dementiam eſſe, ob confeſſionem Euangelij mortem perpeti, Deum enim non velle mortem peccatoris, qui ideo ſemel occiſus ſit, ne nos occideremur, cumque taurorum & hircorum ſanguinem recuſet, quomodo hominum ſanguinem flagitaret? contra illud figmentum Tertullianus ex Scriptura oſtendit, perpetranda martyria, maxime ideo, ne colendo & orando Deos alienos, nomen & honorem vnici Dei creaturis addicamus. Et in illo ipſo libro ponit hanc ſententiam, quæ fundamenta inuocationis Sanctorum prorſus euertit. Quas mihi, inquit, poteſtates ianitrices in cœlo affirmas iuxta Romanam ſuperſtitionem, ſcito aſcenſum illum complanatum veſtigiis Domini, & introitum reſeratum viribus Chriſti, nec vllam moram in limine Chriſtianis occurſuram. Quod ſi adhuc clauſum putas cœlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe, &c. Et tamen non verentur fingere, Tertulliani tempore, circa annum ſcilicet CC. eos hæreticos iudicatos, qui Sanctorum inuocationi contradixerunt. Ita Chryſoſtomo tribuunt hanc ſententiam, Imperatores Chriſtianos ſupplicaſſe Sanctis, & ſcenarum fabrum, atque piſcatorem etiam mortuos, vt protectores, inuocaſſe, cum ipſa Chryſoſtomi editio fateatur, in vetuſtis exemplaribus illa non fuiſſe, cumque in aliorum poſteriorum ſcriptis ea inueniantur. Quarto, verſionibus prauis Græcorum abutuntur ad ſuperſtitiones ſuas ſtabiliendas. Ita ex verſione non vera Perionius conatur inuoca-*

uocationem ſanctorum ex Iuſtino probare. Alij adorationem reliquiarum ex Euſebio, prohibitionem eſus carnium ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ſacrificium Miſſæ ex Ignatio, ſatisfactionem pro peccatis per ieiunium, ex Baſilij τοῦ ἀπολογῆσθαι, ſicut ſuis locis oſtendimus. Quinto, ex priuatis veterum quorundam diſputationibus, & deuotionibus, quibus tamen ſæpius alij contradixerunt, faciunt dogmata Catholica. Ita memorabile eſt, quod in vita Antonij ſcribitur: Chriſtianos in Ægypto ſolitos ſanctorum virorum defuncta corpora aromatibus condire, vt ſæpius ſpectari poſſent. Antonium vero ipſis ſuaſorem & autorem fuiſſe, vt exuuias illas in terram defoderent, vt ibi iuxta ſententiam diuinam (Puluis es, & in puluerem conuerteris) computreſcerent. Imo ex Origenis opinionibus purgatoriis, quas vetus Eccleſia damnauit, non verentur ſuum purgatorium Pontificij tanquam Catholicum dogma probare. Sexto, in diſsimilibus Patrum ſententiis non adhibent normam ſcripturæ Canonicæ, quæ ſcilicet ſententiæ verbo Dei magis conueniant, ſed illas excerpunt, quas iudicant ſuis ſuperſtitionibus pingendis quoquo modo ſeruire poſſe. Poſtremo, cum ingens ſit diſsimilitudo inter formam Eccleſiæ, quæ fuit Patrum tempore, & quæ nunc eſt apud Pontificios, ipſi veterum teſtimonia ita allegant, quaſi omnia illa, quæ in Pontificia Eccleſia fiunt, Patribus etiam ita in vſu fuiſſent. Hæc & ſimilia his mediocri diligentia in poſtremis hiſce partibus de ſingulis locis oſtendere conatus ſum.

Et quia Durandus non diſsimulat, pleraq; talia vel ex Iudaicis obſeruationibus, vel ex Ethnicis ritibus, in Eccleſiam irrepſiſſe, vtile eſt propter poſteritatem, etiam tales Antitheſes notare. Quod enim gentes pro luſtratione ciuitatum & agrorum, circumferendis ſtatuis & promiſcuo cantu puerorum & puellarum, Cererem placabant, fulmina popyſmis arcebant, & flumine viuo ſe à delictis purificari putabant: Inde Pontificii ſuas ſumpſerunt proceſsiones, aquam luſtralem, quodq; fulminibus ſtrepitus nolarum, & ſuffitus herbarum conſecratarum opponunt. Forma certe in cultu Sanctorum apud Pontificios per omnia ſimilis eſt, ſicut apud gentes ſingulis Idolis peculiaria dedicata erant templa, ſtatuæ deorum in templis, & anathemata in templis ſuſpenſa. Et ſicut apud gentes Herculi decimas vouebant, vt diuitiis abundarent: Æſculapio gallum mactabant, vt à morbo conualeſcerent: Neptuno taurum immolabant, vt feliciter nauigarent. Et, ſicut Varro dixit, diſcendum, qua de cauſa quiſq; deorum aduocandus ſit, ne à Libero aqua, à lympha vinum optetur: Ita Pontificii certas procurationes inter Sanctos diſtribuerunt, vt Chriſtophorum certis ritibus colendum & inuocandum, vt præſeruet à repentina morte: Sebaſtianum & Rochum vt à peſte, Antonium vt ab igne ſacro: Hubertum vt à morſu canis rabidi: Sigemundum vt à quartana: Benedictum vt à calculo: Leonhardum vt à vinculis: Iobum vt à ſcabie: Valentinum vt ab epilepſia: Apoloniam vt à doloribus dentium: Seruatium vt ab omnibus morbis: Laurentium & Florianum, vt domum ab igne ſeruaret: VVendelinus gregem à lupis defendebat: Scholaſtica tonitrua & tempeſtates

arce-

*arcebat: Ludouicus minorita cereuiſiæ curam agebat: Vrbanus & Medardus vini: Margarita parturientibus ipſa virgo præerat: Georgium tutelarem habebant equites: Nicolaum nauigantes: Eraſmum negociantes: Hieronymo cereus accendebatur, ad res perditas recuperandas. Imo ſicut Alcoranus Mahomethi violationem iuriſiurandi tridui ieiunio compenſat, & cædem boni viri duorum menſium ieiunio expiat: ita Pontificii certis ieiuniis quæuis delicta expiant, imo per ea mortuis ſe ſubuenire fingunt. Sed infinitum eſſet omnia percenſere, hæc vero exempli tantum gratia hoc loco adducta ſunt, cum de argumento, quod in hiſce partibus tractatur, quædam dicenda eſſent: In ipſo vero ſcripto Lector hæc plenius explicata inueniet.*

*Deum autem oro, vt veſtram, Illuſtriſſime Princeps, Celſit. tanquam nouellam oliuæ plantulam, Spiritu ſuo ſancto in tota inſtitutione rigare, fouere & excolere velit, vt efficiatur organon Deo gratum, politiæ vtile, & Eccleſiæ ſalutare, Amen. Brunſuigæ 10. Auguſti, Anno Domini M. D. L X X I I I.*

Celſit. Veſtram

demiſsè & reuerenter colens,

Martinus Chemnicius, D.

# DE RELIQVIIS SANCTORVM,

## Decretum Concilij Tridentini.

*SAnctorum quoq; Martyrum, & aliorum cum Chriſto viuentium, ſancta corpora, quæ viua membra fuerũt Chriſti, & templa Spiritus ſancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur: Ita vt affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atq; honorem non deberi, vel eas aliaq; ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari atq; eorum opis impetrandæ cauſa, Sanctorum memorias fruſtra frequentari, omnino damnandos eſſe, prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia.*

### *QVIS SIT STATVS CONTROuerſiæ in hoc loco.*

*Scriptura cur Canonica dicatur.*

SAcra ſcriptura ideo vocatur Canonica, quod ſit & eſſe debeat Canon ſeu Regula, ad quam exigendum, & ſecundum quam diiudicandum eſt, quicquid ſiue de dogmatibus, ſiue de cultibus in Eccleſia Dei diſputatur. Ad hanc regulam, hoc eſt, ad ſententias & exempla Scripturæ, ſi hæc diſputatio de reliquiis Sanctorum referatur & examinetur, facilis & plana erit diiudicatio. Vt autem commodius & rectius illud fieri poſſit, principio exponemus capita, in quibus hæc controuerſia de reliquiis Sanctorũ conſiſtit. Non enim in eo ſtatus huius controuerſiæ vertitur, An corpora, reliquiæ, ſiue oſſa Sanctorum, quorum animas Deus ex hac mortali vita ad cœleſtem patriam euocauit, propter ſpem reſurrectionis & glorificationis, ſint honorifice & reuerenter tractanda & ſepelienda, ſed pontificij, quando de veneratione atq; honore reliquiarum diſputant, de his potiſſimum capitibus dimicant.

*Capita de quibus Pontificij in hac quæſtione dimicant.*

*I. Elevatio cinerum defunctorum.*

Corpora, cineres, ſeu oſſa Sanctorum, ex ſepulchris eruenda ſeu eleuanda, & in loco edito, puta ſupra ſummum altare, vel in alio conſpicuo loco collocanda, auro, argento, ſerico, &c. exornanda.

*II. Circumgeſtatio in publicis proceſſionibus.*

Reliquias illas in proceſſionibus & ſupplicationibus publicis eſſe circumferendas, ac populo Chriſtiano tangendas, exoſculandas, vel ſaltẽ ſpectandas, eſſe oſtentandas, & proponendas.

*III. Canonizatio ad inuocationem.*

Docent, tales reliquias per Pontificem Romanum eſſe approbandas, Extra. De reliquiis & veneratione Sanctorum, quod Canoniſtæ dicunt fieri per Canonizationem, quam ita definit Antonius parte 5. ſuæ ſummæ, Titulo 12. capit. 8. quod per canonizationem Sancti proponantur à Papa, vt exemplar fidei & vitæ ſanctæ, & ab omnibus ADORANDI & in neceſſitatibus INVOCANDI.

*IIII. Cultum eorum meritorium eſſe.*

Docent ſingularem & meritorium cultum Dei eſſe ſi populus opis impetrandæ cauſa (ſicut Tridentinum Decretum loquitur) propoſitas & oſtentatas illas reliquias tangat, oſculetur vel ſpectet, & ante illas, geſtu & animo adorabundus procidat, & candelis, ſerico, corollis, & ſimilibus ornamentis eas veneretur.

*V. Gratiam & virtutem Dei in iis ineſſe.*

Docent, gratiam & virtutem Dei in illis reliquiis, quibus etiam dictitant inſidere, aut aſſiſtere, quærendam, & eius participes fieri, qui reliquias illas tangunt vel ſpectant.

*VI. Offerenda iis dona.*

Sacrificium Deo gratum eſſe, ſi reliquiis illis offerantur precioſa dona.

*VII. Indulgẽtiam peccatorum dari colentibus eas.*

Reliquias illas tangentibus, oſculantibus, aut ſaltem ſpectantibus, multas peccatorum indulgentias pollicentur.

*VIII. Orationes ad Sanctorũ reliquias magis exaudiri.*

Orationem meliorem, digniorem, & Deo acceptiorem eſſe, ſi fiat apud vel ante reliquias Sanctorum, vt quorum meritis opem impetremus. Atq; ideo in neceſſitatibus vota facienda, & peregrinationes ſuſcipiendas ad illa loca, vbi exiſtimantur reliquiæ Sanctorum eſſe, vt ibi opis impetrandæ cauſa inuocentur.

*Vota & peregrinationes ad loca ſanctorum.*

*IX. Ad Euchariſtiæ ſanctitatem iuuari iis.*

Ad ſacramenti Euchariſtiæ ſanctitatem etiam non parum conferre, ſi in altari reliquiæ Sanctorum incluſæ habeantur.

*X. Geſtatio earum aut ſuper aliquem impoſitio.*

Canoniſtæ docent, reliquias Sanctorum poſſe ſuper aliquem poni, Thomas addit, illas licite poſſe portari in collo ex deuotione & FIDVCIA ad Deum & ad SANCTOS, quorum ſunt reliquiæ, Hæc enim ſunt verba Thomæ.

*XI. Vſus in iuramentis.*

Iuramenta apud Pontificios fiunt tactis Sanctorum reliquiis, vt religio Iuriſiurandi inter Deum & inter Sanctos diuidatur.

*XII. Multa oſſa falſo pro Sanctorũ reliquiis haberi.*

Incertis, ſuppoſititiis & falſis reliquiis plena ſunt apud Pontificios omnia, quibus tamen ſine diſcrimine eadem veneratio & idem honor exhibetur.

Hæc apud Pontificios in veneratione reliquiarum & factitata eſſe & adhuc fieri, publicum & notorium eſt, quæ ideo in principio huius loci, tanquam in tabella explicata, proponere volui, vt Lector conſideret, quales abuſus & ſuperſtitiones, ſub ſpecioſo titulo, de honorandis Sanctorum reliquiis ſtabilire, & Eccleſiæ rurſus obtrudere conetur Tridentinum Concilium. De his enim capitibus quiuis Chriſtianus, ex verbo Dei recte inſtitutus, iuxta analogiam fidei facile iudicare poteſt. Quia vero quando ſuperſtitiones illæ reprehenduntur, inuidioſe opponi ſolet ex Scriptura & ex pia antiquitate plauſibilis titulus de honorandis Sanctorum reliquiis, ſub quo craſſas & tetras illas ſuperſtitiones, quas in Tabella præcedenti notauimus, venditare conantur. Primo igitur paucis oſtendemus Scripturæ ſententiam, quomodo illa, & teſtimoniis & exemplis Sanctorum demortuorum corpora, oſſa, ſeu reliquias veneretur & honorari velit, vnde ipſa antitheſis per ſe oſtendet, Pontificias venerationes nec teſtimonia nec exempla Scripturæ habere, imò Scripturæ aduerſas & contrarias eſſe. Secundo ex hiſtoria antiquitatis, de veneratione reliquiarum, quædam annotabimus, quomodo illa à bono & tolerabili vſu ad ſuperſtitiones & abuſus magis magiſq; inceperit degenerare, donec tandem in Idololatriam non diſſimulandam euaſit.

*Capita ſecutura refutationis.*

*Ex Scriptura quomodo honoranda reliquia.*

*Ex hiſtoria antiquitatis.*

*SACRAE SCRIPTVRAE SENTENTIA, de corporibus, oſsibus, ſeu reliquiis Sanctorum.*

*Quomodo gẽtes mortuorũ corpora tractauerint.*

GEntes, cum verbum Dei de corporum reſurrectione & glorificatione ignorarent, licet de animarum immortalitate aliquid, quaſi per ſomniũ cogitarint, ipſa tamen cadauera hominũ mortuorũ, propter fœtorẽ & immũdiciem tanquã abominabilia exhorruerunt, ſicut Iulianus apud Cyril. lib. 10. oſtendit. Inde Barbari quidam cadauera hominum canibus & auibus dilanianda & deuoranda proiecerunt. Et leges XII. Tabularum, corpora mortuorum in ciuitate, ne inde contaminarentur, ſepeliri ſeuere vetuerunt, quæ prohibitio etiam poſtea aliquot Principium reſcriptis confirmata fuit. Scriptura vero non tantum animarum præſtantiam & immortalitatem docet, verumetiam corporum in piis in hac vita ſanctificationem celebrat, & eorum poſt hanc vitam, in reſurrectione futuram glorificationem promittit. Sicut enim Deus non animam tantum, verumetiam corpus humanum creauit: Ita filius Dei Mediator non animam tantum, verumetiam corpus humanum aſſumere & redimere voluit. Et Spiritus S. Lauacro regenerationis & renouationis non animam tantum, ſed & corpus abluit, obſignat, & ſanctificat, nec anima tantum, ſed & corpora noſtra, ſicut inquit Irenæus, percipiunt Euchariſtiam, quæ cõſtat duabus rebus, terrena & cœleſti, corpore ſcilicet & ſanguine Chriſti. Et Paulus affirmat, corpora fidelium etiam in hac vita eſſe domicilia & templa inhabitantis Spiritus S. & gratiæ Dei, 1. Cor. 6. & 2. Corint. 6. Corpora etiam piorum eſſe membra Chriſti, idem affirmat, 1. Corinth. 6. Epheſ. 5. Et in ipſis etiam corporibus, & per corpora, Deus multa glorioſa & mirabilia opera in Sanctis ſuis exercet & oſtendit, ſicut per manus Apoſtolorum edebat ſigna & prodigia, ac vmbra Petri ſanabat infirmos, Acto. 5. Membra noſtra præbemus arma iuſtitiæ Deo, Rom. 6. Et glorificamus Deum, non tantum per ſpiritum, ſed & per corpus noſtrum, quæ vtraq; ſunt Dei, qui ea precio redemit, 1. Corinth. 6. Ac ſtigmata crucis & paſſionis Chriſti in ipſis noſtris corporibus portamus, Galat. 6. 1. Corinth. 15. Et illa ipſa hæc miſera piorum corpora filius Dei in nouiſſimo die ad vitam ſuſcitabit, Iohan. 5. Et in hac carne mea videbo Deum meum, Iob. 19. Qui corpus humilitatis noſtræ glorificabit, Phil. 3. Vt quod nunc ſeminatur in corruptione, ignominia, & infirmitate, reſurgat in incorruptibilitate, gloria & potentia, 1. Corinth. 15. Vt ſplendeat ſicut Sol, Matth. 13. & conforme reddatur glorioſo corpori Chriſti, Philip. 3.

*Iulianus.* *Leges XII. tabularum.* *Principum reſcripta.* *Scriptura ſententia de mortuorum corporibus.* *Irenæus.* *Paulus de honore corporũ fidelium.*

*Scriptura dupliciter conſiderat hominũ corpora.*

Scriptura igitur corpora piorum dupliciter conſideranda proponit. Primo, quia ſint per naturam, poſtquam propter peccatum in ſummas miſerias demerſa ſunt, corpora ſcilicet peccati & mortis, Rom. 7. & 8. in corruptione, infirmitate, & ignominia, 1. Corinth. 15. Sicut veteres eleganter dixerunt: Quid aliud eſt homo ſecundum corpus quam ſperma fœtidum, ſaccus ſtercorum, cibus vermium?

*Bernhardus.*

*Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror,*
*Sic in non hominem vertitur omnis homo.*

Item:

*Cum fex, cum limus, cum res viliſſima fimus,*
*Vnde ſuperbimus, ad terram terra redimus.*

Secundo, proponit Scriptura fideli ita conſideranda piorũ corpora, quid per gratiam in hac vita in ſpe fiant, & quid poſt hanc vitam in gloria futura ſint, ſicut iam oſtendimus.

*Scriptura dupliciter de ſepulchris & cadauerib. mortuorũ loquitur.*

Eodem modo Scriptura etiam de ſepulchris & cadaueribus piorum loquitur dupliciter. Primo ſicut per ſe ſunt & ſenſui patent, vt cum Chriſtus Matth. 23. dicit: Sepulchra foris quidem apparere ſpecioſa, intus vero plena eſſe oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. Et quando Iob inquit, cap. 7. Induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris, cutiſque mea facta eſt abominabilis. Et 19. Vado ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine terram miſeriæ & tenebrarũ, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitans. Cap. 13. Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea, &c.

*I. Cuiuſmodi per ſe ſenſibus patent. Matth. 23. Iob 7. 10. 13.*

*II. Cuiuſmodi ex gratia coram Deo.*

Secundo loquitur Scriptura de corporibus, reliquiis & ſepulchris fidelium defunctorum, qualia ſunt ex gratia in fide & ſpe coram Deo, vt: Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, Pſalm. 116. Cuſtodit Dominus omnia oſſa iuſti, vnum ex his non conteretur. Pſalm. 34. Vocantur mortui Dei, Ieſ. 26. Mortui tui viuent, expergiſcimini & iubilate, qui habitatis in puluere, quia ros herbarum virentium, ros tuus. Intra populus meus in cubicula tua, donec tranſeat indignatio mea. Et hinc ſumpſit Syrach, quod bis repetit, cap. 46. & 49. Oſſa eorum de locis ſuis reuireſcant. Ieſai. 56. Veniunt in pacem, requieſcunt in cubilibus ſuis. Matth. 9. Non eſt mortua puella, ſed dormit. 1. Corinth. 15. Dormiunt in Chriſto. Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Nam & caro mea requieſcet in ſpe, reſurrectionis ſcilicet & glorificationis, Pſal. 16. Cumq; in veteri Teſtam. tactus mortui contaminaret, Chriſtus in nouo Teſtamento, aſſumpta mortali noſtra carne, tangens mortuos, ipſa cadauera noſtra ſanctificauit: Et poſitus in monumento alieno ſepulchra noſtra, per ſe immunda, glorioſa reddidit. Inde enim Angeli in albis in ſepulchro apparent, per ipſum enim ſepulchrum & requies humani corporis, facta eſt gloria, Eſaiæ 11.

*Pſal. 116. Pſal. 34. Eſaia 26. Syr. 46. 49. Eſa. 56. Matth. 9. 1. Cor. 15. Apoc. 14. Pſalm. 16. Tactus mortui. Eſa. 11.*

*Hieronymus.*

Hæc ideo copioſius deſcripſi, quia quando ſuperſtitioſus cultus reliquiarum reprehenditur, ſtatim ſolet obiici, quod Hieronymus etiam Vigilantio opponit: Ergo Petri & Pauli reliquiæ immundæ ſunt? Ergo Domini corpus in ſepulchro poſitum immundum fuit? Et Angeli mortuo cadaueri atq; polluto præbebant excubias? Ergone cilicio colligandæ, & in ſterquilinium proiiciendæ ſunt Martyrum reliquiæ? &c. Reſpondemus autem, nos nequaquam ſentire aut docere, Sanctorum reliquias vel cõtemptim habendas, vel irreuerenter & irreligioſe tractandas, ſed eo illas loco & in eo precio habendas, ſicut recitata teſtimonia Scripturę oſtendunt. Non autem inde ſequitur, vel ex humanæ rationis cogitationibus ſumendum, vel ab Ethnicorum aut quorumcumq; hominum exemplis diſcendum, aut quenque ſibi ipſi fingere debere, qua veneratione honorandæ ſint Sanctorum reliquiæ: ſed eadem Scriptura, quæ docet in precio haben-

*Scriptura docet reliquias in precio habendas.*

*Scriptura etiam docet rationem venerandi reliquias Sanctorum.*

habendas Sanctorum reliquias, modum etiam & rationem veræ venerationis earum oſtendit. Et ſi hanc regulam ſequamur, non poterimus errare, nec poterit quis iure nos accuſare, quod reliquias Sanctorum non ſatis veneremur, ſi honorem in Scriptura præmonſtratum ipſis exhibeamus. Et quicquid huic regulæ non conſentaneum, in veneratione reliquiarum præſumitur, illud meritò ac iure reprehendere ac repudiare poſſumus. Lucerna enim pedibus meis verbum tuum. Et: Si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

*Scriptura veteris Teſtamẽti ignorat ea, quæ Pontificij de colẽdis reliquiis Sanctorũ declamitant.*

Extant igitur in Scriptura multæ deſcriptiones funerationum, & quidem aliquot, vt in veteri Teſtamento magnificæ & ſumptuoſæ extant curationes funerum: nihil verò tale in illis deſcriptionibus legitur, ſicut Pontificij de cultu reliquiarum docent, ſed tantum quod funera piorum honorificè curata, reuerenter ad ſepulturam deducta, & religioſè in monumentis condita & aſſeruata ſint. Idem & multò quidem ſimplicius in nouo Teſtamento de ſepultura Baptiſtæ & Stephani legimus. Cumque tota plebs Iudæorum Patriarcharum memoriam ſemper maximi fecerit, & quidem ratione promiſſionis (ſicut in præcedenti loco dictum eſt) nomina eorum etiam in precibus publicè cõmemorarint, non tamen ad monumenta eorum inuocationem inſtituerunt, non oſſa ipſorum effoſſa circumgeſtarunt, & ad peculiarem cultum oſculanda, tangenda, ſpectanda, oſtentarunt, non accenſis cereis honorarunt, non impetrandæ opis cauſa coluerunt, non docuerunt gratiam & virtutem Dei apud reliquias illas quærendam, non vota fecerunt, non oblationes obtulerunt reliquiis illis, non impoſuerunt eas languentibus, nec ad collum portarunt, non poſuerunt in illis ſpem & fiduciam, non per oſſa Sanctorum iurarunt, cum aliàs in iuramento varios admiſiſſent abuſus, Matthæi 5. & 23.

*Quid nouum Teſtamẽtum de reliquiis.*

Quod ſi quis excipiat, in veteri Teſtamento gratiam Dei parciorem fuiſſe, & contactum mortui etiam pij tunc pollutum habitum: In nouo certe Teſtamento inter natos mulierum, excepto Chriſto, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Et Stephanus plenus gratia & fortitudine, edidit miracula & ſigna magna in populo, Actorum 6. Non tamen vel cum Baptiſta, vel cum Stephano, vel cum Apoſtolis mortuis tale quid fecit Apoſtolica Eccleſia, quod Pontificios reliquiis Sanctorum facere oſtendimus.

*Eiſengrini argumentum.*

Eiſengrinus quidem ita argumentatur: Si, Actorum quinto, ægrotos exportarunt, vt venientis Petri vel vmbra illos obumbraret: Si, Actorum decimo nono, ſudaria à corpore Pauli delata, & ſuper infirmos impoſita, morbos fugarunt: quare non idem iam etiam reliquiis Sanctorũ tribueremus, cum per mortem gratia ipſorum non ſit imminuta, ſed magis aucta.

Sed illam argumentationem & talem conſequentiam Scriptura & veteris & noui Teſtamenti prorſus ignorat. Neq; enim quæcunq; Deus per Sanctos ſuos in hac vita fecit, eadem etiam per corpora & oſſa ipſorum poſt mortem ſe facturum promiſit. Vtebatur miniſterio ipſorum in hac vita ad propagandum Euangelium, & addidit promiſſionem de ſignis ſequentibus, Marc. 16. Illo miniſterio defuncti ſunt in hac vita, & ſicut de Dauide, Paulus Actor. 13. inquit, cum ſuæ generationi voluntate Dei ſeruiiſſent, obdormierunt. Non itaq; conſequens eſt, quod Deus in hac vita per Sanctos præſtitit, illud poſt mortem apud reliquias ipſorum quærendum eſſe. Non dubium ſanè eſt, Deum pro infinita ſua potentia per oſſa Sanctorum maiora etiam miracula poſſe facere, quàm quæ per ipſos, dum in hoc ſeculo viuerent, facit. Sed Scriptura cùm de corporibus & oſſibus Sanctorum mortuorum multa tradat, non tamen vel à potentia Dei abſoluta, vel ex eo quod Deus per Sanctos in hac vita fecit, conſequentiam talem texit ad reliquias ipſorum, vt ſine certo & expreſſo verbo peculiarem cultum ad reliquias Sanctorum inſtituat. Et Dei voluntas non noſtris argumentationibus, ſed ſuis ipſius æſtimanda eſt vocibus. Hæc regula certiſſima & tutiſſima eſt.

Ac diligenti obſeruatione dignum eſt, quod exempla de reliquiis Sanctorum in verbo Dei ita deſcripta ſunt, vt quaſi intento ad fontem digito, explicationes & refutationes eorum, quę à Pontificiis opponuntur, præbeant. Vt Eliſæus, 4. Reg. 13. iam moriturus vaticinatur de victoria Iſraelitarum contra Syros, ſi conuertantur ad Dominum.

*Exemplum de reliquiis Eliſæi.*

Cumq; Eliſæus iam mortuus & ſepultus eſſet, & eodem anno copiæ militares Mobitarum irruptionem facerent in terram Iſrael, Deus peculiari & extraordinario miraculo confirmaturus veritatem vaticinij Eliſæi, per contactum oſſium ipſius iam defuncti, mortuum hominem reſuſcitauit ad vitam. (Et hoc eſt quod Syrach dicit, c. 48. Corpus Eliſæi poſt mortem prophetaſſe.) Quidni enim Deus ſua virtute, quando vult, hæc poſſet facere, per oſſa illa, quæ ſuæ cuſtodiæ commendata eſſe affirmat, Pſalm. 34. Non autem dicit Scriptura, mortuum illum hominem ex deſtinato & propoſito ad Eliſæi ſepulchrum abductum, vt contactu oſſium ipſius reſuſcitaretur, quaſi tunc fuerit conſuetudo in populo Dei, concurrendi ad ſepulchra Prophetarum ſeu Sanctorum, vt votis & inuocationibus gratiam & virtutem apud oſſa mortuorum quærerent. Sed textus dicit inopinato caſu mortuum illum in Eliſæi ſepulchrum proiectum, cùm quidem vellent ſepelire hominem, & ſuperuenientibus latrunculis, non haberent ſpacium faciendi foueam, ne itaque cadauer inſepultum, hoſtium libidini expoſitum eſſet, aperuerunt tymbam monumenti, quod proximum erat, quod Eliſæi fuit, & in illud non depoſuerunt (tantùm enim temporis non habebant) ſed proiecerunt mortuum ſuum, qui ad fundum delapſus, ita attigit oſſa Eliſæi, & reuixit, vt hoc miraculo Deus Iſraelitas commonefaceret Prophetiæ Eliſæi, ne timerent incurſiones hoſtiles, ſi modò Domino adhærerent.

Quia verò illuſtre & ſtupendum fuit illud miraculum, & Pontificij omnes illos ſuos cultus reliquiarum, quos paulò antè deſcripſimus, ex miraculis extruxerunt (à miraculis enim argumentantur ad inſtitutionem cultuum) videbimus, an Scriptura ex inſigni hoc miraculo oſſium Eliſæi idem fecerit, vel faciendum præſcripſerit, quod Pontificij faciunt in cultu ſuarum reliquiarum. Si enim Scriptura ex illo oſſium Eliſæi miraculo idem fecit, valebit illa Pontificiorum cõſequentia, à miraculis ad cultum, ſin minus,

*Ex miraculo oſſium Eliſæi non inſtitutus cultus.*

nus, recte & tuto ea poterit repudiari, à quibuſcunq; etiam nectatur. Iam vero etiam poſt editum illud miraculum, Eliſæi oſſa non legimus ſepulchro eruta, in ſublime eleuata, nõ circumgeſtata, non exoſculanda, tangenda, ſpectanda, propoſita, non candelis honorata, non ſerico exornata, non opis impetrandæ cauſa, inuocatione adorata, nõ ad peculiarem cultum propoſita. Nec inſtitutus fuit concurſus ad oſſa illa ad quærendam ibi gratiam & virtutem Dei, non promiſſæ indulgentiæ, non impoſitæ reliquiæ illæ infirmis vel mortuis, non per illas iuratum, non collocata in illis ſpes & fiducia, &c. Tale prorſus nihil in Scriptura de reliquiis Eliſæi factum legimus, etiam poſtquã inſigne & ſtupendum illud miraculum per oſſa eius editum fuiſſet. Sed oſſa Prophetarum in monumentis ſeu ſepulchris relicta ſunt, id quod etiam Chriſtus affirmat Matthæi 23. Nec ad ſepulchra illa iuſtorum Iudæi perrexerunt adoraturi ſeu inuocaturi. In templo enim adorabant. Ædificabant ſane ſepulchra Prophetarum, & ornabãt monumenta iuſtorum, Matth. 23. declarantes ita reuerentiam ſuam erga ſanctos Prophetas, quos iniuſte occiſos fatebantur. Sed hoc ipſorum ſtudiũ non inadmodum excellenti gradu à Chriſto cõmendatur, quin potius, ſicut & Chryſoſtomus interpretatur, hoc in ipſis grauiter reprehenditur, quod ſint mortuorum Prophetarum laudatores & admiratores, cum viuentium, & præſentium, qui peccata arguunt, & verbum Dei pure docẽt, ſint contemptores & perſecutores, quodq; Sanctos pauperes hic viuentes negligant, & in mortuorum monumentis ædificandis oſtentationis gratia multum abſumant. Nam & hanc interpretationem addit Chryſoſtomus.

*Ornantes ſepulchra iuſtorum quando laudentur. Matth. 23.*

Hæc ſunt manifeſta & profecto talia, quibus ſemel tota hæc controuerſia, de reliquiis Sanctorum, definiri, & vniuerſus Pontificiorum cultus hac in parte refutari poteſt. Nam & Syracides cap. 48. deſcribens miracula Eliſæi in vita & poſt mortem, finem & vſum ponit, ne vnum quidem ex illis capitibus, quæ de Pontificiorum cultu annotauimus, ſed confirmationem vaticiniorum Eliſæi, vtque populus à peccatis ad Deum, quem Eliſæus docuerat, conuerteretur. Et memoriam quidem ac reliquias Sanctorum & Prophetarum reuerenter celebrat Syracides, non autem addit ſuperſtitiones illas, de quibus Pontificij dimicant: ſed oſſa in ſepulchris ſub ſpe glorioſæ reſurrectionis relinquit, & reuerenter habet, vt cap. 46. & 49. Sit memoria eorum in benedictione, & oſſa eorum locis ſuis pullulent ſeu reuireſcãt, & nomen eorũ permaneat in æternum, permanente gloria ipſorũ ad poſteros.

*Oſſa piorum relinquũtur in ſepulchris.*

Porro extat etiam in ſcriptura exemplum de aſſeruatis & deportatis Ioſephi reliquiis, cuius conſideratio præbebit materiam veræ explicationis & refutationis eorum, quæ Pontificij de transferendis & aſſeruandis reliquiis Sanctorum diſputant. Ioſephi enim mortui corpus non fuit in Ægypto vel ſepulturæ mandatum, vel in monumentum illatum, ſed aromatibus conditum, & in arcam ſeu ciſtam ex precioſo ligno fabrefactam ſepoſitum, & vſque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto aſſeruatum. Num vero ad inſtituendum talem cultum, ſicut capita de Pontificia veneratione reliquiarum ſupra deſcripta ſunt? Nequaquam. Sed Ioſeph, ad teſtificandam ſuam fidem in promiſſionem Dei, mandauit, ne corpus ſuum in Ægypto ſepeliretur, ſed vt tam diu aſſeruaretur, donec in tempore viſitationis oſſa ſecum aſportarent in terram promiſſionis, vt hoc quaſi illuſtri pignore poſteri inter preſſuras & perſecutiones animati, de exitu ex Ægypto, & de hæreditanda terra promiſſionis, non hæſitarent. Nam & ideo hoc Ioſephi factum, reliqui ex duodecim Patriarchis non traxerunt in exemplum, nec ſequentes Prophetæ & iuſti hoc imitati leguntur. Nec vero dubium eſt, filios Iſrael oſſa ſeu reliquias Ioſephi reuerenter aſſeruaſſe, id quod Syrach oſtendit verbo ἐπεσκέπησαν, quod ſignificat tam diligenter aliquid ſeruare, ac ſi operimento aliquo defendatur & muniatur, nihil tamen illius ſuperſtitioſæ venerationis, quam ſupra deſcripſimus, ipſos reliquiis illis Ioſephi exhibuiſſe legimus. Vetus tranſlatio legit Syrach 49. Oſſa Ioſephi viſitata eſſe, & poſt mortem prophetaſſe, quod quidam eo detorquent, quaſi Iſraelitæ ad oſſa Ioſephi, inſtituta peregrinatione tanquam ad oraculum concurrerint. Sed Græcus textus habet ἐπεσκέπησαν, quod verbum iam explicatum eſt. Poſteriora vero verba prorſus non habet, ſed ex cap. 48. quod ibi de Eliſæi oſſibus dicitur, Librarij ad Ioſephi etiam oſſa, contra fidem textus tranſtulerunt.

*Aſſeruatio & deportatio oſſium Ioſephi.*

*Exemplum Ioſephi non ad imitationem.*

*Text. Syrach ad peregrinationes transformatum.*

Porro de aſportatis etiam Ioſephi reliquiis, hiſtoria ſacra loquitur, Exo. 13. Sed nec eo modo nec fine, nec ea de cauſa, nec tali opinione, ſicut circumgeſtationes reliquiarum apud Pontificios fiunt. Reuerenter ſine dubio reliquias illas Ioſephi Iſraelitæ aſportarunt ex Ægypto in terram promiſſionis, ſed nihil tale ipſis exhibuerunt, quale Pontificios ſuis reliquiis facere ſupra oſtendimus. Neque enim cum Pharao ipſos inſequeretur, cum ignitis ſerpentibus infeſtarentur, cumque vndique ab hoſtibus premerentur, ad Ioſephi reliquias, quas ſecum portabant, opis impetrandæ cauſa, ſicut Tridentinũ Decretum loquitur, confugerunt. Cumq; reliquias illas in terram promiſſionis tuliſſent, non eleuarunt illas (ſicut Pontificij loquuntur) nec peregrinationes & cultus ad illas inſtituerunt: ſed ſub terra illas condiderunt & ſepelierunt, Ioſuæ 24. Nec poſtea ad ſepulchrum vel Ioſephi, vel aliorum Patriarcharum, & Prophetarum, tales concurſus & cultus vnquam inſtituti leguntur, quales Pontificij ad ſuas reliquias celebrant. Imo Epiphanius contra Antidicomarionitas citat ex 70. interpretatione ſententiam Scripturæ, qua damnantur illi, qui mortuis cultum præſtant. Et apud Cyrillum, libro 10. contra Iulianum, citatur ſententia ex Eſaia, ex ſepulchris & ſpeluncis dormiunt propter inſomnia. Quod tamen Hieronymus inconſtantia quadam, quæ in ſepulchro Hilarionis per vigiles noctes ducere erat ſolita, laudat, & quidam etiam aſſumentum illud in 49. cap. Syracidis, de oſſibus Ioſephi prophetantibus, ita interpretari non verentur.

*Transportatio oſſium Ioſephi qualis.*

*Non concurſus ad oſſa Ioſephi.*

*Epiphanius.*

*Cyrillus.*

Similiter extat etiam in Scriptura exemplum de oſſibus ſeu reliquiis mortuorũ ex vno ſepulchro in aliud tranſlatis, vt intelligeremus, Scripturam etiam in hac diſputatione de tranſlatione reli-

*Trãſlatio reliquiarum in ſcriptura.*

ne reliquiarum certam regulam præbere. Nequaquam autem iis de cauſis, eo modo, & eo fine, talis tranſlatio in Scriptura facta deſcribitur. ſicut apud Pontificos fit.

*Oſſa Saulis & Ionathæ.*

Sed quia ciues Iabes Gilead ſepelierant oſſa Saulis & Ionathæ in nemore Iabes. 1. Regum 31. Dauid igitur poſtea oſſa eorum tranſtulit in terram Beniamin, & intulit in paternum Saulis ſepulchrum, 2. Reg. 21. Audis cauſam politicam, ſicut tunc magnæ familiæ ſua peculiaria habebant ſepulchreta.

*Sepulchreta familiarum.*

Et Berzellai ſenex ideò aulicam dignitatem reſpuit, vt poſſit ſepeliri iuxta ſepulchrum parentum ſuorum, 2. Reg. 19. Aliud etiam illuſtre exemplum extat 4. Reg. 23.

*Ioſias.*

Cùm enim Ioſias ſepulchra, quæ erant in excelſo Ieroboam, deſtrueret, oſſa exuit ex ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare. Cùm verò intelligeret non procul inde abeſſe ſepulchrum viri Dei & Prophetæ, mandauit Ioſias: Sinite eum quieſcere, & nemo loco moueat oſſa eius.

*Sinite eũ quieſcere. Oſſa de ſepulchris eiecta.*

Et addit textus, Oſſa illa intacta manſerunt. Econtrà verò pœna diuina ita deſcribitur: Ieremiæ 8. Eiicient oſſa eōrum de ſepulchris ſuis. Baruch. 2. Transferentur oſſa Patrum noſtrorum de loco ſuo, & proiicientur.

Ex his itaq;, quæ hactenus recitauimus, manifeſtum eſt, ſi ſacram Scripturam pro Canone & Regula dogmatum & cultuum habere volumus, Pontificias reliquiarum venerationes iure & rectè repudiari poſſe, cum Scripturæ teſtimoniis & exemplis deſtituantur, nec illis conſentaneæ ſint. Sanctas verò piorum reliquias ita rectè ſecundum Scripturam honorari, ſi ita, ſicut Scripturæ ſententiis oſtendimus, de ipſis ſentiamus, atque hac opinione reuerenter funera curemus, religioſè ad ſepulturam deducamus, & terræ, magnæ matri, commendemus, iuxta ſententiam Dei. Terra es, & in terrā reuerteris.

*Reliquiæ Sanctorum in terra quieſcunt.*

Atq; ea ibi, in ſpe reſurrectionis, & glorificationis, reuerenter quieſcere, Ieſa. 57. & in puluere dormire, (Dan. 12) ſinamus, donec, qui in monumentis ſunt, audiant vocem filij Dei, qua ad vitam ſuſcitentur, Ioa. 5. Hoc enim modo, ipſius Dei cuſtodiæ reliquias Sanctorum commendamus, Pſ. 34.

*Tatianus.*

Vt ſint, ſicut oratio quædam Tatiani ad Græcos eleganter inquit, ἐν ταμείοις ἐναποκείμενα, in penu, conclaui ſeu cubiculo prædiuitis Domini depoſitæ.

*Cyrillus.*

Et Cyrillus lib. 10. contra Iulianum verum reliquiarum honorem in Eccleſia etiam hoc modo deſcribit. Defunctorum, inquit, reliquias viderit quiſpiam apud nos non nudas & negligenter in terram proiectas, ſed benè compoſitas. Occultatæ enim quodammodo ſunt in ſinu matris, in profundis terræ, ſicut & Prudentius eleganter canit:

*Prudentius.*

Nunc ſuſcipe terra fouendum, Gremioque hunc ſuſcipe molli, Hominis tibi membra ſequeſtro, Generoſa & fragmina credo.

*Canonica reliquiarum veneratio.*

Sed de hac vera & Canonica reliquiarum veneratione, Tridentinum Decretum non admodum eſt ſolicitum. Dimicat autem de aliis ſuperſtitioſis reliquiarum cultibus, qui non tantum carent teſtimonio verbi Dei, ſed contra illud non obſcurè pugnant.

*Papiſtica reliquiarum veneratio, pugnat contra Scripturam.*

Electitij enim cultus qui opis impetrandæ cauſa, ex rationis humanæ præſumptione, ſine verbo Dei inſtituuntur & ſuſcipiuntur, etiamſi magnam ſpeciem præ ſe ferant, in Scriptura tamen reiiciuntur & prohibentur, Deuter. 12. Coloſſ. 2. Ita gratiam & virtutem ſuam Deus vult in verbo & Sacramentis, iuxta mandatum & promiſſionem, fide & inuocatione ad Deum quæri. Ea igitur ſine verbo & extra verbum, non debet à nobis ad Sanctorum oſſa allegari. Hora etiam nunc eſt, quod inuocatio ad nullum locum alligata eſt, Ioannis 4. Pugnat igitur contra officium Mediatoris Chriſti hæc perſuaſio, quòd oratio dignior, melior & acceptior ſit, ſi fiat coram reliquiis Sanctorum, quàm ſi in ſpiritu & veritate, in nomine Chriſti, in alio loco fieret. Ita indulgentias peccatorum promittere oſculantibus reliquias, pugnat contra doctrinam de fide in Chriſtum, per cuius ſolius nomen remiſſionem peccatorum accipiunt credentes, Actor. 10. Fiduciam & ſpem collocare in reliquias, pugnat contra primum præceptum. Per aliud quam per Dei nomen, vt per reliquias iurare, pugnat contra ſecundum præceptum: Sanctos verò, quorum reliquiæ à Papa canoniſatæ ſunt, in neceſſitatibus inuocare & adorare, aduerſa fronte repugnat doctrinæ de inuocatione & adoratione Dei. Et hæc omnia, quæ cum verbo Dei non obſcurè pugnant, in Pontificia reliquiarum veneratione fieri notorium eſt, & in principio oſtendimus. Et ipſa appellatio Scripturæ canonicæ nos admonet & confirmat, vt quicquid in veneratione reliquiarum cum hac regula non conſentit, ſed ab ea diſcedit, vel cum ea pugnat, liberè bona quorumcunque hominum venia repudiemus. Quando verò reliquias Sanctorum ita veneramur, ſicut Scripturæ exempla nobis præmonſtrant, tunc certi ſumus, nos rectæ viæ quæ appellatur via mandatorum Dei, inſiſtere.

Hanc Scripturæ ſententiam Auguſtinus breuiter complectitur de Ciuitat. lib. 1. cap. 19. Non contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum maximè iuſtorum atq; fidelium, quibus tanquam organis & vaſis, ad omnia bona opera, ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid huiuſmodi, tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius & coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus, vnde & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, exequiæ celebratæ, ſepultura prouiſa ipſis dum viuerent, hæc de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandauerunt, verùm iſtę authoritates non hæc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus, ſed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem Reſurrectionis aſtruendam.

## ANNOTATIONES QVAEDAM EX *hiſtoria Antiquitatis, de reliquiis Sanctorum.*

TAm breui itaque ac facili compendio, tota controuerſia de reliquiis ſanctorum dirimi & diiudicari poſſet, ſi ſacram Scripturam vt Canonem & regulam in hac cauſa ſeriò adhibere vellemus. Sed Pontificij in Scriptura non multum ſibi præſidij poſitum videntes, totam hanc controuerſiam à Scripturæ norma, ad Patres, & ad veteres conſuetudines, tranſponere conantur. Sed nos ſeducētes illos non volumus

*An ex conſuetudinib. hæc controuerſia diiudicanda.*

 ſequi.

*Cyprianus.*

ſequi. Non enim videndum eſt, inquit Cyprianus, quid aliqui ante nos fecerint, ſed quid ille, qui ante omnes eſt, in ſuo verbo nobis faciendum præſcripſerit & præmonſtrarit. Neq; enim hominum conſuetudinem, ſed Dei veritatem ſequimur. Nec hominum vel priuatæ vel publicæ deuotiones, ſed ſola ſacra ſcriptura Canon, regula & norma eſſe debet dogmatũ & cultuum in Eccleſia. Quicquid igitur in Patrum ſcriptis, & in antiquis conſuetudinibus cum hoc Canone congruit, cum laude eorum recipimus, quicquid vero ab hac regula diſſentit, cum pace eorum, libere, ſalua honorificentia, quæ talibus debetur viris, reſpuimus, ſicut in prima parte pluribus hæc ſententia demonſtrata eſt.

*Auguſtinus.*

*Initia.*

Quia tamen non immerito magna eſt & eſſe debet antiquitatis reuerentia: Videbimus quos ritus vera antiquitas circa reliquias Sanctorum, qui Scripturę conſentanei fuerunt, ſeruarit, quãdo vero, vnde, & quomodo longius progreſſum ſit. Quæ principia, licet primo fuerunt tolerabilia, admixtis tamen paulatim ſuperſtitionibus, tandem in non diſſimulandam idololatriam euaſerunt.

*Progreſſus.*

*Exitus.*

*Martyria in honore.*

Fuerunt igitur poſt Apoſtolorum tempora multi præſtantiſſimi & celeberrimi Martyres, & in magno precio ac honore habita fuerunt martyria. Baſilidis enim hæreſin docentem non eſſe pro Chriſto martyrium ſubeundum, quia non ipſe, ſed pro ipſo Simon Cyrenæus ſit crucifixus, magna vehementia refutarunt. Huc enim pertinet quod Irenæus ſcribit lib. 3. cap. 20. Ad tantam temeritatem progreſſi ſunt quidam, vt etiam martyres Domini ſpernant, & inhonorent eorum martyrium. Corpora etiam ſeu reliquias martyrum reuerenter & religioſe tractarunt. Sed nihil aliud legimus, quam quod honorificæ ſepulturæ eas tradiderunt. Ita Epiſtola martyrum Galliæ (circa annum Domini 160. apud Euſebium libro 5. cap. 1. conqueritur, perſecutores Martyrum corpora inhumata proieciſſe canibus, adhibitis nocte ac die cuſtodibus, ne quiſquam illorum à Chriſtianis ſepeliretur. Reliquias vero combuſtas, & in fauillam redactas in Rhodanum diſperſiſſe. Et additur: Nos vero in magno eramus mœrore conſtituti, quod non liceret nobis corpora Sanctorum martyrum ſepulturæ tradere. Circa idem tempus acciderunt etiam ea, quæ Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſebium lib. 4. cap. 15. de Polycarpi oſſibus narrat, de quibus in præcedenti loco diximus. Perſecutores enim nolebant Polycarpi corpus Chriſtianis humandum concedere, ſed exuſſerunt illud, Chriſtiani vero oſſa illa ambuſta nacti, auro & gemmis precioſiora habuerunt. Sed quid illis fecerunt? Sicuti conueniebat, inquiunt, ex more ea condidimus. Illo vero tempore cœperunt ad ea loca, vbi inſignium Martyrum reliquiæ humatæ erant, cœtus ſeu conuentus Eccleſiaſticos, præcipue die paſſionis ipſorũ, quem eleganter appellarunt Natalitium, celebrare. Ita enim inquit Epiſtola Smyrnenſis. Vbi etiam, quo ad fieri poteſt, congregatis cum exultatione & gaudio, Dominus Natalem Martyris ſui diem celebrare largietur.

*Reliquiæ Martyrum ſepultæ.*

*Euſebius.*

*Polycarpi oſſa.*

*Conuentus Eccleſiaſtici ad monumenta Martyrũ, quando.*

Hæc Pontificij producentes mox attexunt, ſeu potius affingunt omnia illa ſua capita de veneratione reliquiarum, quæ in principio huius loci expoſuimus, quaſi fuiſſent illa omnia antiquiſſimis primitiuæ Eccleſiæ temporibus in vſu. Sed Epiſtola Smyrnenſis affirmatiue & negatiue clariſſime totum negotium explicat. Cultum enim martyrum ſimpliciter & deſerte negat. Honores vero ipſorum ita deſcribit, non ſicut Pontificij Sanctos colunt, ſed ſicut Scriptura docet, quemadmodum hiſtoria illa in præcedenti loco plene explicata eſt. Quia enim Chriſtiani videbant, apud Græcos multos ad virtutem & fortitudinem inflammari, inde, quod viri fortes, qui ſtrenue pro patria pugnãdo nobili morte occubuerant, anniuerſariis laudibus coronarentur, cum apud ſepulchra illorum conueniretur: (Ita enim Cyrillus libro 6. contra Iulianum, vbi de martyrum honoribus agit, loquitur) iudicarunt, & in Eccleſia hac ratione multos ad fortiter ſuſcipienda, & conſtanter perferenda Martyria, incitari & confirmari poſſe. Cum igitur viderent multos martyria auerſari, & in perſecutionibus deficere, inſtituerunt Martyrum panegyres peculiari ſolennitate celebrandas, in quibus certamina ipſorum debitis laudibus efferebantur, memoria ipſorum grata prædicatione celebrabatur, coronæ ac palmæ, quibus à Deo agonothetæ iuxta Scripturæ promiſſiones donati eſſent, Martyres glorioſe prædicabantur, vt hoc modo ſuperſtites, ad futura certamina pro fide ſubeunda & perferenda, præpararentur, excitarentur, & confirmarentur, ne metu ſuppliciorum deficerent, & confeſſionem abiicerent. Et hoc eſt quod Epiſtola Smyrnenſis dicit: In loco ſepulturæ Polycarpi congregati, cum gaudio & exultatione diem paſſionis eius celebrauimus, ad memoriam eorum qui ante certarunt, & ad futurorum exercitationem & præparationem, ſiue, vt Ruffini Paraphraſis habet, vt ſequentium animi ad præceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur. Sed hæc in præcedenti loco diligentius & prolixius explicauimus. Hoc loco vero pauca repetenda fuerunt, vt oſtenderetur falſum eſt, quod Pontificij fingunt, antiquiſſimis primitiuæ Eccleſiæ temporibus talem fuiſſe cultum & venerationem reliquiarum, ſicut ex pontificiæ Eccleſiæ vſu & praxi in principio huius loci deſcripſimus.

*Epiſt. Smyrnenſis.*

*Martyrũ panegyres quare primum inſtitutæ, & quomodo celebratæ.*

*Cyrillus.*

Hæc igitur in veteri Eccleſia inita fuerunt panegyricorum conuentuum apud ſepulchra martyrum, tolerabilia ſane nec reprehendenda, ſed pro ratione illorum temporum in mediis & ſæuiſſimis perſecutionibus vtilia, vt ſcilicet ad imitationem fidei, charitatis & conſtantiæ martyrum, reliqui inuitarentur ac armarentur. Et talis ratio honorandi reliquias Sanctorum manſit in Eccleſia etiam ſequentibus temporibus. Martyrum enim corpora nõ inhumata circumgeſtarunt, cultus & opis impetrandæ cauſa, ſicut Pontificij faciunt: Sed ea reuerenter, & quidem cum periculo ſepelierunt, ſicut Euſebius lib. 7. cap. 16. narrat: Aſſyrium Martyris cuiuſdam corpus humero ſuo ſplendidoq; & precioſo indumento impoſitum detuliſſe, & ſplendidiſſimæ ſepulturæ, quantum conueniebat, tradidiſſe. Et capit. 22. Sanctorum mortuorum corpora complexi ſinu exceperunt, lauerunt & ad ſepulturam ornarunt. Ita Origenes contra Celſum lib. quinto inquit: Humana cadauera vt animæ domicilia, haudquaquam ſunt abiicienda, quippe quæ ex opti-

*Veteres non eleuarunt, nõ circumgeſtarunt, ſed ſepelierunt reliquias.*

ex optimarum legum permiſſu cum honoribus, qui haberi his poſſunt, & ſepultura dignantur. Et lib. 8. Rationalem animam honorare didicimus, & huius organa ſepulchro honorifice demandare. Alibi, vt libro 1. in Iob, meminit precioſi veſtitus, quo mortui ornabantur, quando in terram erant condendi. Loca vero ſepulturæ appellata fuiſſe κοιμητήρια, Euſebius teſtatur libr. 7. capit. 15. Vbi etiam dicit, illa à perſecutoribus erepta fuiſſe Chriſtianis, vt ſcilicet non potuerint ibi ſuas panegyres celebrare. Ita Tertullianus in Apologetico dicit: Romæ in eodẽ cœmiterio, in via ſcilicet Oſtienſi, ſuo tempore extitiſſe monumentum Petri & Pauli. Et Euſebius ex Caio quodam ſcriptore Eccleſiaſtico idem confirmat. Tunc igitur Sanctorum corpora nondum monumentis eruebantur, ſed ſinebantur in cubiculis ſuis dormire. Cyprian. libr. 3. Epiſt. 6. diligenter iubet annotari dies, quibus Martyres decedunt, vt commemorationes eorum in Martyrum memoriis celebrari poſſint, ſicut ex Epiſtola Smyrnenſi iam oſtendimus. Et apud Euſeb. lib. 7. Epiſt. Hieracis inquit: Cum ab omnibus pulſi morti traderetur, etiam tunc feſtum egimus, & quilibet ſingularum afflictionum locus panegyricus nobis fuit, ager, ſolitudo, nauigium, diuerſorium, carcer, &c. Hæc in certis hiſtoriis ita deſcripta extant, in quibus nihil eorũ capitum, quæ de põtificia veneratione reliquiarum ſupra expoſuimus, ſed ea tantum legimus, quæ in Epiſt. Smyrnenſi explicauimus, de honeſta ſcilicet ſepultura, & de panegyricis commemorationibus Martyrum. Quæ vero præterea ſuppoſititia, dubia, & falſa ſcripta ſub nomine & titulo Romanorũ Pontificum feruntur, eorum, quia nec poſſunt nec debent veritati teſtimoniũ præbere, merito non habetur ratio. Tali igitur reuerentia & veneratione tractatæ & habitæ fuerunt reliquiæ Sanctorum in primitiua Eccleſia, vltra annos trecentos.

*Qualis veneratio reliquiarum primis trecentis annis.*

*Hæretici damnati propter contumelias reliquiarum.*

Porro in veteri Eccleſia etiam hæretici quidam damnati fuerunt, ideo quod reliquiis Martyrum non deferrent debitos honores. Hiſtoriæ vero oſtendunt, cauſas damnationis non fuiſſe illas, de quibus Pontificij in hac controuerſia dimicant, ſed longe alias. Et hæc ipſa conſideratio de hæreticis aliquid lucis huic controuerſiæ affert. Baſilides igitur, ſicut ſupra oſtendimus, ideo damnatus fuit, quod Martyria diceret non neceſſaria, ſed inutilia & vana eſſe, ac propterea ipſos Martyres, ſicut Irenæus loquitur, ſperneret. Caianos ſcribit Hieronymus à Tertulliano damnatos, eo quod reliquias Martyrum non honorarent. Illos vero Auguſtinus dicit carnis reſurrectionem negaſſe. Ratio igitur & cauſa manifeſta eſt. Concilium Gangrenſe canone 20. damnat eos, qui panegyricas Martyrum ſolennitates, quæ tunc eo fine & modo ſicut oſtenſum eſt celebrabantur, damnabant. Atq; inde ſumptum eſt, quod in libello de dogmatibus Eccleſiaſticis capit. 73. ſcribitur, Sanctorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias, tanquam Chriſti membra ſynceriſſime honoranda, & Baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca ſancta diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur. Verba vero canonis Gangrenſis hæc ſunt: Si quis per ſuperbiam tanquam perfectum ſe exiſtimans, conuentus, qui ad memorias martyrum fiunt, abominatur, & miniſteria, quæ in eis fiunt, ſimul cum eorum memoriis execratur, anathema ſit. Lindanus huic canoni falſo affingit, quaſi Euſtachium ob reprehenſa & non ſeruata illa capita in veneratione reliquiarum, de quibus Pontificios dimicare in principio diximus, damnarit. Sed illis temporibus tales ſuperſtitiones nondum inuaſerant Eccleſiam. Et acta Gangrenſis Concilij, in præfatione & concluſione, cauſam ita exponunt, vt opus ſit diuinationibus. In præfatione enim partes Gangrenſes dicunt, quoſdam priuata conuenticula in ædibus celebrare, & loca ſanctorum martyrum contemnere, & eos, qui illic conueniunt, reprehendere. In concluſione vero ſuam ſententiam his verbis explicant: Nos domos Dei honoramus, & conuentus, qui in his fiunt, tanquam ſanctos & vtiles ſuſcipimus, pietatẽ in priuatis domibus non claudentes: ſed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem ſanctam in Eccleſia ad vtilitatem communem factam recipimus. Eſt itaq; etiam ratio Gangrenſis canonis manifeſta. Ita veteres Porphyrium, Iulianum, cum reliquis Ethnicis, in hac diſputatione damnarunt, quod dicerent, corpora & oſſa Sanctorum eſſe rem immundam & abominabilem, contaminantem & vrbes & homines, ſicut Cyrillus contra Iulianum & Theodoretus contra Græcos recitant. Eunomius etiam cum ſuis ſectatoribus Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum, ſicut Hieronymus ſcribit, non ingrediebantur. Cauſa vero non eſt obſcura. Eunomius enim diuinitatem Chriſti negabat. Cum vero Martyres doctrinam & fidem de eius diuinitate ſanguine ſuo obſignaſſent, & Deus miraculis, quæ ad ſepulchra Martyrum edebantur, fidem illam Martyrum confirmaret: Eunomij ſectatores, ne ea, quæ Magiſtri ſui doctrinæ contraria eſſent, ipſo facto approbare viderentur, nolebant ſe aggregare conuentibus Eccleſiaſticis, qui in memoriis Martyrum celebrabantur, quia ibi præcipue Martyrum fides de Chriſto vero Deo & homine ad imitationem prædicabatur. Hos hæreticos ante Hieronymi tempora in hac cauſa ab Eccleſia damnatos fuiſſe conſtat. Inde vero nequaquam probantur aut ſtabiliuntur Pontificij cultus reliquiarum. Cauſæ enim damnationis, ſicut oſtenſum eſt, tales fuerunt, quę nihil aliud quam ſententiam Epiſtolę Smyrnenſis oſtendunt & confirmant. Et quidem Vigilantius etiam ſi id quod Hieronymus ipſe tribuit ſenſit, Reliquias ſcilicet Martyrum immundas eſſe, cilicio colligendas, & in ſterquilinium proiiciendas, merito damnatus fuit. Adorationem certe ne Hieronymus quidem probare audet. De circumgeſtatione vero mox dicemus.

*Baſilides.* *Caiani.* *Concilium Gangrenſe.* *Euſtachius.* *Porphyrius. Iulianus.* *Eunomius.* *Vigilantius.*

*Seminaria ſuperſtitionis in veneratione reliquiarum quando & quomodo.*

Hactenus igitur Pontifices ſuæ venerationis reliquiarũ, ſicut eam in principio deſcripſimus, verum aut firmum patrocinium ex probatis hiſtoriis antiquitatis primitiuæ Eccleſiæ, per annos trecentos & amplius, nullũ habere poſſunt. Quæ enim hactenus deſcripta ſunt, ſcripturæ ſunt conſentanea, & pro ratione illorum temporum, ſine ſuperſtitione ad ædificationem Eccleſiæ vtilia fuerunt.

Sed videamus iam porrò quando, quomodo, & vnde res hæc longius progreſſa, ſuperſtitionum ſeminaria ſecum traxerit, quæ à quibuſdam Epiſcopis reprehenſa, à quibuſdam diſſimulata, à quibuſdam verò etiam laudata & aucta ſunt, vnde eò tandem euaſerunt, ſicut ſuprà pontificias ſuperſtitiones in veneratione reliquiarum deſcripſimus. Sub Conſtantino igitur magno cœptæ fuerunt tranſlationes reliquiarum, ex ſepulchris obſcurioribus, ad monumēta celebriora, quod Conſtantinus ex zelo pietatis non malo fecit. Sicut enim reliqua externa ornamenta, quæ Ethnicæ religioni plauſibilem ſpeciem & authoritatem apud homines conciliarunt, ſtuduit ad Chriſtianam Religionem transferre, vt eam hoc modo etiam gentibus commendabiliorem faceret, ſicut tota eius hiſtoria indicat. Ita cùm videret, gentes Regum & præſtantium virorum corpora, ſi in loco ignobiliori condita eſſent, magna pompa & ſolennitate ad monumēta nobiliora transferre. Quos verò Heroas putabant, in ſplendidiſſimis templis deponere. Sicut Cyrillus libr. 10. contra Iulianum, multis exemplis oſtendit, celeberrima templa gentium fuiſſe olim ſepulchra aut monumenta mortuorum. Nota eſt hiſtoria, quàm regia Pompa, Antigonus Demetrij patris cineres, ex Syria in Græciam deportarit, ſicut eam Volaterranus & Sabellicus ex Plutarcho deſcribūt, quorum verba adſcribam vt ſimilitudo oſtendat, vnde talia in Eccleſiam irrepſerint. Antigonus, aiunt, cum Demetrij patris cineres obuios haberet, magna veneratione illos complexus eſt. Vrna clauſit aurea, purpura & diademate inſtrata, quam regia naui ſublimiter collocauit, circumſtantibus haſtatis iuuenibus armorum fulgore conſpicuis, Xenophane canente ſacrum carmen, ciuitates, ad quas appellebant, vrnæ coronas mittebant, & viros, qui reliquias deducerent. Inde Corinthum remigans, omnibus circa nationibus adeuntibus, cineres illos honorandos præbuit. Cumque Corinthij honores & coronas illis miſiſſent, tandem eas apud Demetriadem depoſuit. Extat etiam apud Plutarchum in Theſeo & Cymone deſcriptio Pompæ, qua Theſei oſſa, poſt annos quadringentos, ex Scyro inſula Athenas à Cymone in ſua triremi tranſlata, & quam ſplendida deductione ac feſtiua celebritate (vtrumque enim ſignificat πομπή) ab Athenienſibus excepta ſint, quaſi ipſe Theſeus in vrbem rediiſſet. Idem etiam de Phocyonis oſſibus ſcribit.

*Conſtantinus cœpit tráſlationem reliquiarum.*

*Ethnicorum exempla.*

*Demetrij cineres tranſlati.*

*Oſſa Theſei tranſlata.*

*Phocionis oſſa.*

Cùm hæc, inquam, conſideraret Conſtantinus, cogitauit talia meritò exhibenda eſſe Sanctorum Dei, Prophetarum, Apoſtolorū, & Martyrum reliquiis, quas gentes pro immundis habebant. Cœpit ergo Sanctorum reliquias ex ſepulchris obſcuriorib. transferre ad loca celebriora, adhibitis ſplendidiſſimis Pompis, quod ſtatim & alij magno ſtudio imitari cœperunt. Ita Hieronymus ſcribit, Conſtantinum ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtuliſſe Conſtantinopolim. Apollo Daphnæus Iuliano ſciſcitanti oraculū indicauit, ſe propter vicinum mortuum (erat enim Babylæ Martyris ſepulchrum vicinum) nō poſſe reſpondere. Cùm igitur Iulianus mandaſſet, vt Chriſtiani Babylæ ſepulchrum auferrent, vniuerſa Eccleſia conueniens, matres & viri, virgines iuueneſque longo agmine thecam Babylæ tranſtulerunt Antiochiam intra ſacrum templi ſeptum, pſallentes per viam. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia. Arcadium narrat Hieronymus, oſſa beati Samuelis, poſt tam longum tempus, de Iudæa tranſtuliſſe in Thraciam, Epiſcopos cineres illius vaſe aureo, ſerico & precioſo linteamine velatos, portaſſe, populos Eccleſiarum à Paleſtina vſque Chalcedonem reliquiis illis occurriſſe, & tanta lætitia, quaſi præſentem viuentemque Prophetam cernerent, ſuſcepiſſe adorantes non Samuelem, ſed Chriſtum, cuius Samuel & Leuita, & Prophetes fuerat. Hæc enim ſunt Hieronymi verba.

*Tranſlatio oſſium Andreæ, Lucæ, Timothei.*

*Babylæ.*

*Samuelis.*

Ex hiſce initiis ſecuta ſunt cateruatim & quaſi certatim innumera huius generis exempla, quorum omnes illorum temporum hiſtoriæ plenæ ſunt. Nam & circa illa tempora, Arriana hæreſi contra diuinitatem Chriſti latè & cum potentia in ipſis Imperatorum aulis graſſante, apud quorundam Martyrum ſepulchra miracula quædam ſanationum edebantur, ad teſtificandam & confirmandam fidem illam Chriſti, pro cuius confeſſione Martyres ſanguinem ſuum effuderant. Huius generis miracula aliquot deſcripta extant apud Auguſtinum de ciuitat. Dei, libro 22. cap. 8. & apud alios eius ætatis ſcriptores. Quæ vt negari omnia nec debent, nec poſſunt, præſertim quæ fidem Chriſti illuſtrant & aſtruunt: Ita pleraque talia ſunt, quæ, ſicut ipſe Auguſti. fatetur, non tanta commendat authoritas, vt ſine difficultate vel dubitatione credantur. A poſterioribus certè ſcriptoribus multa talia adiecta & immixta ſunt, quæ fabulis quam veris miraculis ſimiliora ſunt. Vt quod Nicephorus narrat de duobus Epiſcopis, qui in Nicena Synodo, priuſquam Formula fidei Niceni cōſcriberetur & ſubſignaretur, mortui fuerant, quod poſtea ſuper corpora mortuorū formula illa fidei impoſita, & mane vtriuſque chirographi ſubſcriptione confirmata inuenta ſit, (veritatem ſcilicet à mortuis, Ieſaiæ octauo.) Ita quod de tranſlatione reliquiarum Chryſoſtomi ſcribit, non potuiſſe eas moueri, Theodoſium vero ſcripſiſſe Epiſtolam ad Chryſoſtomum, quæ cum poſita eſſet ſuper pectus ipſius, motum fuiſſe tumulum. Et corpus Chryſoſtomi ante annos 35. mortui, cum in throno Epiſcopali collocatum fuiſſet, dixiſſe: Pax vobis. Alij verò adhuc craſſiora & magis fabuloſa affinxerunt.

*Miracula apud monumenta Martyrum.*

*Multa miracula quæ Auguſtinus vocat dubia.*

*Commentitia miracula.*

Sed occaſione quorundam, vt cœperam dicere, miraculorum, perreptari vndiq; tunc cœperunt omnia antiqua ſepulchra, conquiri oſſa, cōportari fauillæ, quæ vel Prophetæ alicuius, vel Apoſtoli, vel Martyris eſſe putabantur, partim ex antiquis indicationibus, partim ex viſionibus, apparitionibus, ſignis, ſomniis, & aliis indiciis. Factæ autem fuerunt tranſlationes illæ reliquiarum iiſdem ritibus & cæremoniis, quæ in ſolenni deductione funerum vſitatæ tunc erant. Accedebant autem ex gentilium Pompis vrnæ aureæ, & velamenta ſerica, obuiationes, deductiones, ſicut de Demetrij reliquiis ſcriptum, & in tranſlatione Samuelis ſeruatum, oſtendimus. Deponebantur autem Martyrum reliquiæ non ſuper altare, (ſicut nūc in papatu fit) Illum enim locum Chriſto, vt hoſtiæ pro peccatis totius mundi,

*Conquiſitæ reliquiæ.*

*Quibus ceremoniis factæ tranſlationes reliquiarum.*

*Reliquiæ Martyrum ſub altari.*

mundi, deberi exiſtimabant: ſed ſub altari, vt qui Chriſti redempti ſint paſſione, inquit Ambroſius libr. 10. Epiſt. 85. vbi addit: Hunc ego locum prædeſtinaueram mihi. Dignum eſt enim vt ibi requieſcat ſacerdos, vbi offerre conſueuit. Sed cedo locum Martyribus, &c. Et hoc eſt quod Hieronymus dicit, Romanum Pontificem ſuper veneranda oſſa Petri & Pauli offerre, & tumulos ipſorum Chriſti arbitraria altaria. Et quia preces communes ſeu publicæ fiebant in adminiſtratione Euchariſtiæ, dicit Iulianus apud Cyrillum libr. 6. & 10. Chriſtianos apud ſepulchra Martyrum inuocaſſe Dominum.

*Initia tranſlationum tolerabilia.*

Hæc Conſtantini ſeculo noua fuerunt, ſine Scripturæ mandato, & ſine præcedentis antiquitatis exemplo, ex κακοζηλίᾳ quadam ſplendoris in Ethnicis Pompis & ſepulchretis inſtituta. Quæ ſane initio zelo quodam pietatis ſuſcepta vix videri potuerunt habere aliqua ſuperſtitionis ſeminaria. Nam honorificæ illæ tranſlationes & deductiones reliquiarum factæ fuerunt propter ſpem reſurrectionis & glorificationis illarum exuuiarum, quæ in vita fuerant templa Dei, & organa Spiritus ſancti, reſuſcitanda ad vitam & lucem cœleſtem. Et ſicut tempore Pauli, ad ſignificandam ſpem reſurrectionis, actio Baptiſmi viuentib. alicubi ſupra mortuos adminiſtrabatur. 1. Corinth 15. Ita Euchariſtia adminiſtrari potuit ſuper corpora Martyrum ſine ſuperſtitione. Potuit etiam oratio ſine ſuperſtitione ad Deum fundi apud ſepulchra Martyrũ, in illa fide Chriſti, pro qua Matyres mortui fuerant. Ipſa etiam honorifica tranſlatio & depoſitio reliquiarum, quæ erant vel Prophetarum, vel Apoſtolorum, vel Martyrum, præter commonefactionẽ de ſpe reſurrectionis & glorificationis, fuit etiam incitamentum quoddam, ad admirationem fidei & virtutum, quæ prædicãtur de Sanctis, ſicut Chryſoſtomus inquit in Babylam: Poſt ſermonis facultatem ipſa certe Sanctorum ſepulchra, proximum locum obtinẽt, ad animos hominum in ipſos Sanctos intuentium, ad virtutum earũdem æmulationem excitandos, &c. Præterea extra verbum Dei naturalis quędam affectio eſt, ſi quis poſt longum tempus ſpectare poſſet membra illa, quæ in antiquis Prophetis, Apoſtolis & Martyribus, organa fuerunt Spiritus ſancti ad opera præſtantiſſima. Sicut Auguſtus Imperator Alexandriam ingreſſus, id quod primum in ea vrbe optauit conſpicere, Alexandri Magni corpus fuit, quod & floribus totum conſperſit & coronæ proſecutus eſt honore. Ita Chryſoſtomus inquit, Hom. 22. in epiſtol. ad Roman. Ego Romam celebro, non propter marmoreas columnas, & aliam Phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ, Petri ſcilicet & Pauli corpora. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerem corporis illius, ſtigmata Chriſti geſtantis, puluerem, inquam, oris illius, per quod Chriſtus locutus eſt. Vellem videre ſepulchrum, quo recondita ſunt arma illa iuſtitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tum verò cum in hac vita eſſent mortua: quæ mundo fuerunt crucifixa membra Chriſti, quæ Chriſtum induerant, quæ templum Spiritus ſancti, ſanctaq; fuerant ædificatio, quæ ligata erant ſpiritu confixa timore Dei, habentia ſtigmata Chriſti, &c. Idem Homil. 8. in Epiſtol. ad

*Euchariſtia & orationes ad ſepulchra martyrum.*

*Naturalis affectio erga reliquias.*

*Auguſtus reliquias Alexandri conſpicit.*

*Chryſoſtomus optat videre poſſe reliquias Pauli & Petri.*

Epheſios: Vellem nunc etiam eſſe in illis locis in quibus iſta dicuntur eſſe vincula, cuperem videre cathenas illas, quas verentur & horrent dæmones, venerantur verò Angeli, quod ſi liberum fuiſſet per curas Eccleſiaſticas, & corpus habuiſſem validum, nihil vtique cauſatus fuiſſem, quo minus tanta ſuſcepta peregrinatione, cathenas duntaxat illas, & carcerem, vbi ligatus fuit, vidiſſem, &c. Ita Antonius tunicam palmeam Pauli Heremitę tanti fecit, vt diebus ſolennibus tantum illa amiceretur. Theodoſius etiam iunior ſago quodam Epiſcopi Chibronenſis indui pro gloria ducebat. Et thronum Iacobi primi Epiſcopi Hieroſolymitani, ad ſua vſque tempora ſeruatum fuiſſe ſcribit Euſebius. Hæc ideo dico, quæ enim ſimplici intentione & abſque ſuperſtitione facta ſunt, non temere traducimus aut damnamus, ſed quo ad eius fieri poteſt, excuſamus, & libenter in meliorem partem, quantum quidem per aduerſarios & ſine detrimento veritatis fieri poteſt, interpretamur.

*Tunica Pauli Heremitæ.*

*Thronus Iacobi.*

Sed tamen diſſimulari non poteſt, nouas iſtas & electitias deuotiones erga reliquias, ſine ſcripturæ teſtimonio, & abſq; vetuſtiſſimæ Eccleſiæ exemplis ſuſceptas, ſtatim poſt initium habuiſſe ſeminaria ſuperſtitionis, tanquam communiter accidens aut potius tanquam accidens inſeparabile adiuncta. Sicut enim Pompa tranſlationis reliquiarũ ad Ethnicorum æmulationem, ſicut oſtendimus, inſtructa fuit: Ita ſimul cũ Ethnicis Pompis adhæreſcentes etiã gentiles ſuperſtitiones in Eccleſiam irrepſerũt. Nota enim eſt hiſtoria apud Plut. in Theſeo: Quod Athen. in Marathone pugnãtes, dicantur vidiſſe ſpectrũ Theſei, in armis pro Athen. pugnans & Barbaros inuadens. Poſtea Apollo per oraculum monuit Athenienſes, vt oſſa Theſei inquirentes Athenis deponerent, & religioſa veneratione ſeruarent, atque ipſum tanquam Heroa, hoc eſt, tanquam munimentum & præſidium vrbis, ſacrificiis, & inuocationibus colerent. Epiphanius ſcribit, Ægyptios gentiles, locum, vbi Ieremias ſepultus fuit, magna deuotione & religione coluiſſe, ea opinione, quod ab ipſo Aſpides & Crocodili profligarentur. Ita Ælianus de varia hiſtoria lib. 12. narrat: Alexandri Magni corpus per triginta dies inhumatum iacuiſſe. Poſtea Ariſtandrum nomine correptum dixiſſe: Cum Alexander omnium ſeculorum Reges felicitate ſuperaſſet, ſibi à Diis patefactum eſſe, in quacunque terra corpus ipſius requiem eſſet habiturum, eam felicitate abundantem, & ab hoſtili vaſtatione liberam fore. Inde inter ſucceſſores Alexandri ortam contentionem, ſingulis conantibus corpus illud in ſuum regnum transferre, quaſi obſidem firmitatis & immobilitatis Imperij. Tandem verò Ptolomæum præ cæteris præueniſſe, & in Alexandriam Ægypti illud tranſtuliſſe, &c. Polydorus etiam, ex Dionyſio oblationem cereorum oſtendit fuiſſe partem cultus gentilitij. Et ſupra diximus de floribus, roſis, & Coronis, quæ reliquiis oblata fuerunt ab Ethnicis.

*Quomodo ſenſim irrepſerit ſuperſtitio.*

*Athenienſiũ perſuaſio de oſſibus Theſei.*

*Aegyptiorum de Ieremia reliquiis.*

*Aelianus de Alexandri reliquiis.*

*Cerei & flores Ethnicorũ apud reliquias.*

Hæc gentilitia in Eccleſiam etiam recepta, & nouis additamentis aucta fuiſſe, ex hiſtoriis patet. Suſceptis enim tranſlationibus reliquiarum, mox addita fuit perſuaſio: Sanctos ſeu Martyres illius vrbis ſeu regionis, vbi reliquiæ ipſorum depoſitæ erant, columnas, turres, munimenta, præ-

*Perſuaſio de Laribus traſlata ad reliquias Sanctorum.*

ta, præſidia eſſe, ſicut Baſilius in 40. Martyres & in Manantem Martyrem declamitat. Sicut apud Romanos propter vrnas, quibus in fornicibus domi quiſq; ſuorum oſſa & cineres depoſita habebat, Lares & Penates in domibus, tanquam tutelares, patronos, & protectores familiæ colebant, & in neceſſitatibus inuocabant, ſicut Seruius in multis locis annotat. Ex tranſlationibus mox factæ fuerunt circumgeſtationes reliquiarum, vt apud Hieronymum contra Vigilantium. Et apud Auguſtinum, cùm in tranſlatione reliquiarum Stephani mulier cœca illuminata eſſet: mox Lucillus Epiſcopus circumgeſtationem memoriæ Stephani inſtituit. Ac quia aliquando quædam miracula ad reliquias edebantur, omnes, in quibuſuis infirmitatibus & neceſſitatibus eo currebant, flores apud Auguſtinum, oraria, tunicas apud Ambroſium, ſepulchris illis ſeu vrnis iniectas, ſi reciperet, tanquam amuleta & præſeruatiua geſtabant, Martyres ipſos ſuis cineribus adeſſe opinabantur. Nec Deum tantùm: ſed ipſos etiam Martyres apud memorias illas inuocabant, ſentiebāt gratiam & virtutem diuinam oſſibus illis inſidere, ideo inuocationibus & aliis cultibus eam apud reliquias quærebant: ſicut Baſilius in Pſalm. 115. diſputat. Nec tantùm curationes corporales ibi quærebant, ſed fingebant Spiritualem gratiam, vt ſanctimoniam & charitatem, dari & augeri per contactum, exoſculationes ſeu complexus reliquiarum, vt Nyſſenus in Theodorum Martyrem rhetoricatur. Apud Auguſtinum quidam reliquias Martyrum imponunt ægrotis. Tunc etiam circa Hieronymi & Auguſtini tempora cœperunt diuulſiones reliquiarum, vt diſtributæ in variis locis viſerentur. Ita apud Auguſtinum de Ciuit. libro 21. cap. 8. reliquiæ Stephani in aliquot locis Aphricæ extabant, cùm apud Theodorum Lectorem ſub Theodoſio iuniore, Stephani integræ reliquiæ ſcribantur Hieroſolymis Conſtantinopolim tranſlatæ. Inde Monachi quidam circumcurſitantes vendere cœperunt reliquias, apud Auguſtinum de opere Monachorum. Mulierculæ claro die ſole rutilante cereos ante tumulos Martyrum accendebant. Apud Hieronymum vulgus vigilias agebat in Cœmiteriis Martyrum, & cibos ſanctificandos eò ferebat. Suſcipiebant etiam peregrinationes ad loca, vbi reliquias miraculis celebres & claras audiebant. Ita ad terram ſanctam, ad limina Petri & Pauli Romam peregrinabantur. Et Auguſtinus epiſt. 137. duos clericos pro amolitione ſuſpicionis furti, ad reliquias Felicis Nolenſis miſſos ſcribit.

*Circumgeſtationes reliquiarum vnde.*

*Concurſus ad reliquias.*

*Amuleta.*

*Inuocatio Martyrum.*

*Gratia inſidens reliquiis.*

*Diuulſiones reliquiarum.*

*Nundinatio reliquiarum.*

*Cerei.*

*Vigiliæ.*

*Peregrinationes ad reliquias.*

Et hęc Pontificij pro ſuis ſuperſtitionibus ſtabiliendis producere ſolent, quaſi ſit Apoſtolica traditio, ſemper, vbiq; & ab omnibus in Eccleſia obſeruata. Sed in Scriptura, nec mandatum, nec exemplum, de omnibus illis obſeruationibus legitur. In verè antiqua etiam & primitiua Eccleſia, in citatis hiſtoriis talia exempla nulla extant. Quod enim in Iuſtini quæſtionibus quædam leguntur: Quòd Martyrum corpora tueantur homines ab inſidiis dæmonum, morboſque curent arte medica incurabiles: Conſtat à Iuſtino quæſtiones illas non eſſe conſcriptas. Nam in quæſt. 82. & 86. citatur Origenes, qui longè poſt Iuſtinum vixit. Et quæſt. 127. Manichæorũ meminit qui poſt annũ Domini 300. innotuerunt. Quando igitur Pontificij in hac de reliquiis diſputatione opponunt antiquitatis titulum, reſpondemus primo: Noſtram antiquitatem eſſe Chriſtum & ſacram ſcripturam. Deinde addimus, Apoſtolicam, & primitiuam Eccleſiam, ſuperſtitioſas illas obſeruationes circa reliquias Sanctorũ, quas iam recenſuimus, vltra annos trecentos & amplius ignoraſſe. Irrepſerunt autem in Eccleſiam circa annum 400. de quibus temporibus Auguſtinus ipſe conqueritur. Epiſtola 119. Tam multis præſumptionibus plena fuiſſe omnia, vt tolerabilior fuerit Iudęorum conditio, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubiiciebantur. Et ex ramuſculis de ſignis ſeu miraculis quorum quædam vera, quædam commentitia erant, aucta fuerunt hæc omnia. Procliue enim & vſitatum eſt humano ingenio, ex ſignis ſeu miraculis, ſine verbo & mandato Dei, fingere noua dogmata, & inſtituere peculiares cultus, cùm tamen in Scriptura Deus hoc ipſum prohibuerit, & cauendum mandauerit, Deut. 13. Matthæi 24. 2. Theſſal. 2.

*Sine Scriptura & primitiua Eccleſiæ exemplo.*

*Quæſtiones Iuſtini titulo.*

*Antiquitas noſtra Chriſtus.*

*Circa annum 400. hæc irrepſerunt.*

*Ex miraculis noui cultus.*

Et tamen illis ipſis temporibus, in iſtis vulgi pullulantibus ſuperſtitionibus, ſingula fermè capita reprehenſa fuerunt. Concilium enim Elibertanũ Canone 34. ita ſtatuit: Cereos per diem placuit in Cœmiterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſiæ communione. Et Canone 35. placuit prohibere, ne fœminæ in cœmiterio peruigilent, eò quòd ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committantur. Extat oratio Gregorij Nyſſeni, diſſuadēs & improbans ſtudium peregrinationis ad terram ſanctam. Hiſtoriæ ſanè gratia veteres quidã ſuſceperunt profectionem Hieroſolymitanam, & Chriſtum, qui in locis illis natus, conuerſatus, & paſſus fuit, in ſpiritu & veritate adorarunt, ſicut Euſebius libro 6. cap. 9. narrat, Alexandrum ex Cappadocia circa annum Domini 200. profectionem inſtituiſſe ad loca Hieroſolymitana, εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, orationis & hiſtoriæ gratia viſendi loca illa. Poſtea pietatis partem non poſtremam quidam in Hieroſolymitana peregrinatione conſtituerunt, quaſi gratia Dei in locis illis amplior, & Spiritus ſanctus abundantior & propior eſſet. Sicut Chryſoſtomus Homilia quinta, ad Antiochenos narrat: Quoſdam ſolitos in Arabiam peregrinari, vt terram illam oſcularentur, in qua Iob ſederat. Nyſſenus igitur peculiari oratione perſuaſiones & ſuperſtitiones illas refutauit ex veris & ſolidis fundamentis. Dicit enim, rem illam ad Regulam Scripturæ, & ad dictum præceptorum Domini exigendam eſſe. An ſit opus à Domino mandatum? Et addit: Si præter Domini præcepta id appareat introductũ, non video quid ſit quod præcipiat velle quid aliquē facere, qui ſe ſibi legem boni fecerit ipſum. Vbi Dominus ad Regni cœlorum hæreditatē appellat benedictos, inter recte facta quæ eo dirigunt profectionē Hieroſolymitanam non enumerauit. Vbi beatitudines enumerat, tale ſtudiũ non eſt complexus. Quod autem neq; beatum efficit neq; ad regnum cœlorum conducibile eſt, qui in eo ſtudium & opera ponatur? Quid verò plus eſt habiturus, qui loca illa adit? Quaſi vero in locis illis Spiritus ſanctus abundet,

*Superſtitiones reprehenſæ à multis.*

*Cerei prohibentur in Cōcilio.*

*Vigiliæ prohibentur.*

*Peregrinatio Hieroſolymitanâ.*

*Ad terram Iobi.*

*Nyſſenus contra tales peregrinationes.*

abundet, & gratia Dei amplior ſit ibi? Imo inquit: Ego ex collatione cognoui, noſtra loca illis exteris longe eſſe ſanctiora. Vos ergo, qui timetis Dominum, in quibus locis eſtis, eum laudate. Localis enim mutatio vt Deus propior ſit nõ efficit: Sed vbi fueris, ad te Deus veniet, ſi animę tuæ diuerſorium paratum inueniet. Quod ſi hominem interiorẽ peruerſis cogitationibus plenum habeas etiamſi in Golgatha, in Olineto, in monumento reſurrectionis fueris, non ſuſcipies Chriſtum. Conſule ergo fratribus, vt à corpore peregrinentur ad Dominum, non è Cappadotia in Palæſtinam. Quia enim Spiritus vbi vult ſpirat, eius igitur illi quoq;, qui hic ſunt ac credunt, participes fiunt iuxta fidei analogiam, non iuxta peregrinationem in Hieroſolyma ſuſceptam: Hæc Nyſſenus.

*Claudius contra peregrinationes.*

Temporibus etiam Ludouici Pij Claudius presbyter publico ſcripto reprehendit ſuperſtitionem illorum, qui pro acquirenda vita æterna Romam peregrinabantur, propterea quod dictum eſſet Petro, Tibi dabo claues Regni cœlorũ. Sed non eſt dictum, inquit Claudius, vt Petrus in cœlo exiſtens, ſoluat eos qui in terra ſunt. Sed quicquid ſolueris in terra &c. Et tandem cõcludit Claudius: Nemo de meritis vel interceſſione Sanctorum confidat, quia niſi eandem fidẽ teneat, per quam illi placuerunt Deo, ſaluus eſſe non poterit, &c.

*Bernhardus diſſuadet peregrinationes.*

Bernhard. etiam Epiſt. 319. Monacho cuidã peregrinationẽ Hieroſolymitanam diſſuaſit, addita hac ratione: Nõ terrenam, ſed cœleſtem Hieroſolymam inquirere Monachorum propoſitum eſt, & hæc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.

*Auguſt. cõtra ſepulchrorum adoratores.*

*Epulæ ad ſepulchra Martyrum.*

Auguſtinus de moribus Eccleſiæ Catholicæ, c.34. inquit: Nolite conſectari turbas imperitorum, qui in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt. Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, noui multos, qui cum luxurioſiſſime ſuper mortuos bibant, & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant. Scribit etiam lib. 8. de ciuit. cap. 27. quoſdã epulas ſuas detuliſſe ad ſepulchra Martyrũ, quas cum inquit, appoſuerint, orant & inferunt vt veſcãtur, ſanctificari ibi eas putantes per merita Martyrũ in nomine Domini Martyrũ. Sed addit: à Chriſtianis mulieribus hoc nõ fieri, & in pleriſq; terrarum nullam talem eſſe conſuetudinẽ.

*Auguſt. diſputat cõtra præſentiam,*

In præcedenti etiam loco de inuocatione Sanctorum oſtendimus, Auguſtinum enim perſuaſionem conuellere, qua opinabantur, ſpiritus Martyrum reliquiis ſuis præſentes adeſſe, & peccatores audire. Illud etiã Baſilij, de gratia & virtute diuina inſidẽte reliquiis ſanctorum, Auguſtinus ita conatur tollere, quod diſputat, Deũ vbicunq; vult, quando & quomodo vult, per Angelica miniſteria, talia miracula apud ſepulchra Martyrum poſſe edere, ſed hęc in præcedenti loco explicata ſunt, vbi & hoc oſtenſum fuit, Auguſtinum improbare, ſi ſancti in precibus inuocentur.

*& inuocationem Martyrum.*

Hieronymus etiam damnat adorationẽ reliquiarum.

*Cyrillus contra iuramenta per reliquias.*

*Falſa reliquia tempore Auguſtini.*

Et Cyrillus lib. 10. contra Iulianum, Sanctorum reliquias dicit non circumgeſtandas, ſed in ſinu Matris in profundis terræ occultandas. Ibidem etiam ſcribit: Ethnicorum ſuperſtitionẽ fuiſſe, per mortuorum reliquias iurare, Mà per eos qui in Marathone, in Salamine, in Artemiſio, in Platæis, cæſi ſunt. Mà per alios qui in vulgaribus ſepulchris ſiti ſunt. Auguſtinus de opere Monachorũ cap. 28. inquit,

*Monachorum circumcurſitationes.*

Tam multos Hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaquam diſperſit, circumeuntes Prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra Martyrum (ſi tamen Martyrum) venditant, & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ precium ſanctitatis.

*Carthaginẽſe concilium de falſis reliquiis.*

In quinta etiam Carthaginenſi Synodo capite 14. conqueruntur patres per ſomnia, & inanes quaſi reuelationes, vbique conſtitui altaria tanquam memorias Martyrum. Et decernunt euertenda altaria, vbi non certæ Martyrum reliquiæ conditæ, fideliſſima origine probatur. Additur autem in illo canone, tales euerſiones propter tumultus populares ſępe non permitti.

*Vulgi ſuperſtitiones ab Epiſcopis diſſimulata.*

Ad multas igitur tales vulgi ſuperſtitiones Epiſcopi ſæpe conniuere coacti fuerunt, ſicut & Auguſtinus inquit: Talia multa propter quarundam vel religioſarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda, liberius improbare non audeo.

*Terra ſancta ſuſpenſa.*

Ita de Ciuita. lib. 22. cap. 8. Quidam terram ſanctam Hieroſolymis allatam, in cubiculo ſuo ſuſpenderat, ne quid mali etiam ipſe pateretur, cum maligni ſpiritus domum infeſtarent. Cumque domus ab illa infeſtatione purgata eſſet, cogitauit quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo ſuo reuerentiæ cauſa habere nolebat. Acceſſiuit Epiſcopos proximos, petiuit vt terra illa alicubi infoderetur, atq; ibi orationum locus fieret. Non reſtitimus, inquit Auguſtinus, factum eſt, &c.

*Auguſtinus. Hieronymus.*

Hieronymus vero aduerſus Vigilantium tales muliercularum ſuperſtitiones magna orationis acerbitate etiam tuetur. Cumque negare non poſſet ex gentilium ritu ſumptum eſſe, quod claro die, ſole fulgente, moles cereorum apud ſepulchra Martyrum accenderentur, ita reſpondet: Quod ſi aliqui per imperitiam & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certe religioſarum fœminarum, de quibus vere poſſumus dicere:

*Cereos quomodo defendat Hieronymus.*

Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde pendis? Neque enim Chriſtus indigebat vnguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, deuotioque mentis eius recipitur. Et quicunq; accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: Vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundet, &c. Fides igitur tunc cœpit haberi, quod quiſque ſine verbo Dei ex ſuo ſenſu præſumebat. Et ex hoc fonte poſterioribus ſeculis ſuperſtitiones ſtabilitæ, & in immenſum auctæ ſunt,

*Singulis Eccleſiis reliquia.*

ita vt nulla Eccleſia adorationes faciendas, vel ad Sacramenta adminiſtrãda, idonea iudicaretur, niſi reliquiis Sanctorum ſanctificata eſſet. De conſecrat. Diſtinct. 1. additæ ſunt prodigioſæ fabulæ de commentitiis miraculis, vnde cultum tandem inſtituerunt, à gentium Idololatria nec genere, nec ſpecie, nec numero differentem.

Sed ſingulas ſequentium temporũ ſuperſtitiones in ſpecie recenſere non eſt noſtri inſtituti. Et pleraq; huc pertinẽtia in præcedenti loco de inuocatione Sanctorũ annotata ſunt. Neq; enim hominum quorumcunq; vel præſumptiones vel conſuetudines: ſed Dei vocem & ſcripturæ veritatẽ ſequi nobis Deo bene iuuante conſtitutum eſt. Atq; ideo primo loco ſcripturæ ſententiãs & exem-

exempla expoſuimus de vera reliquiarum veneratione. Cumque fidelium reliquias hoc modo iuxta ſacræ ſcripturæ præſcriptum honoremus, & honorandas dicamus, immerito accuſamur. Pontificias vero reliquiarum venerationes, quia non tantum à ſcriptura diſſentiunt: ſed propter multiplices ſuperſtitiones cũ Scriptura pugnãt, merito improbamus. Quia vero venerandæ antiquitatis nomine & titulo, ſuperſtitiones ſuas velare conantur, oſtendimus in primitiua & antiquiſſima poſt Apoſtolos Eccleſia, per annos trecentos non fuiſſe illas venerationes reliquiarum, de quibus Pontificii nunc dimicant.

*Scriptura.*

*Primitiua Eccleſia.*

*Inclinatio ad ſuperſtitiones*

Poſtea vero monſtrauimus, quando & quomodo longius in hac re fuerit progreſſum, & ſparſa ſuperſtitionum ſeminaria, quæ tamen à multis fuere reprehenſa, donec res in apertas exiit ſuperſtitiones, pro quibus retinendis Pontificii nunc digladiantur. Quod primum verum, adulterinum quodcunq; poſterius, inquit Tertullianus. Reuocetur itaq; tota controuerſia ad primos fontes, & res plana erit. Veteres pro ratione ſuorum temporum, quæ ad excitandam & confirmandam imitationem fidei, charitatis, & conſtantiæ, in confeſſione & perferendis Martyriis, vtilia iudicarunt, pie ſine ſuperſtitione primum obſeruarunt. Nunc cum talia ſine vſu imitationis tantum ſuperſtitionibus ſeruire cogantur, (nam Tridentinum Decretum de Imitatione nullum verbum facit, ſed opis impetrandæ cauſa omnia hæc fieri & facienda docet) non recte illis prætenduntur exempla antiquitatis: cum quidem ipſæ etiam antiquitatis Hiſtoriæ oſtendant, quam periculoſum ſit, ſine verbo Dei, ex humanis vel præſumptionibus vel conſuetudinibus, peculiares cultus vel inſtituere vel ſuſcipere. Scripturam itaque, iuxta ipſorum Patrum conſiliũ, ſequamur, & ita errare non poterimus.

*Alia ratio veteris Eccleſiæ.*

*Alia Pontificia.*

Reſtat adhuc longa camerina, de impoſturis & fallaciis incertarum, cõmentitiarum, ſeu ſuppoſititiarum, & falſarum reliquiarum: Sed hæc hiſtoria à Caluino peculiari libello inchoata ab aliis, quibus nota ſunt talia, pertexetur.

*Hiſtoria commentitiarum reliquiarum.*

Vtile autem eſſet propter poſteritatem in ſingulis nationibus tales deſcriptiones confici & capſulas reliquiarum inſpici. Ita enim multiplices fraudes detegerentur. Et vſu veniret, quod vir eruditus & grauis Andreas Abbas Amelunxbornenſis narrare ſolet, Anglorum quondam Regi Eduardo ex dentibus laboranti accidiſſe: Cum enim ille mandaſſet Apolloniæ dẽtes, quæ vbique in Regni ſui Eccleſiis in reliquiis ſeruabantur, ad ſe mitti. Tot ex vnius Regni reliquiis, Apolloniæ dentes coaceruati fuerunt, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerunt. Aut quod circumforaneo cuidam patrum memoria accidit, qui cum plumas Spiritus ſancti ſe circumferre in reliquiis iactabat, faceti quidam homines clam aperta capſula, carbones loco plumarum ſubiecerunt. Cumq; poſtridie præmiſſa longa præfatione, de plumis ſuis præfatus fuiſſet, & populus adorabundus aſtaret, aperiens capſulam pro plumis carbones inuenit. Is vero artis ſuæ non immemor, inuerſa oratione cœpit declamare, eſſe carbones craticulæ Laurentij ſubreptos. Sed hoc argumentum aliis relinquam, & ad ſequentia progrediar.

*Dentes Apolloniæ.*

*Plumæ Spiritus ſancti.*

*Carbones Laurentij.*

Vnicum tantum adhuc locum adſcribam ex Euſebio, vnde intelligi poterit, qua fide veterum teſtimoniis abutantur Pontificij. Ita ergo Euſebij locum tanquam ex Trapezuntij verſione citant Pontificij. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites vt Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaq; ipſis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum iuuari profitemur. Hæc Pontificij.

Inſpexi autem locum Euſeb. lib. 43. de præparatione Euangelica, cap. 7. & deprehendi, eſſe manifeſtum crimen falſi. Euſebius enim nequaquam dicit, fideles ipſis Martyribus vota ſeu ſupplicationes facere, ſed dicit, id quod antea ex aliis etiam patrib. oſtendimus, ſolitos Chriſtianos apud monumenta martyrum Deum inuocare. Totum autem locum Euſebij adſcribam, oſtendit enim quomodo ex κακοζηλία gentilium Philoſophorum & Poëtarum ſeminaria ſuperſtitionum ſenſim in Eccleſiam irrepſerint, vel tandem non ęquarint tantum, ſed & ſuperarint gentium ſuperſtitiones.

Euſebius igitur exiſtimauit, complures ex gentibus acceſſuros ad fidem Chriſti, ſi oſtenderetur, doctrinam Eccleſiæ non alienam eſſe a Philoſophorum & Poëtarum ſententiis: inſtituit itaq; in illis libris conformitatem doctrinæ Platonis & Eccleſiaſticæ. Et ex Platone hæc verba deſcribit, quomodo oporteat honorare mortẽ eorum qui glorioſe vitam commutarunt? Reſpondet Plato, qui in militia cum gloria mortui ſunt, nonne dicimus aurei generis eos eſſe? Omnino credemus Heſiodo, quomodo quidam huius generis moriuntur, quod illi δαίμονες ἁγνοὶ ἐπιχθόνιοι τελέθουσι, ἐσθλοί, ἀλεξίκακοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων. hoc eſt, quãdo Heroes moriuntur, inde fiunt dæmones puri, obuerſantes in terris, boni, depulſores malorũ, & cuſtodes hominum. Addit autem Plato, in poſterum igitur vt demones factos οὕτω θεραπεύσομεν, καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας, ita colemus eos, & monumenta eorum adorabimus.

Huic Platonicæ ſententiæ Euſebius ſubiicit hæc verba. Hæc Platonica recte accõmodantur ad mortem θεοφιλῶν religioſorum, quos recte dixeris milites verę pietatis: ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε καὶ τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχάς, ὡς εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ᾽ ἡμῶν γιγνομένων. hoc eſt, vnde & moris nobis eſt ad monumenta ſeu loculos eorum accedere, & apud illa vota ſeu precationes facere, honorareq; beatas ipſorum animas, tanquam probabiliter ſeu rationi conſentanea hæc à nobis fiant. Et tandem concludit Euſebius. Hæc Plato & alij σύμφωνα τοῖς ἡμετέροις δόγμασι, dogmatibus noſtris conſonantia ſeu conſentanea.

Manifeſtum igitur eſt quod ex gentium ritibus, vt rationi conſentaneis, talia in Eccleſiam irrepſerint. Cumq; Plato dicat, ipſa monumenta Heroum adorari, Euſebius non dicit, Chriſtianos idem facere: ſed dicit, Chriſtianos apud ſepulchra martyrum orationes ſeu vota facere ad ipſum Deum, ſicut Iulianus apud Cyrillum conſuetudinẽ illam Chriſtianorum recitat, id quod ſupra oſtendimus.

DE

## DE IMAGINIBVS DECRETVM TRIDENTINUM.

*IMagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, eiſq; debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur ineſſe aliqua in iis diuinitas vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant: ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi Decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.*

*Illud verò diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis picturis vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei commemorandis & aßiduè recolendis: Tùm verò ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi, non ſolùm quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt: ſed etiam quia Dei per ſanctos miracula & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubiiciuntur, vt pro iis Deo gratias agant, ad ſanctorumq; imitationem, vitam moreſq; ſuos componant, excitenturq; ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his Decretis contraria docuerit aut ſenſerit, anathema ſit.*

*In has autem ſanctas & ſalutares obſeruationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri ſancta Synodus vehementer cupit, ita vt nullæ falſi dogmatis imagines & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poßit. Omnis porrò ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis deniq; laſciuia vitetur, ita vt procaci venuſtate imagines non pingantur nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes atque ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum ac laſciuiam agantur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia & cura ab Epiſcopis adhibeatur, vt nihil inordinatum aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil prophanum, nihilq; inhoneſtum appareat, cum domum Dei deceat ſanctitudo.*

*Hæc vt fidelius obſeruentur, ſtatuit ſancta Synodus nemini licere vllo in loco vel Eccleſia, etiam quomodòlibet exempta, vllam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo. Qui ſimul atq; de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus grauior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani & Comprouincialium Epiſcoporum in concilio prouinciali ſententiam expectet: ita tamen, vt nihil inconſulto ſanctiſsimo Romæ. Pontifice nouum aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.*

## QVIS SIT STATVS CONTROVERSIAE DE *imaginibus.*

VALDE mirandum eſt de Imaginibus ſeu ſtatuis, hoc eſt, de re, in qua religio Chriſtiana & pietas nulla ex parte ſita eſt, tàm atroces, hoſtiles, atque adeo cruentas dimicationes in Eccleſia ortas fuiſſe, ſicut poſtea oſtendemus. Fuerunt enim & olim, & adhuc ſunt, qui acerrimè contendunt, nullas prorſus imagines, etiam ſi nec ad cultum proſtent, nec ad adorationem proponantur, tolerandas eſſe: quod quidam de ſolis templis ſiue locis, vbi ad cultum diuinũ conuenitur, intelligunt: quidam verò in genere, in nullis etiam priuatis locis, Sanctorum imagines tolerandas docent. Illi igitur neceſſitatem de imaginib. per ſe nec faciendis, nec habendis, nec tolerandis imponunt conſcientiis, & partem pietatis non poſtremam in demoliendis imaginibus collocant, ac religionem non minima ex parte inde æſtimant, ſi vel habuerint vel viderint Templa imaginibus ſimpliciter & prorſus vacua. Pontificij econtrà in Tridentino Decreto prorſus neceſſitatem faciunt, de imaginibus in templis habendis & retinendis, tanquam parte nõ poſtrema religionis, pietatis, & cultus diuini: imò docent imaginibus honorem, atque adeo cultum exhibendum, & quidem eodem cultu, qui rei per imagines ſignificatæ debetur venerandas: vt, ſi ſit Dei vel Chriſti imago, eam cultu λατρείας & adorationis, ſicut Deum ipſum venerandam: ſi Mariæ, cultu ὑπερδουλείας: ſi Sanctorum, cultu δουλείας: ſicut Antonius ex Thoma docet, & ſicut ex Pſeudoſynodo Nicena poſtea oſtendemus. Imò Pontificiorum templa tantùm non clamitant, imagines in illis, auro, argento, gemmis, ſerico, honorari, votis, cereis, ſuffitu, anathymatis, oblationibus, templis, aris, feſtis, ceremoniis, ſalutationibus, incuruationibus, genuflexionibus, expanſione manuum, apertione capitis, imò precibus & inuocationibus coli, & in publicis ſupplicationibus circumferri. Lutherus verò iuxta regulam ſcripturæ, imagines, repræſentantes veras atque vtiles hiſtorias, inter adiaphora poſuit, quæ ornatus, memoriæ, ſiue hiſtoriæ gratia, ſine ſuperſtitione haberi poſſint: & tamen ſi non habeantur, religioni & pietati nihil decedat. Cultum verò imaginum verbo Dei prohibitum & damnatum eſſe oſtendit. Superſtitioſas igitur opiniones de imaginibus per doctrinam verbi diuini, animis hominum eſſe eximendas: & ſi quæ imagines ad cultum proſtent, eas publica authoritate eſſe tollendas, ac ſi ex imaginib. periculum idololatriæ timendum ſit, eas potius abolendas eſſe docuit. Hæc vt eò commodius explicari poſſint,
Primò de Ethnicorum imaginibus & ſtatuis I.
quædam annotabimus. Secundò oſtendemus, II.
quæ ſit doctrina veteris & noui Teſtamenti de
imaginibus. Tertiò monſtrabimus in primiti- III.
ua Eccleſia imagines non fuiſſe adhibitas ad
cultum diuinum. Imò ne in oratorio quidem,
vbi Eccleſia ad cultum diuinum conueniebat, IV.
facile fuiſſe admiſſas. Quartò annotabimus,
quomodo & quando cœperit vſus imaginum

*Quidam omnem vſum imaginum damnant.*

*Pontificij imagines colunt & adorant.*

*Lutherus imagines ponit inter adiaphora.*

in Eccleſia: & quæ poſtea de imaginibus fuerint certamina, & in quas tandem ſuperſtitiones euaſerint, quas non corrigere, ſed retinere & ſtabilire conantur Tridentini patres.

*DE VSU IMAGINUM apud Ethnicos.*

Quia ea quę in Scriptura de ſimulachris tradũtur, ad Ethnicas ſuperſtitiones potiſſimùm reſpiciunt, atq; ex gentilium illis conſuetudinibus multa poſtea in Eccleſiam etiam irrepſerunt, primo loco quædam de origine, atq; vſu imaginum, apud Ethnicos annotabimus. Illa enim collatio multum lucis huic controuerſiæ adferet. Non autem integram huius rei hiſtoriam ex ſcriptoribus colligemus, quo ſcilicet tempore, & à quibus authoribus initium ſumpſerit vſus ſimulachrorum apud Ethnicos, nec quid ſingulis temporibus de ſimulachris actũ ſit apud Ethnicos: alterius enim argumenti hęc ſunt, ſed quę ad propoſitum noſtrum inſtitutum facere videbuntur, breuiter ex certis ſcriptoribus annotabimus. In libro igitur Sapientiæ extat illuſtris & prolixa deſcriptio de origine & cultu ſimulachrorum. Nã c. 14. ita ſcribitur, ἀρχὴ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων. Initium ſcortationis (ſcilicet ſpiritualis) eſt excogitatio ſimulachrorum, & adinuentio illorum corruptela vitæ eſt, neq; enim erant ab initio, neq; in perpetuum manebunt. Nam κενοδοξίᾳ, hoc eſt, inani hominum gloria ſeu ambitione, in mundum introducta ſunt, atque ideo velox ipſis interitus deſtinatus eſt. Acerbo enim luctu præmaturè abrepti filij, dolẽs pater imaginem fecit, & iam antea mortuũ hominem, nunc tanquam Deum colere cœpit, & domeſticis ſuis tradidit μυστήρια καὶ τελετὰς, religionem ſeu ſacra, ceremonias ſeu ſacrificia. Deinde progreſſu temporis, impia conſuetudo præualeſcens, pro lege ſeruata eſt. Et ob Tyrannorũ mandata ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά, religioſis ceremoniis culta ſunt ſculptilia. Et quos (ἐνόψει) in conſpectu, coràm vel præſentes honorare non poterant (eò quòd procul habitarent) eorum è lõginquo ad viuum expreſſam imaginem regis, quem honorare volebant, repræſentarunt, vt abſentem, tanquam præſentem per adulationem ſtudioſè colerent (κολακεύωσι.) Ad intentiorem autem cultum, imperitiores prouexit artificis eximia diligentia. Ille enim potẽtiori ſtudens placere, ſimilitudinem arte elaborauit ad ſummã elegantiam. Vulgus verò opificij venuſtate abductum, quem paulò antè vt hominem honorarat, mox vt numen colendum (σέβασμα) exiſtimat. Et hæc fuit vitæ humanæ ſeductio, quòd homines in ſeruitutẽ redacti, incommunicabile nomen lignis & lapidibus impoſuerũt. Infandorum enim ſimulachrorũ cultus, omnis mali origo, cauſa & finis: Nam inanimatis cõfiſi ſimulachris, vltionem malè facientes non timent. Vtraque ergò de cauſa punientur, & quoniam de Deo malè ſenſerunt dediti ſimulachris, & quòd ſanctitate ſpreta iniuſtè agunt. Et ca. 13. dicit: Artifex vel hominis effigiem, vel animalis ſimulachrũ figurat ex ligno, auro, argento, aut lapide, opus manus antiquæ, & in extructo ad id digno domicilio, in pariete illud collocat, & ferro firmat ne cadat, cum ſeipſum iuuare non poſſit. Huic vota faciens pro ſubſtantia, pro nuptijs, pro liberis, non erubeſcit inanimato loqui, pro ſanitate inuocat infirmum, pro vita rogat mortuum, pro auxilio ſupplicat inopi, &c. Et ca. 15. Agit gratias Deo, quòd nos in errorem non ſeduxit malæ artis excogitatio, adumbratio picturæ, labor infructuoſus, effigies per varios colores ſeu ſculpta, cuius aſpectus inſipientibus dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem, &c.

*Origo ſimulachrorum, Sap. 14.*

Cum hac narratione conſentiunt reliquę etiam Ethnicorum hiſtoriæ. Duplex enim cauſa & vſus imaginum ſeu ſimulachrorũ apud Ethnicos deſcribitur. Alter fuit politicus, hiſtoriæ & gratæ memoriæ cauſa. Ita Volaterranus ſcribit lib. 17. Valerium Meſſalã, qui primo bello Punico conſul fuit, tabulam picturæ prelij, quo Hieronem & Carthaginenſes in Sicilia vicerat, primùm propoſuiſſe in latere curiæ Hoſtiliç. Antiquitùs etiam, ſicut ſcribit Alex. ab Alex. libro 5. cap. 24. ea obſeruata fuit conſuetudo, vt nobilibus viris defunctis, illorum imagines, tàm circa limina domus, quàm pro foribus locarentur, vt defunctorum deſiderium repræſentatæ illæ ſpecies leniret, poſteroſq; ad præclara facinora domi foriſq; obeunda inuitarent. Ita Valerius Maximus ſcribit lib. 8. cap. 16. Scipionis Africani imaginem in cella Iouis poſitam, quæ inde petatur, quotieſcunq; munus aliquod Cornelianæ gentis celebrandum ſit. Et Catonis ſuperioris effigiem in curia poſitam, quæ ad eius etiam generis officia inde expromatur. Et addit Valerius hoc Epiphonema: Gradum ordinem Senatorium qui vtiliſſimũ Reip. ſenatorem tantùm non ſemper ſecũ habere voluit. Et Saluſtius de bello Iugurthino inquit: Sæpe audiui, ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere: Cùm maiorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animũ ad virtutem accendi, ſcilicet non ceram illam neq; figuram tantam vim in ſe habere, ſed memoria rerũ geſtarum eam flammã egregijs viris in pectore creſcere, neq; prius ſedari, quàm virtus eorum famam atq; gloriã adæquauerit. Ac vſitatiſſimum fuit benè de Rep. meritis ſtatuas ponere. Athenienſes enim primi tyrannicidis Harmodio & Ariſtogitoni publice ſtatuas poſuiſſe vidẽtur, ſicut Plinius ſcribit lib. 34. cap. 4. Vbi addit: Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium. Excepta deinde res eſt à toto orbe terrarum humaniſſima ambitione. Etiam omnium municipiorum foris ſtatuæ ornamentum eſſe cœpere, prorogarique memoria hominum, & honores legi, ac baſibus inſcribi. Honores clientum inſtituit ſic colere patronos: hæc Plin. Apud Lacedæmonios, ſicut ſcribit Alexander ab Alex. libro tertio, cap. 7. vſitatum fuit, his qui in re militari fortia geſſerant facinora, ſtatuas & columnas pariter cum elogijs poſt obitum erigere. Rege verò defuncto, ipſius ſimulachrum, ita vt quaſi viuus appareret, in thoro purpura & auro inſtrato effingere. Et Miltiadi ob egregiam in pugna Marathonia nauatam operam, hunc honorem Athenienſes tribuerunt, vt imago eius exſculpta in publica porticu poneretur. Ita Phocioni & Socrati iniuſtè damnatis poſt mortem ſtatuæ ab Athenienſibus erectæ ſunt.

*Vſus imaginum politicus apud gentes.*

*Valerius Meſſala.*

*Maiorum imagines.*

*Scipionis.*

*Catonis imago.*

*Statua benè meritis poſita.*

*Athenienſes primã ſtatuam.*

*Lacedæmo. ſtatuæ.*

Alexander Magnus, centum viginti equites qui in campis Adraſtæis ceciderãt, equeſtribus

ſtatuis

*Romanor. ſtatua.*

ſtatuis donauit. Romani etiam, ſicut ſcribit Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 7. Iis qui domi vel foris egregiè ſe geſſiſſent, poſt mortẽ in noſtris imagines in memoriam poſteritatis plerunque cereas aut marmoreas, vel etiã ęneas columnas, cum trophæis & titulis publico cõcilio, erigebant, & res geſtas monumentis inſculpebãt.

*Coclitis. Sceuola. Grachi.*

Ita Horatio Cocliti ſtatua in Vulcanali poſita fuit. Mutio etiã Scæuolæ honoris gratia ſtatua erecta. Et Tito Sempronio Gracho publico ſenatus conſulto ſtatua conſularis in templo fuit collocata, cum inſcriptione: Reſtitutos ab eo mores.

*Philoſophorũ & Poëtarum imagines.*

Philoſophis etiam, Oratoribus & Poëtis ſtatuæ poſitæ ſunt, vt Homero, Colophoni, Gorgiæ Delphis, Iſocrati in Olympiis, Menedemo, Demoſtheni, Beroſo Athenis, Mithridates Platoni, Ptolomæus Philopater Homero, Mantuani Virgilio ſtatuam poſuerunt. Poſtea viuis etiam honoris & gratitudinis ergò ſtatuæ poſitæ ſunt. Et quando memoriã alicuius delere, vel nomini ignominiam inurere volebant, ſtatuas vel deiiciebant, vel contumelioſè tractabant. Exemplorum plenæ ſunt omnes hiſtoriæ.

*Antonini imagines.*

Et quod amoris ac honoris indicia fuerint, oſtendit hiſtoria M. Antonini apud Fulgoſiũ. Ipſo enim mortuo, velut ſacrilegus fuit habitus ciuis, qui domi eius non habuiſſet imaginem, dignum ducentes, vt aut metallo, aut ſaltem pictura eius virtutis ſeruarent memoriam, cuius vitam diuturniorem fata paſſa non erant. Sicut contrarium Neroni & Domitiano antè acciderat, quorum memoriam propter ſceleratam vitam extinguere quæſierunt.

*Conſtantini imagines.*

Ita Euſebius de vita Conſtantini libro quarto ſcribit. Romanos audita morte Conſtantini, non vocibus tantùm proclamaſſe, Conſtantinum beatum, Deo amabilem, & verè imperio dignum: ſed re ipſa etiam hoc declaraſſe, Mortuum tanquam viuentem (εἰκόνος ἀναθήμασι) ſuſpenſis pictis tabulis, effigiem eius referentibus honorantes. Cùm enim cœli effigiem coloribus expreſſiſſent, ipſum ſuper cæleſtes orbes, in æthereo cœtu requieſcẽtem depinxerũt. Et poſtea addit Conſtantinum (εἰκόνων ἀναστάσεσι) erectis imaginibus vnà cum filiis ſuis apud omnes gentes honoratum, & in numiſmatis effigiem eius exſculptam.

*Superſtitioſus imaginũ vſus apud Ethnicos.*

Hactenus de politico imaginum & ſtatuarum apud Ethnicos vſu diximus, cui mox vel acceſſit vel ſucceſſit ſuperſtitioſus & idololatricus cultus. Nam & politicæ quædam imagines in ipſa templa collocatæ, ac puluinaribus Deorum impoſitæ ſcribuntur.

*Cerei, ſuffitus, corona, ſacrificia, ſupplicationes, imaginibus.*

Vulgi etiam adulatio præter flores & coronas, ſuffitu etiam, ſeu incenſo & cereis ſtatuas venerabatur. Ita Cicero 3. Officiorum de ſtatuis, C. Mario à multitudine poſitis ſcribit: Omnibus vicis ſtatuæ factæ ſunt, & ad eas thus & cerei: Imperatores etiam quidam partim ſubornabant, partim imperitabant ſtatuis ſuis ſuffitus, ſacrificia, ſupplicationes, anathymata, & alios diuinos honores exhiberi. Sicut hiſtorię de Nabuchodonoſore, de Alexãdro Magno, de Antiocho, de Caligula, Domitiano, Heliogabalo, Cõmodo & Diocletiano, referũt.

*De Alexandri imagine geſtata.*

Eſt & ſuperſtitionis non exigua pars, quod Polydorus ſcribit: Romæ Marcianorum familiam ſolenne ſemper habuiſſe, vt Alexandrum Magnum viri in auro & argento, mulieres in reticulis & annulis exſculptum geſtarent, eò quòd ſicut Iulius Capitolinus teſtatur, diceretur iuuari in omni actu ſuo, qui Alexandrum auro aut argento ſculptum geſtaret.

*Templa gentium primò abſq; ſimulachris.*

Deorum verò, ſiue vt rectius loquar, Idolorũ ſimulachra apud gentes tandem omnia delubra implerũt, & diuinum cultum totum ad ſe rapuerunt. Antiquitus quidem multæ gentes abſq; ſimulachris Deum colebãt.

*Perſa.*

Perſas enim nec ſtatuas nec aras Diis ſuis erexiſſe ſcribũt Herodotus & Strabo.

*Aegyptij.*

Aegyptiis licet Templa marmore & auro eſſent luxu ingenti & mira arte elaborata, tamen Deorum imagines ipſis habitas fuiſſe deridiculas ſcribit Alex. ab Alex. lib. 2. capite 22.

*Spartani.*

Vbi etiam addit: Etiamſi Licurgus apud Lacedæmonios multarum ceremoniarum inſtitutor fuerit, nullam tamen apud ipſum fictã Deorum imaginem fuiſſe, quippe qui hominum aut animalium ſpecies Diis tribui ſemper vetuerit.

*Seres. Germani.*

Euſebius de præparat. libro 6. ſcribit apud Seres lege exceptum fuiſſe, ne ſimulachra colerentur. Tacitus ſcribit: Germanos priſco tempore, nec Deos cohibere parietibus, neque vllam humanioris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium fas arbitratos.

*Romani.*

Auguſtinus de Ciuitat. libro 4. capite 31. ex Varrone citat, antiquos Romanos, plus quàm annos centum & ſeptuaginta, Deos ſine ſimulachro coluiſſe. Et addit hæc verba Varronis: Quòd ſi adhuc, inquit, manſiſſet, caſtius Dii obſeruarentur, cuius ſuæ ſententiæ teſtem adhibet Varro inter cætera etiam gentem Iudæam.

*Iudæi.*

Nec dubitat eum locum ita concludere, vt dicat, qui primi ſimulachra Deorum populis poſuerunt, eos ciuitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe, prudenter exiſtimans, Deos facilè poſſe in ſimulachrorũ ſtoliditate contemni.

*Numa.*

Plutarchus in Numa inquit: Hic Romanos prohibuit exiſtimare imaginem Dei (ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον) hominis ſpeciem aut animalis habere formam. Nec fuit apud eos prius vel picta vel ficta Dei ſpecies, ſed in prioribus centum ſeptuaginta annis templa quidem ædificabãt, ſimulachrum verò nullum (ἔμμορφον) effigiatum faciebant, perinde atque nefas eſſet, meliora per deteriorum ſimilitudines exprimere, cùm Deus aliter quàm intelligentia comprehendi non poſſit: Hæc Plutarchus.

*Cultus ſimulachrorum apud gentes.*

Poſteris verò temporibus totã religionẽ & vniuerſum cultũ Deorũ gentes ad ſimulachra & ſtatuas alligarunt: varia enim & multa fingebãt Deorum genera, inter quos vnũ ſtatuebant eſſe magnũ & primũ Deum, qui det omnia, alios appellabãt paruos Deos, à magno illo ortos, qui aliqua dent. Lactantius lib. 1. cap. 5. Epiphanius Tomo 1. libro 5. hæreſi 76. Et inter paruos Deos alios ſelectos appellabãt, à quibus opera maiora in mundo adminiſtrentur, alios plebeos ſeu minorum gentium Deos, vtpote minutis opuſculis deputatos. Auguſtinus de Ciuitate lib. 2.

*Varia Deorum genera.*

cap. 2. Alios bonos, quos obſequiis lætis, vt prodeſſent, propitiabantur & inuocabãt. Alios malos, quos cædibus & ſupplicationibus triſtibus, ne nocerent, placabant. Auguſtin. de Ciuit. lib. 2. cap. 14. Alios vocabãt dęmones, quos Porphyrius mediatores conſtituit inter Deum & homines, lib. 8. cap. 20. Clemẽs in oratione ad gentes dicit, dæmones circa ſepulchra verſari, & poſt Deos cuſtodire homines. Tatianus dicit, Gręcos tribue-

tribuere dæmonibus quòd ſanent morbos. Euſeb. de præpar. lib. 4. cap. 3. dicit, quatuor genera ponit: Primò Deum patrem omnium. Deinde aliorum Deorum multitudinem. Tertio loco dæmones, quorum alios bonos, alios prauos arbitrentur. Quartò heroũ animas, & bonos quidem ſumma religione, vt proſint, colendos, malos verò ne noceant, placandos. Singulis autem

*Simulachra in templis.*

Deorum generibus dedicarũt peculiaria tẽpla, delubra, ſacella, fana. Et in his ſingulos deorum peculiaribus repræſentarũt ſtatuis, ſimulachris, ſeu imaginibus ligneis, lapideis, marmoreis, aureis, argenteis, pictis, fictis, ſculptis, fuſis. Et rudiores quidem primùm, ſicut ſcribit Clemẽs in oratione ad gentes, erigebant ligna inſignia, lapides non ſculptos, ſed columnas ex lapidibus: Alij gladium, alij haſtam adorabant. Poſtea arti-

*Peculiaris effigies, habitus, color Deorum in ſimulachris.*

ficum ſtudio illa in ſtatuas effecta ſunt, quas non in templis tantũ, ſed & domi habebant & venerabantur, ſicut tradit Clemens. Et ſingulis Diis peculiarem attribuerunt effigiem, vel hominũ, vel animalium quadrupedum, vel reptilium, vel aquatiliũ, vel volatiliũ, & ſingulas ſtatuas certis habitibus & coloribus diſtinxerunt, ſicut Arnobius deſcribit lib. 6. Et Euſebius de præparat. lib. 3. Statuas autem ita formatas, certis deinde ritibus precularum, & vnguentorum dedicabãt & conſecrabant, atq; inde fieri exiſtimabant, vt

*Conſecratio ſtatuarum.*

Dij in ſtatuis habitarent, ſicut tradit Arnobius contra gentes, lib. 6. qui etiã lib. 1. dicit. Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex Oliuę vnguine ordinatum, tanquam ineſſet vis prę ſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam. Apud Auguſtinũ de Ciuit. lib. 8. cap. 23. Hermes

*Spiritus in ſtatuis.*

viſibilia & contrectabilia ſimulachra, velut corpora Deorum eſſe aſſerit: Ineſſe autem his quoſdam Spiritus inuitatos, qui valẽt aliquid ſiue ad nocendũ, ſiue ad deſideria eorum nonnulla cõplenda, à quibus eis diuini honores & obſequia cultus deferuntur. Hos ergo Spiritus inuiſibiles per artem quandã viſibilibus rebus corporalis materiæ copulari, vt ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata & ſubdita ſimulachra, quæ inde tanta & talia faciant. Et cap. 24. dicit Hermes, Euocantes animas dæmonum vel angelorum, eas diuinis myſteriis indiderunt imaginibus ſanctis, per quas idola & benè faciendi & malè vires habere poſſent. Et hos eſſe internũcios, mediatores, & interceſſores hominum apud Deum, Apuleius ibidem tradit.

Imagines verò ſiue ſtatuas hoc modo dedicatas ſeu conſecratas, Auguſtinus epiſt. 40. dicit, à gentibus ſacris ſedibus honorabili ſublimitati locari, vt à precantibus atq; immolãtibus attendantur. Item talibus ſimulachris diuinum cum

*Locus imaginum in templis & cultus.*

timore cultum exhibent, eaq; viuentibus ſimilia venerantes adorantesq; contuentur, eisq; velut præſentibus preces allegant, victimas immolãt,

*Votis.*

vota perſoluunt. Et Prudentius tradit, ſuper aris ſtetiſſe ſimulachra quæ colebantur: Clemens ad gentes ſcribit, ſtatuas nidore, ſanguine, fumo, &

*Sacrificia.*

ſacrificiis honoratas & adoratas. Euſeb. libro 3. de vita Conſtantini addit anathymatum hono-

*Thus.*

rem. Arnobius lib. 7. contra gentes, partem cultus fuiſſe tradit incẽſionem thuris ante ipſa numinum ſigna. Sozomenus lib. 2. cap. 4. addit, oblationem thymiamatum & libaminũ, quæ Lactantius ita deſcribit lib. 6. cap. 1. focos adolent ac veteri vino madefaciunt, ſacras dapes apparant, & exquiſitas epulas offerũt. Arnobius libr.

*Corona.*

7. inquit: Honorabant idola coronis, floribus, aris, tinnitibus, tympanis, Symphoniis, canonibus ad tibiam collatis vocibus. Lactantius li. 6. cap. 2. Diis accẽdebant in templis lumina. Ita apud Euſebium libro 2. de vita Conſtantini, Licinius accenſis cereis candelis pro cõſuetudine

*Cerei.*

*Adorationes.*

ſacrificat. Apud Arnobium, libro ſexto, adorant ſimulachra in terram proſtrati. Apud Liuium libro ſexto, Decadis quartæ, Romani Cereri ie-

*Ieiunia.*

iunant. Apud Sozomenum libro quinto, cap. quinto, delectu ciborum colunt idola, vt qui ſacris intereſſe velint, abſtineãt à prophanis cibis. Feſta verò & ludos partem fuiſſe honoris & cul

*Feſta.*

tus idolorum, teſtatur Epiphanius libro tertio, Tom. 2. & Arnobius libro ſeptimo. Sacerdotes

*Cœlibatus.*

idolorum quidam nõ miſcebantur mulieribus. Hiera aduerſus Iouinianũ, libro ſecundo. Quidam raſis capitibus incedebant, teſte Hierony-

*Caput raſum.*

mo libro 13. in Ezechielem. Solebant non ab omnibus omnia, ſed à certis Diis apud peculiares ſtatuas certas res petere, vt indicat Tatianus cõtra Græcos. Item ſicut Arnobius libro ſecundo ſcribit, ſentiebant ſingulos Deos certarum rerũ datores eſſe. Adeuntes delubra aqua ſe aſper-

*Aqua luſtralis.*

gebant, Iuſtinus Apolog. 2. Alij coma ſordida, veſte lacera, abſtinentes à lauacris adorabant ſimulachra, Clemens in Parænetico ad gentes. Vbi & addit, ſimulachra Deorum ab publicas calamitates auertendas, ſolennibus ceremoniis ex vno loco in alium ſolita transferri. Ita Romani apud Arnobium, libro ſeptimo, ad vincendum Hannibalem, Magnam matrem Deûm ex Phrygia Romam tranſtulerunt, & magnifico templo honorarunt. Ad peſtem etiam abigen-

*Circumgeſtatio ſtatuarum.*

dam Aeſculapium ex Epidauro Romam adduxerũt, & templo ac ſacrificiis coluerunt. Arnobius libro octauo ſcribit, Romanos cruda hyeme nudos diſcurrere, ſcuta vetera circumferre, vicatim Deos ducere, quædam fana quotidiè, quædam ſemel in anno adire. Teſtatur etiam Epiſtola Ieremię, gentes in publicis ſupplicationibus ſtatuas Deorum circumgeſtaſſe. Euſebius lib. tertio, de vita Conſtantini ſcribit, in ſtatuis

*Oſſa mortuorũ in ſtatuis.*

illis inuenta mortuorum corporum oſſa & arida crania.

Hæc ideo annotaui. Collatio enim oſtendit, tantam eſſe ſimilitudinem cultus diuini, qui olim fuit in delubris gentium, & qui nunc ad ſta-

*Similitudo cultus Ethnici & Papiſtici ad ſtatuas.*

tuas in Pontificiorum templis conſpicitur, vt Ludouicus Viues fateatur, non poſſe diſcrimen aliquod oſtendi, niſi quòd nomina tantùm & titulos mutarint, vt rectè ac verè iam Pontificiis dici poſſit, quod Fauſtus olim Chriſtianis obiicere conatus fuit: Idola vertiſtis in martyres ſeu Sanctos, quos votis ſimilibus colitis.

Et ne hac exceptione elabi conentur Pontificii, quod non tribuant virtutem aliquam mate-

*Quomodo gentes coluerunt ſtatuas.*

riæ, vel formæ ſtatuarũ, quodq; non Diabolum vt gentes, ſed in imaginibus vel Deum ipſum, vel Sanctos cum Deo viuẽtes, & de Eccleſia benè meritos, colant & honorent, vt honor imaginibus exhibitus referatur ad prototypum, hoc eſt, ad eos qui per imagines ſeu ſtatuas ſignificãtur & repræſentantur. Agè ex gentium hiſtoriis manifeſtè oſtendemus, honores & cultus, quos ſtatuis ſeu imaginibus exhibebãt, ipſos retuliſſe

non

retuliſſe non principaliter ad materiam ſeu formam ſtatuarum, ſed vel ad ſummum Deum, vel ad eos quorum Spiritus apud Deum viuere, & tanquam mediatores ſeu interceſſores mortalibus apud Deum multùm prodeſſe exiſtimabāt, vtpote qui in vita de genere humano benè eſſent meriti. Sicut ex iis, quæ hactenus annotauimus, manifeſtum eſt. Et vulgi quidē ſuperſtitio apud Ethnicos ſicut & apud Pontificios craſſior fuit ipſis ſtatuis affixa, quam ſapientes magis diſſimularunt quàm probarunt: Sicut apud Auguſtinum de Ciuitate lib. 4. cap. 27. Scæuola Pontifex expedire exiſtimat, falli in religione ciuitates. Et cap. 31. Varro dicit, Multa eſſe vera quæ non modò vulgo ſcire non ſit vtile, ſed etiam ſi falſa ſunt, aliter exiſtimare populum expediat, atq; ideo Græcos myſteria taciturnitate parietibusq; clauſiſſe. Et lib. 6. cap. 10. Seneca vulgi ſuperſtitionem ita irridet, Sacros, inquit, immortales inuiolabilesque Deos in materia viliſſima atq; immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumq; & piſcium, quoſdam verò iuxta ſexū diuerſis corporibus induunt, numina vocant, quæ ſi Spiritu accepto ſubitò occurrerent, mōſtra haberentur. Et poſtea, Hæc omnia ſapiens ſeruabit, tanquam legibus iuſſa, non tanquam Diis grata. Item: Omnem iſtam ignobilem turbam Deorum, quam longo æuo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem quàm ad rem pertinere.

*Vulgi craſſa opiniones de ſtatuis.*

*Sapiētes quid de ſtatuis.*

Sapientes verò apud Ethnicos non exiſtimarunt, Deos per ſe tales habere formas, ſicut in ſtatuis figurabantur, ſed addebant concinnas interpretationes, ſicut Auguſtinus inquit Epiſtola 49. Et extant tales interpretationes apud Euſebium de præparat. lib. 3. 4. & apud alios, quòd ſcilicet vel in huiuſmodi formis aliquando hominibus apparuiſſent, vel quòd inuiſibilis natura & proprietas Deorum ita ob oculos poneretur, vel quòd per eiuſmodi habitus indicarentur merita & inuenta ipſorum, quibus genus humanum olim iuuerunt: vel vt ſignificarentur beneficia ab ipſis petenda. Arnobius libro ſexto ſcribit, gentes docuiſſe adorandas ſtatuas, non quòd æs, aurum, argentum, & ſimiles ſtatuarum materiæ Dii ſint, ſed quod Deorū, qui aliàs inuiſibiles ſunt, præſentia per ſimulachra exhibeatur, & quod iis vel Dii, vel virtutes diuinæ inhabitent, ſeu quòd per ea Dii inuiſibiles honorentur & colantur propter dedicationem. Item ſcribit, gentes ſenſiſſe Deos in templis ad ſtatuas inuocatos, libentius & citius audire, quàm ſi ſub axe nudo, & æthereo tegmine adorentur. Apud Athanaſium in oratione contra idola, dicūt Philoſophi, ſtatuas non eſſe Deos, ſed ſimulachra Deorum ideo haberi, vt Dii ſub iſtis imaginibus reſpondeant, & ſe reuelent, qui alioqui inuiſibiles aliter cognoſci non poſſint. Alii ſubtilius philoſophantes dicūt, hæc inſtituta eſſe, vt per ea Dii inuocentur & aduentus Angelorum ac aliarum poteſtatum ad conferēda beneficia ita cōcilietur. Addunt eſſe pro elementis literarum, vt ita homines diſcant Deum inuiſibilem agnoſcere: Hæc Athanaſius. Euſebius lib. tertio, de præparat. citat ex Porphyrio, quòd rudiores tantùm ad ligna & lapides in ſtatuis reſpiciant: Sed ſapientes voluiſſe Deū & Dei virtutes ſenſibus noſtris (διὰ εἰκόνων συμφύλων) per imagines nobis familiares (μηνύειν) ſignificare ſeu patefacere: inuiſibilia Dei per picturas viſibiles (ἀποτυπώσαντας) effingentes ſeu exprimētes (τοῖς καθάπερ ἐκ βίβλων τῶν ἀγαλμάτων ἀναλέγειν τὰ περὶ θεῶν μεμαθηκόσι γράμματα) illis qui aſſueti ſunt ex ſimulachris tanquam ex libris literas ſeu inſtitutiones de Diis legere ſeu colligere. Et libro quarto tractat & refutat argumētum gentilium, quo cultum idolorum ex miraculis ſanationum, & ex pœnis erga contemptores idolorum, ipſa experientia comprobatis, defendunt & ſtabiliunt. Et apud Auguſtinum de Ciuitate, lib. 7. cap. 5. Varro dicit, ſicut per corpus humanum anima, quæ eſt in corpore cognoſcitur: Ita per ſimulachra, quæ formam haberent humanam, ſignificari immortales Deorum Spiritus, &c. Et quanquam huiuſmodi interpretationibus Sapientes inter gentes vulgi ſuperſtitiones pinxerint: tamen manſit id, quod Auguſtinus ſcribit Epiſtola 49. Idola quidem omni ſenſu carere quis dubitet? veruntamen cum his locantur ſedibus honorabili ſublimitate, vt à precantibus atq; immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamuis inſenſata atq; exanimata, afficiunt infirmas animas, vt viuere & ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur. Item quando eis velut præſentibus preces allegant, vota perſoluunt, ſic afficiuntur omnino, vt ea ſenſu carentia putare nō audeant.

*Quæ opinione gentes adorarint ſtatuas.*

*Imagines pro literis apud gentes.*

*Nota Auguſtini dictum.*

Hæc quæ de gentium imaginibus hactenus annotauimus, poſtea habebunt vſum, vbi ad Papiſticam imaginum venerationem deuenerimus: ſimiles enim ſtatuarum cultus, ſimilibus etiam interpretationibus apud Pontificios pinguntur.

*Gentium idola quæ in ſcriptura nominantur.*

### *SACRAE SCRIPTVRAE SENTENtia & doctrina de Imaginibus, Simulachris ſeu Statuis.*

SCriptura de Simulachris duo potiſſimum tradit: Primò gentium Idola irridet & damnat. Secundò quando populus DEI vſum Simulachrorum ad cultum veri DEI transferebat, Hoc ſcriptura reprehendit, prohibet, & damnat.

Gentium igitur Idola in ſcriptura hæc ferè nominantur & deſcribuntur. Et interpretationes appellationum oſtendunt, partim quomodo verus cultus Dei in idololatriam apud gentes degenerarit, partim qua opinione idola coluerint. Moabitarum ergo idola fuerunt: Baal, Numeri 22. quod appellationem inde habet, quòd Deum, qui eſt Dominus noſter, ac poteſtatē in nos habet, magno deuotionis ardore ita colere voluerint, ſicut vxor erga maritum affecta eſſe debet. Et ratio cultus Baalitici ita deſcribitur: Extruxerunt ipſi excelſa. Num. 22. Iere. 19. vel in tectis ædium ipſum coluerunt. Ierem. 42. Extruxerunt ei domos, 3. Regum 18. Faciebant ipſi ſtatuas, 4. Regum 5. & 10. Erexerunt altaria, fecerunt Lucos & alia vaſa, 4. Regum 21. & 25. Coluerunt ipſum genuflexione & oſculatione, 3. Regum 16. & 19. 4. Reg. 21. Suffitu, Ierem. 7. & 23. Incenſo. 4. Reg. 23. Feſtis & ſolennitatibus,

*Baal.*

4. Regum 10. peculiaribus Prophetis & Sacerdotibus,3.Reg.18.2.Paralip.23. adorarunt inuocatione,Baal exaudi nos, 3.Reg.18. coluerũt ornatu argenti,auri,& monilium,Oſeæ 2. Sacrificiis, 4. Reg. 10. Immolatione ſeu combuſtione *Baalpeor.* liberorum,Iere.19.Fuit & Moabitarum idolum Baalpeor, Num. 25. habens nomen ab apertione, quod ꝑpter affinitatem appellationis Priapi,& propter Hiſtoriam fornicationis,Num.25. interpretantur de nudatione pudendorũ. Quia verò verbum illud propriè, de apertione oris dicitur, poteſt & hæc ratio appellationis eſſe, quòd audierint de Deo,qui patribus locutus,& dato verbo ſe patefeciſſet.Cultus autem deſcribitur adoratione per incuruationem ſeu genuflexionẽ,comeſtione eorum quę immolata fuerãt.Et dicuntur coniugati fuiſſe ipſi Baal, Num. 25.Pſalm.106.Porrò & Chemos fuit Moabitarũ *Chemos.* Idolum,Numer.1.21. 3.Reg.11. 4.Reg. 13. Iud. 11. Ier.48.Quidam inde dictum volunt κῶμον, Deum comeſſationum,ſeu Bacchum, quod cultus eius fuerit,ſicut Exod.32.deſcribitur, ſedit populus manducare,& ſurrexit ludere.Poteſt verò & appellationẽ inde habere, quòd fuerit ſimulachrum eius qui diſceſſerat ſeu aberat, Sicut origo ſimulachrorum deſcribitur, Sap.14.

*Baal Berith.* Madianitarum idolum videtur fuiſſe Baal Berith,Iud.8.& 9.quaſi Dominus, qui fœdus cum populo ſuo inierat, & cui populus fœdere aſtrictus erat.

*Rimmon.* Syriæ idolum fuit Rimmon,4.Reg.5.nomen habens à iaculationibus.

*Niſroch.* Aſſyriorum fuit Niſroch,Eſa.37.

*Moloch.* *Milchom.* Ammonitarũ Idola fuerunt Moloch, 3.Reg. 11. & Milchõ.4.Reg.23.quaſi rex, ſub cuius Regno & poteſtate viuamus: Eum coluerunt traducendo liberos per ignem,Leuit.20.4.Reg.23.

*Aſtharoth.* Sidoniorum idolũ fuit Aſtharoth vel Aſthoreth,Iud.2. 3.Reg.11. 4.Reg.23. Appellationem habet à fœtura ouium,Deut.7. Ad ſingula enim beneficia impetranda, & ad quaſuis calamitates auertendas, peculiaria habuerunt & coluerunt idola.

*Dagon.* Philiſtinorum idolum fuit Dagon, Iud. 16. & 1.Reg. 5. Nomen habet à fœcunditate & multiplicatione piſcium & frumenti.

*Baalzebub.* Ammonitarum idolum fuit Baalzebub, 4. Reg.1.Habitus autem fuit princeps dæmoniorum, Luc. 11. Et dictus dominus muſcarum,vel quòd dæmonia tanquam examina muſcarũ homines circumuolitent, vel quòd contra infeſtationem Muſcarum inuocatus fuerit, certa immiſſio morborum & lapſuum,atq; liberatio ipſi tributa ſcribuntur, 4.Reg.1.

*Bel.* Babyloniorum idola fuerunt Bel, Ieſa.46.Ierem.50. eiuſdem etymologiæ cum Babel. Item *Nebo.* Nebo,Iſa.46. à vaticinando nomen habens. Eorum verò,quos rex Aſſyrius ex Babylone & vi- *Samaritanorum idola.* cinis prouinciis in Samariam collocarat, idola fuerunt, 4.Reg. 17. Suchoth Benoth, Nergel, Aſima,Nebahaz,Tharthac, Adramelech,Anamelech, quas Syriacas voces appellationem habere dicunt à gallis,gallinis, pullis, hircis, canibus,aſinis,equis,mulis,pauonibus, vnde colligitur, qua opinione idola coluerint.

Æmulatione Ægyptiorum Iſraelitæ in deſerto,Amos 5. hæc idola coluerunt, portaſtis Sic- *Siccuth.* cuth regem veſtrum. Nomen autem habet à tegumento, ſeu protectione & monumento. Item, Cium imaginum veſtrarum, placentas *Cium.* enim ſimulachris offerebant. Et Cochab, hoc *Cochab.* eſt,ſydus ſeu ſtellam Deorum veſtrorum.

*Miplezeth.* In genere nominantur idola,vt Miplezeth, 3. Regum 15.quod nomen habet à timore & tremore, ſicut Ieremias de ſtatuis idolorum dicit, oſtentantes metum gentibus. Item Thamuz, *Thamuz.* Ezech. 8. Gad, Iſai. 65. nomen habens ab ex- *Gad.* curſoribus,graſſatoribus,depopulatoribus.Ibidem offertur libamen ipſi Meni. Nomen au- *Meni.* tem habet à calculatione, & diſtributione rerum.Pro fortuna igitur & felicitate in negociationibus idolum illud coluerunt, Ezech. 8. Omnes formæ reptilium & animalium, ac vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete,quæ nebula fumi ſuffitus colebant.4.Regum 23. coluntur Sol, Luna, ſigna & militia cœli, *Militia cœli.* Ierem.7. & 44. regina cœli, 4.Regum 22. In ſi- *Regina cœli.* mulachro depicta erant currus equi Solis, Iſai. 2.coluntur talpæ & veſpertiliones, ſcilicet contra infeſtationes. Hæc ſunt gentium idola, quorum nomina extant in veteri Teſtamento,quæ Dauid vocat Elilim, hoc eſt, vanitates, *Elilim.* nihili. Moſes Deut.32. vocat Siddim, hoc eſt, *Siddim.* dæmonia vaſtantia. In nouo Teſtamento Roman.1.dicit Paulus,gentes mutaſſe gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium,& quadrupedum, & reptilium.1. Corint.12. Currebatis ad ſimulachra muta. Acto.14.Dii ſpecie hominum deſcenderunt, Barnabam vocant Iouem,Paulum Mercurium, eò quòd eſſet dux verbi, quos ſacrificiis taurorum & coronis colere volebant, Actor. 19. Inclamatur magna Diana Epheſ. Actor.17. deſcribitur ara ignoti Dei. Actorum 28. nauigantes *Quomodo ſcriptura irrideat & dãnet idola.* præferunt inſigne Caſtoris & Pollucis. Quam falsè verò Scriptura irrideat, quàm grauiter damnet idola illa gentium, videre eſt apud Iſa. capit.37.Non erant Dii,ſed opera manuum hominum è ligno aut lapide. Iſa. 40. cui ſimilem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Artifex conflat ſimulachrum ex auro, argento, ligno, &c. Iſa. 41. faber confortauit conflationem, confortauit ſimulachrum clauis, vt non moueatur. Nunciate futura benè aut malè ſi poteſtis facite,& ſciemus quòd Dii ſitis,vos eſtis ex nihilo,abominatio elegit vos.Iſa. 44. Quis formauit Deum & ſculptile conflavit ad nihil vtile, fabri ſunt ex hominibus. Artifex dat ligno formam viri,& ſpeciem hominis. Ex dimidia parte ligni ſuccendit ignem,coquit carnes, ex reſidua parte facit Deum & ſimulachrum, curuatur ante illud, adorat, & ante illud precatur,dicens: Libera me,quia Deus meus es tu, non ſentiunt, non intelligunt, &c. Iſa. 45. Pudefiant fabricatores idolorum, errant qui ligneum ſimulachrum geſtant & rogant Deum non ſaluantem. Iſa.46. cui me ſimilem facietis? Conferunt aurum,conducunt artificem,vt faciant Deum, cui procidunt,quem adorant, portant illum in humeris, cùm clamauerint ad eum,non audiet,de tribulatione non ſaluabit eos. Ierem. 10. ſtatuta gentium ſunt vanitas, lignum formatur, auro ornatur, clauis firmatur, portatur, quia incedere non valet. Nolite timere ea, quia nec malè poſſunt facere nec benè, purpura indumentum eorum,opus artificum vniuerſa hæc. Sic ergo

dicetis

dicetis eis: Dij, qui cœlos & terram non fecerunt, pereant. Ezech. 6. Væ ſuper abominationes, cadent in medio idolorum, vbi ſuffitum ipſis fecerunt. Ezech. 14. poſuerunt idola in cordibus, & ſcandalum iniquitatis coram facie ſua, ponam faciem meam contra illos. Oſeæ 3. viſitabo contra eos dies Baalim. Oſeæ 8. Artifex fecit illum, & non eſt Deus, mittam ignem in ciuitates eius. cap. 10. currunt ad vitulos, dicent montibus, cadite ſuper nos. cap. 11. Baalim ſacrificant, ſimulachris adolent, irruit gladius in ciuitates eius. Amos 5. Adoratis idola, ideò transferam vos vltra Damaſcum. Mich. 1. Omnia idola ponam in perditionem. Zach. 10. Simulachra locuta ſunt vana, ideo abducti ſunt quaſi grex. Pſal. 115. Aures habent & non audiunt, ſimiles illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Rom. 1. Cùm Deum cognouiſſent, non vt Deum glorificauerunt, ſed coluerunt præter Creatorem ea, quæ condita ſunt, Gal. 4. Seruiebatis eis, qui natura non ſunt Dij. 1. Corinth. 10. Ne ſitis cultores idolorum, &c. Item dæmoniis immolant, & non Deo, &c. Atq; ita Scriptura irridet & damnat propter idola & gentes & Iſraelitas, quando craſſa ſuperſtitione gentium idolomaniam imitabantur, ſicut multa his prorſus affinia & ſimilia in Papatu facta ſunt.

Alterum verò, quòd Scriptura de ſimulachris tradit, propius ad hanc diſputationem de imaginibus, ſicut ea nunc ſpecioſis coloribus pingitur, accedit, quòd ſcilicet in populo Dei omnibus ferme temporibus quidam non ſanè ipſas ſtatuas nec idola adorarint, & vſum ſimulachrorum ad cultum veri Dei transtulerint. Et quid de illo inſtituto Deus in ſuo verbo iudicarit. Hæc enim obſeruatio deteget fucos Pontificios, in cultu ac veneratione imaginũ, ſicut in Tridentino Decreto pingitur. Et ante diluuiũ quidem nihil tale, quod quidē in Scriptura annotatum ſit, legimus. Poſt diluuium verò annis vix trecētis exactis, Thare ſcribitur ſeruiiſſe Diis alienis, Ioſ. 24 Et Epipha. ſcribit illum primum fuiſſe, qui filio ſuo, Haram immatura morte prærepto ſtatuam poſuit. Item, ducentis annis poſt mortem Noah in domo Laban & in familia Iacob inueniuntur Dij alieni, Geneſ. 31. & 35. Quales verò fuerint Dij illi alieni, operæprecium eſt conſiderare. Andradius enim ita philoſophatur, quia Deus, qui in natura ſua inuiſibilis eſt, & ante incarnationem Chriſti, & poſtea etiam viſibili aliqua ſpecie patribus ſe oſtendit, vt vel in effigie humana ſeu ſimilitudine filij hominis, Geneſ. 32. Iſa. 6. Daniel. 7. quę imago erat corporis illius, quod filius definito tēpore aſſumpturus erat, vel in forma antiqui dierum, Daniel. 7. vel in igne in rubo, Exod. 3. vel in columna ignis & nubis, Exod. 13. & 33. vel ſub ſpecie columbæ, Matth. 3. & ſub aliis variis formis, quæ in Apocalypſi deſcribuntur, vbi etiam & Angelorum & beatorum Spirituum variæ imagines Ioanni à Deo offerũtur. In quibus formis Sancti ipſum verum Deum, qui ſub huiuſmodi viſibilib. ſpeciebus, tanquam imaginibus, præſentiam ſuam ſub hominum aſpectum ponebant, venerabantur & adorabant. Inde igitur infert Andradius, Deum ipſum oſtendiſſe hominibus originem, vſum, venerationem & adorationē imaginum in cultu diuino, vt ſcilicet homines ipſius ſapientiam imitati, iiſdem vel ſimilibus ſpeciebus Deum effingerent & exprimerent, atque in illis ſpeciebus, ſeu ad tales imagines ipſum verum Deum colerent, & adorarent. Nihil enim referre, humanané an diuina opera tales imagines fiant, artené fabricentur an miraculo, cùm vtrumque ſit effigies, ſimulachrum ſeu imago. Ita Andradius.

*Simulchra translata ad cultum veri Dei reprehenduntur in Scriptura.*

*Andradius de imaginib.*

Specioſa ſanè oratio, ſi remota regula & extincta lucerna verbi diuini, ex humanæ rationis conſequentiis, de religione & cultu diuino ſtatuendum eſſet. Sed Roma. 1. Paulus dicit, hanc eſſe ipſiſſimam idololatriæ ſeu vanitatis originem, quòd homines ſine verbo Dei per διαλογισμὸς, hoc eſt, per argutas ſuas ratiocinationes ſeducti, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem hominis aut alterius imaginis mutarunt. Et has ipſas Andradianas & Pontificias ratiocinationes, multos in populo Dei olim ſeduxiſſe, Scriptura manifeſtè oſtēdit. Alienos enim Deos quos Thare in Chaldæa coluit, conſtat fuiſſe Vr Chaldæorum, Geneſ. 11. quod ignem ſeu focum ignis ſignificat. Sicut poſtea etiam Perſæ ignem in foculo equo impoſitum circumgeſtarunt, & ſub nomine Orimaſdę coluerũt. Et apud Rom. Veſtales ignem perpetuum cuſtodierunt. Alex. etiam ab Alex. lib. 5. ca. 12. ſcribit in Poliadis Mineruæ templo virgines lychnum inextincti luminis & Palladium cuſtodiuiſſe. Apud Delphos etiam mulieres matrimonio ſolutas ignem peruigilem cuſtodiuiſſe. Non autem adeò vel inepti vel impij fuerunt Patres, Ioſ. 24. qui in populo Dei educati & inſtituti erant, vt exiſtimarent eſſentiam diuinam eſſe elementum ignis, ſed quia igne cœlitus delapſo & abſumente ſacrificia, Deus præſentiam ſuam Patribus patefecerat, ſicut & poſtea fecit, 2. Paralip. 7. 3. Reg. 18. ignem illum exceptum conſeruarunt, (quod poſtea & Veſtales Romanæ & Delphicæ mulieres æmulatæ ſunt, ignem ſuum ſi extinctus foret, è flamma ſolis rurſus elicientes) & in illo igne, ad ſeu apud, & ante illum ignem, verum & viuum Deũ colere, & adorare inſtituerunt. Exiſtimarunt enim prorſus, ſicut Andradius argumentatur, Si filij Iſrael gloriam Domini in ſpecie ignis deſcendentem rectè adorarunt, 2. Paralip. 7. piè igitur, & rectè cultum veri Dei ad Vr ſeu ignem poſſe inſtitui. Sed quia ſine verbo, mandato, & promiſſione Dei ex priuatis ratiocinationibus hæc inſtituebant, Scriptura pronunciat ipſos coluiſſe Deos alienos, hoc eſt, fuiſſe cultum illum Idololatriam, Ioſ. 24.

*Vr Chaldæorum.*

*Orimaſda.*

*Ignis perpetuus.*

Eadem ratio eſt de Teraphim, quos Laban Deos ſuos vocat, Geneſ. 31. Et quos Micha Iud. 17. ſculpſit & fudit. Fuiſſe enim Teraphim ſtatuas, ad effigiem, ſimilitudinem, ſeu imaginem formæ humanæ fabricatas, nō eſt dubium, ſicut oſtendit locus manifeſtiſſimus 1. Reg. 19. Non autem adeò rudes & craſſi fuerunt, quaſi eſſentia diuina eſſet ſtatua ex ligno formata, ex argento fuſa, ex ære ſculpta, ſed quia in ſimilitudine viri ſeu filij hominis λόγος patribus apparuerat, Geneſ. 23. Daniel. 7. exiſtimarunt verum & viuum Deum rectè poſſe coli, ſi talem imaginem repræſentantē non creaturam aliquam, aut idolum aliquod, ſed ipſum DEVM exprimerent, & in tali imagine, ſeu ad tale ſimulachrum DEVM inuiſibilem colerent, &

*Teraphim.*

adorarent. Nam Iud. 17. non Dæmoni, ſed Iehouah, hoc eſt, ipſi vero Deo, pecunia illa, vnde ſculptile & fuſile formatur, conſecrabatur. Et Micha dicit: Nunc benefaciet mihi Iehouah. Et cap. 18. Danitæ apud ſimulachrum illud conſulunt, & interrogant Deum, & Leuita reſpondet: Iehouah adeſt itineri veſtro. Iſraelitæ ergo non Creaturas, non Dæmonas, ſicut gentes ſuis Teraphim fecerunt, Ezech. 21. Zach. 10. Sed verum Deum, qui peculiari appellatione Iehouah à commentitiis numinibus diſcernitur, in ſimulachris ſeu imaginibus coluerunt, & tamen Scriptura pronunciat, ipſos coluiſſe Deos alienos, Geneſ. 35. Rationem explicat Samuel 1. Reg. 15. Quia iniquitas ſeu mendacium Teraphim eſt, nolle acquieſcere voluntati Dei patefactæ, ſed à verbo diſcedere, & mandatis eius aliquid addere.

Porrò Ezechielis 20. ſcribuntur filij Iſrael deflexiſſe ad Idola Ægypti, non quòd vel Creaturas vel Dæmonas cum Ægyptijs adorarint, ſed quòd ſimulachra & externos ritus Ægyptiacæ religionis ad cultum veri Dei tranſtulerint. Ita Exodi 32. cùm Moſes in monte commoraretur per 40. dies & noctes, & columnam ignis & nubis, in qua Deus hactenus ipſos præceſſerat, non amplius viderent, cogitarunt, ex Andradij ratiocinationibus, ſe rectè facturos, ſi præſentiam Dei alio externo ſimulachro repræſentarent, ad quod vel in quo, verum Deum colerent. Cumque in Ægypto cultum Apis vidiſſent, ſimulachrum illud fuſo ſeu conflato aureo vitulo, ad cultum veri Dei tranſtulerunt, & cultum nõ ad materiã vel formam vituli, ſed ad prototypum ſuum, vel rem ſignificatam, hoc eſt, ad verum Deum, qui ipſos ex Ægypto eduxerat, retulerũt. Dicunt enim: Hi ſunt Dij tui, qui eduxerunt te ex Ægypto, non quòd ſentirent, vitulum eo die primùm conflatum, ipſos ante menſes 4. eduxiſſe ex Ægypto, ſed hac oratione proteſtantur, ſe hoc ſimulachro non aurum, non formam fuſilem, nõ bouem creatum, ſed illum Deum colere, cuius brachio excelſo ex Ægypto educti fuerant. Et Aaron ſonora voce proclamauit: Cras ſolennitas erit, non vituli, ſed Halehouah veri Dei. Sed non obſtantibus ſolennibus, & ſonoris iſtis proteſtationibus, Deus pronunciat, Peccauit populus recedens à via quam præcepi eis, (quomodo ſcilicet velim coli) excandeſcam & delebo eos. Nec valet hoc loco Andradij exceptio, Iſraelitas non peccaſſe in genere, quòd Deum in ſimulachro voluerint colere, ſed in ſpecie, quòd ſcilicet nõ debito ſimulachro hoc fecerint, ſed Dei gloriam commutarint in ſimilitudinem bouis cõmedentis herbam, Pſal. 106. cùm in tali ſpecie Deus nunquam apparuiſſet. Sed Ezech. 1. & 10. quando gloria Dei apparet, videtur facies hominis, facies leonis, facies bouis, & facies aquilæ. Et quod manifeſtũ eſt, Exodi 20. non dicit Deus, ſe in ſimulachris coli velle, ſi modò diuinæ maieſtati conuenientem habent formam, ſed ſimpliciter dicit: Non facies tibi vllum ſimulachrum ad cultum.

*Apis. Vitulus aureus.*

Ita Iud. 2. Iſraelitæ ſeruierunt Baalim. Sed Oſeæ 2. dicit Dominus: Me vocarũt Baali, hoc eſt, cultum ad ſtatuam illam, dixerũt ſe non vel materiæ vel formæ ſtatuæ, nec Dæmoni, ſicut gentes faciebant, ſed Deo vero exhibere. Et tamen Scriptura dicit Iud. 2. Fecerunt malum in conſpectu Domini ſeruiendo Baalim.

*Me vocarunt Baali.*

Poſteà, ſicut ingenium humanum procliue eſt à ſuperſtitione ad idolomaniam ſimulachrorum, Iſraelitæ non tantùm Dei, verumetiam virtutum cœleſtium, ac aliarum creaturarum, quarum miniſterio Deus ſolet generi humano benefacere, ſimulachra fecerunt & coluerunt. Atque ad ſingula beneficia impetranda, & pericula auertenda, peculiaria habuerunt & coluerũt ſimulachra. Sicut ex locis ſuprà annotatis, in quibus idola gentium & Iſraelitarum æmulatio deſcribitur, ſi appellationum Etymologiæ excutiantur, manifeſtum eſt. Et eodem prorſus modo in Eccleſia pontificia à ſuperſtitione imaginum ad profligatam illam ſtatuarum idolomaniam, cuius ipſos etiam Pontificios aliquantulum iam pudet, deuentum eſt.

*Iſraelitæ imagines creaturarum.*

Ne verò exemplis, ſed legibus controuerſia hæc dijudicetur, Deus tradita certa lege voluntatem ſuam de ſimulachris patefecit, Exod. 20. & Deut. 5. Leuit. 26. Cùm enim ſapientes omniũ temporum ex ratione iudicarint, Deum, Angelos & Sanctos viſibili aliquo externo ſigno conſtituto, colendos & venerandos: Deus talem vſum ſimulachrorum ad cultum ſimpliciter numerat inter Deos alienos, & ita prohibet, vt nullus eluſioni aut exceptioni locus eſſe poſſit. Primo enim numerat ſculptile & fuſile, ſtatuã poſitam, ſeu erectum lapidẽ ad imaginem aliquam formatum ſeu fabricatum. Et generali vocabulo *Temunah*, hoc eſt, ſimilitudinẽ ſeu imaginem, exprimentem & repræſentantem qualicunque effigie ſpeciem aliquam, quocunque modo, & ex quacunq; materia pictam vel effectam. Deut. 4. vocat Samel, id eſt, figuram, effigiem, ſeu formam. Secundò res, quarum ſimilitudinem ſeu imaginem ad cultum proponi & vſurpari vetat, ita numerat, vt nullus exceptioni locus ſit, dicit enim, Eorum quæ vel in cœlis ſuprà, vel in terra deorſum, vel quæ ſub aquis, vel quæ ſub terra ſunt. Sunt autem in cœlo Deus, Angeli, & Spiritus beatorum, ſub terra ſunt dæmones: Sunt autẽ ſub terra corpora mortuorum. Reliqua quæ cœlo affixa, quæ in aere, in aquis, in terra ſunt, per ſe patent. Prohibet igitur ad cultum facere, proponere, aut vſurpare, non tantùm imagines idolorum & dæmoniorum, 1. Corinth. 8. nec tantùm irrationalium creaturarũ, verumetiam Angelorum, ſpirituum iuſtorum, qui in cœlis ſunt, & hominum defunctorum, quorum corpora ſub terra ſunt, & ne ipſius quidẽ Dei imaginem ad cultum fieri, proponi & vſurpari vult lex Dei: Deus enim noſter in cœlo eſt. Et lex prohibet eius, quod in cœlo eſt, imaginem ad cultum fieri. Et Deuter. 4. ratio additur, vocem verborum eius audiuiſtis, non autem vidiſtis ſimulachrum aliquod, quando de medio ignis vobis locutus eſt Dominus. Tertiò duobus vocabulis prohibet omne genus cultuum religioſorum, cùm inquit: Non adorabis nec coles ea, quorum altero, quod incuruationem ſignificat, omnes externos geſtus & ritus cultuum, altero interiores affectiones & deuotiones cultuum complectitur. Et cultus illos exteriores & interiores Scriptura in libro Sapientiæ & in locis ſuprà annotatis deſcribit, incuruationibus, geniculationibus, prouolutionibus corporis, manuum

*Lex Dei de ſimulachris.*

*Quarum rerũ imagines ad cultũ prohibentur.*

*Qui cultus prohibeãtur.*

manuum extenſionibus, exoſculationibus, ſacrificiis, inceſo, thure, libationibus, ornatu auri, purpuræ, &c. circumgeſtationibus, inuocationibus, ſupplicationibus, votis, deſiderio, amore, deuotione, ſpe, fiducia, metu, &c. Quartò, ne quis hæc ita eludat, quaſi tantùm prohibeatur cultus, qui ipſi materiæ vel formæ ſimulachrorum exhibetur: oſtendimus iam aliquot Scripturæ exemplis, etiam quando cultus illi imaginum ad prototypum ſiue ad res per imagines ſignificatas, ſiue ad Deum ipſum referuntur, tamen appellari cultum Deorũ alienorum. In ſtatuis enim, per ſtatuas, ſeu ad ſtatuas ſeu imagines, Deus nec ſe, nec Angelos, nec Sãctos, nec vllam creaturam vult coli, ſicut ex iis, quæ hactenus ex Scriptura demonſtrauimus, maniſeſtiſſimum eſt.

Hæc igitur lex diuina non ſemel poſita, ſed ter repetita, Exod.20. Leui.26. Deut.5. & 27. ſimpliciter prohibet, imagines ad cultum religionis ſeu pietatis facere, habere vel vſurpare, cultum enim diuinum non vult ad ſtatuas alligari, religionem, pietatem & cultũ Dei, non vult collocari aut exerceri in veneratione imaginũ, non vult vel ipſas imagines coli, vel Deum vel Sanctos, vel vllas creaturas in imaginibus, ſeu per imagines adorari aut coli. Et illa prohibitio in lege illa Dei ita circumſcribitur, vt nulla exceptione, ſicut oſtendimus, eludi poſſit.

*Cultus Dei nõ alligandus, non exercendus ad ſtatuas.*

Manifeſtum autem eſt, cum hac legis diuinæ ſententia pugnare ea, quæ in decreto Tridentino de veneratione imaginum ſtatuuntur, præcipuè verò, quòd in pſeudoſynodo Nicena ſecunda dicitur, Sanctorum imagines honorandas, & palam eſſe adorandas, quodq; Thomas ſcribit, imaginibus Chriſti eundem cultum & eandem adorationem, quæ Chriſto ipſi debetur, exhibendam eſſe, de quibus poſtea ſub finem quædã annotabimus. Exceptiones verò, quib. Pontificij legem illam Dei eludere conantur, vanæ ſunt, & ipſis verbis legis atque Scripturæ exemplis excluſæ. Quidam enim tantùm dicũt prohiberi, ne alienorum Deorũ imagines ad cultum proponantur, Sed ſcriptura legem illam manifeſtè interpretatur, etiam de veri Dei imagine ſeu ſimilitudine, ne & illa ad cultum proponatur, Exod.20. Deut.4. Iſa.40. Alij dicunt tantùm prohiberi, ne vel dæmonum, vel idolorum, vel creaturarum irrationalium imagines ad cultum proponantur, ſed lex in genere loquitur de iis, quæ in cœlo, in terra, & ſub terra ſunt. In cœlo autem ſunt, Deus, Angeli, & Spiritus iuſtorum, in terra viuunt ſancti, Pſal.67. ſub terra in puluere dormiunt corpora beatorum. Alij dicunt, ipſas imagines non eſſe adorandas & colendas, ſed in imaginibus & per imagines, eos qui per imagines ſignificantur & repræſentantur, puta Deum, Angelos & ſanctos colendos. Sed ſuprà aliquot Scripturæ exemplis oſtendimus, Deum talem cultum nõ probare, ſed prohibere & damnare. Sanctorum verò cultũ & adorationem, ſiue fiat per imagines, ſiue abſq; imaginib. cum Scriptura pugnare in præcedenti loco demonſtrauimus.. Sunt qui dicunt, cùm Deus in cultu ſuo ſemper externa viſibilia ſigna verbo ſuo adiunxerit, qualia ſunt Sacramenta veteris & noui Teſtamenti, non ergo eſſe contra voluntatem Dei, ſi per extraneas & viſibiles imagines colatur, ſicut in veteri Teſtamento verſus templum & ad arcam fœderis adorabant. Reſponſio autem plana eſt, quod Deus ipſe verbo & mandato ſuo talia externa ſigna ſeu ſacramenta in veteri & in nouo Teſtamento inſtituit, non autem noſtro arbitrio permiſit, quæ & qualia nobis videntur ſigna, & quidem ad cultum facere: Dicit enim, Non faciatis ſinguli quod vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio vobis, hoc tantùm faciatis Domino Deo veſtro, non addatis quicquam, nec detrahatis, Deut.12. Et imagines quaſcunque ad cultum fieri, proponi & vſurpari, Deus diſertè, ſicut oſtendimus, prohibuit. Poſtremò ait Andradius, in veteri Teſtamento, cùm Chriſtus nondum eſſet incarnatus, non licuiſſe Deum inuiſibilem in imagine viſibili colere: nunc verò, poſtquam Deus in carne, ſicut Paulus loquitur, manifeſtatus eſt, licitè & rectè Chriſtum per imagines adorari & coli, ſicut Tridentinum decretum loquitur. Sed lucerna pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitis meis. Chriſtum enim adorandum & colendum eſſe, Apoſtoli docent: in ſimulachris vero & per imagines eſſe colendum & adorandum, Apoſtoli nequaquam docent. Sed 1. Ioan.5. cùm dixiſſet filium Dei veniſſe, & dediſſe nobis mentem, vt cognoſcamus verum Deum, addit, filioli, cuſtodite vos, ſeu cauete à ſimulachris. Qua ſententia ad legem, Exod.20. reſpicit, & eam in nouo Teſtamento ratam eſſe debere oſtendit. Græci enim ſculptile, ſtatuam ſeu imaginem, Exod.20. reddiderunt εἴδωλον, qua voce Ioannes etiam vtitur. Stat igitur Scripturæ ſententia, nullam imaginem, ſiue Dei, ſiue Angelorum, ſiue Sanctorum, ſiue cuiuſcunque creaturæ, ad cultum eſſe faciendam, proponendam ſeu vſurpandam.

*Quomodo legem de ſimulachris eludere conentur Pontificij.*

*Lex de ſimulachris ratiſicata in nouo Teſtamento.*

Et de cultu quidem imaginum ex lege Dei hæc manifeſta ſunt. Sunt verò qui contendunt, legem illam, non tantùm cultum & adorationem, verùm ipſas etiam imagines ſimpliciter prohibere. Duas enim diſtinctas legis illius partes faciunt, quarum prior ſimpliciter prohibeat facere imagines. Altera prohibeat factas adorare aut colere. Sed Leuit.26. textus legis ita ponitur, vt oſtendantur prohiberi, ne ad adorandum ſiue ad cultum fiant, aut ponantur imagines: Nõ facietis, inquit, vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec lapidem inſignitum ponetis *Lehiſthaheuoth* ad adorandum. Et ipſa Scriptura oſtendit, facturam & vſum imaginum, ſi non proponantur & vſurpentur ad adorationem & ad cultum, non ſimpliciter prohiberi. Lapides enim inſignitos ad adorationem ponere prohibetur, Leuit.26. Sed ad monimenta ſeu memoracula hiſtoriarum, Iacob. Geneſ. vigeſimo octauo, lapidem erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Et Ioſ.2. Dominus præcipit poni & erigi duodecim lapides, vt ſint ſignum memoriale ſeu commonefactorium hiſtoriæ tranſitus per Iordanem. Ioſue etiam moriturus erigit lapidem prægrandem ſub quercu, quæ erat in Sanctuario Domini, vt eſſet in teſtimonium icti fœderis cum Deo, Ioſ.24. Samuel quoque in memoriam auxilij diuini contra Philiſtinos erigit lapidem, & nomen eius vocat lapidem adiutorij, 1.Reg.7. Et illuſtre exemplum extat Ioſ.22. Cùm duæ tribus & dimidia ædificaſſent altare,

*An ſimpliciter omnis factura & vſus imaginũ prohibeatur.*

altare, reliqui Iſraelitæ rati ad cultum hoc factum eſſe, indixerunt illis bellum: Cùm verò illi oſtenderent, ſe altare illud extruxiſſe non ad ſacrificia, ſed in teſtimonium & ad memoriam hiſtoriæ, filij Iſrael hoc approbarunt, & Deum glorificarunt. Imò Deus ipſe iubet, Exod. 25. fieri duos Cherubim aureos ex vtraq; parte propiciatorij. Et Cherubim fuiſſe imagines alicuius faciei allatas, Deus ipſe ibidem oſtẽdit. dicit enim: Expandent alas, & alis operient propiciatorium, reſpicientq; ſe mutuò verſis in propiciatorium vultibus. De omnibus verò operibus tabernaculi, ad quæ etiã Cherubim pertinent, dicit Dominus, Exod. 31. Impleui Bezaleel ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, ad operandum auro, argento, ære. Salomon etiam ad ornatum domus Domini, 3. Reg. 7. & 2. Paralyp. 3. capita columnarum format in modum Lilij, facit mala punica, ſub mari fuſili facit boues duodecim, in baſibus format leones, boues, Cherubim, in tabulatis ſculpſit Cherubim, leones & palmas. In Pontificis etiã tunica formata fuerunt ex auro mala punica, Exod. 39. Num. 21. Deus mandat Moſi, vt faciat Serpentem æneũ, & erigat illum in ſignum. Serpentem autem illum fuiſſe figuram Chriſti, certum eſt, Ioan. 3. Et in memoriam illius hiſtoriæ, quæ in deſerto tunc acciderat, æneus ille ſerpens vltra annos ſeptingentos ſeruatus fuit in populo Iſrael, ac priuſquam accederet abuſus cultus & adorationis, non iudicarũt ſe aſſeruatione imaginis illius peccare cõtra legẽ, Exod. 20. cùm verò cœpiſſent ſimulachro illi incenſum adolere, hoc iudicauit Ezechias, pugnare contra legem illam Dei, atq; ideò ſerpentem illum confregit, 4. Reg. 18. imaginem etiã Cęſaris, Chriſtus in moneta nec exhorruit, nec damnauit, Matth. 22. Et talem exiſtimo etiam ſtatuã illam fuiſſe, quam Michol in lectum loco Dauidis poſuit, 1. Reg. 19. Imagines igitur ad ornatum, ad memoriam, commonefactionem, & repræſentationem hiſtoriarum facere, habere & vſurpare, non pugnat contra legem illam Dei, ſi non accedat cultus & adoratio imaginum.

*Imagines politicæ ad ornatum ſeu hiſtoricam memoriam.*

Quidam diſputant legem illam Dei de imaginibus non loqui de locis prophanis, politicis, domeſticis aut priuatis, ſed tantùm de locis ſacris, vbi ad cultum Dei conuenitur, ne ibi ponantur vllæ imagines. Sed Moſes Deuter. 27. dicit, ſi imago ad cultum ſeu adorationem proponatur aut vſurpetur, etiamſi illud fiat in abſcondito, prophano ſiue priuato loco, eſſe maledictionem. Et Ioſue certè lapidem in ſignum erexit in ipſo ſanctuario Domini, Ioſue 24. Salomon etiam in ipſo templo Domini varias formauit imagines, 3. Reg. 7. Imò Deus ipſe in Sancto ſanctorum ſuper arca fœderis, quo ſe vertebant adoraturi, iuſſit fieri Cherubinas imagines, Exod. 25. Ex quo igitur fundamento verbi Dei vſus imaginum in templis, ſi non proponantur aut vſurpentur ad cultum & adorationem, ſed vel ad ornatum, vel ad memoriam, commonefactionem, ſeu repræſentationem hiſtoriarum, quæ veræ & vtiles ſint, damnari poſſit aut debeat, non video. Certè ex lege, Exodi 20. hoc deduci non poteſt. Quòd verò metus, & periculum ſuperſtitionis & idololatriæ prætenditur, illud inculcatione veræ doctrinæ & præmonitionum contra cultus imaginum caueri & auerti poteſt. Aut ſi ſpreta doctrina accedat ad imagines cultus & adoratio, rectum erit imitari exemplum Ezechiæ. Nec verò vel neceſſitatem habendi imagines in templis cum Tridentinis patribus probo, nec partem vllam pietatis in illis colloco, ſed inter adiaphora cum Luthero imagines refero, ſi non ad cultum ſeu adorationem proponantur, aut vſurpentur. Neque verò etiam ex rebus adiaphoris, ſi non accedant vel prauæ opiniones, vel impij abuſus, fingenda ſint peccata, ſine verbo Dei, ſicut quidam nullas etiam indifferentes imagines tolerandas clamitant, & in earum vel carentia vel demolitione non poſtremam pietatis partem collocant.

*An in templis omnis vſus imaginũ prohibetur.*

Poſtremò ſunt qui diſputant, alias quidem imagines vtcunque tolerari poſſe: Dei verò & Chriſti nullas eſſe imagines, vel faciendas vel tolerandas.

*An Dei imago facienda.*

Et quidem ſi quis exiſtimet, eſſentiam Dei vel lineamentorum circumſcriptionibus, vel colorum varietatibus exprimi poſſe, aut talẽ eſſe diuinitatis naturã, ſicut Anthropomorphitæ finxerunt, is meritò damnatur, ſicut Eſaiæ 40. ſcriptum eſt, Cui ſimilem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Si verò ſine praua opinione, & ſine ſuperſtitione non quidem ipſa diuinitatis eſſentia, ſed tantùm ſpecies illæ viſibiles, quibus olim Deus præſentiam ſuam patefecit, (Sicut Danielis 7. apparet antiquus dierum. Et Luc. 3. Spiritus ſanctus corporali ſpecie colũbæ deſcendit) hiſtoricè pingantur, aut ſi Chriſtus in ſerui forma, in qua Deus manifeſtatus eſt, tanquam memoraculum hiſtoriarum Euangelicarum exprimatur, illud quidem prorſus damnare non auſim, ſicut nec damnari poteſt, ſi figuræ viſionum diuinarum Apocalypſeos coloribus exprimantur. Lubenter tamen fateor periculoſum eſſe, velle diuinitatis aliquam imaginem, quocunque prætextu facere, facilè enim poteſt impingere in legem Dei, Deuter. 4. Ieſ. 4. Act. 17. Optimam verò, certiſſimam, & vtiliſſimam Dei & Chriſti imaginem eſſe, quam mentis noſtræ agnitio ex verbo Dei format & concipit. Sed tamen de indifferentibus odioſè dimicandum non eſt: Sicut enim non pietas, ita nec peccatum in illis collocari debet, ſi non accedant prauæ opiniones & abuſus. Quia enim Deus ipſe in viſionibus tales imagines oſtendit, ſicut peccatum non eſt, tales viſionum hiſtorias verbis exprimere, ita peccatum non erit, tales Scripturæ hiſtorias hiſtoricè & ad vſum hiſtoricum picturis repræſentare, modò illud fixum maneat, ipſam diuinitatis eſſentiam, nec debere, nec poſſe figura aut imagine aliqua exprimi.

*Iudæi nullas imagines ad cultum tolerarunt.*

Varro apud Auguſtinum de Ciuitate, lib. 4. rectè dicit, gentem Iudeorum Deum ſine ſimulachro aliquo coluiſſe, hoc eſt, Iudæos non habuiſſe ſimulachrum aliquod in templo ad cultum propoſitum. Ioſephus etiam libro Antiquitatum 18. capite 11. ſcribit: Cùm Caius ſtatuam ſuam vellet per Petronium Ieroſolymis in templo Dei collocare, vt tanquam Deus coleretur, Iudæos maluiſſe ſe morti exponere, quàm id, quod lege Dei prohibitum erat, admittere vel recipere, cultum ſcilicet ſtatuarum.

Quod

Quod verò alibi Ioſephus ſcribit, Iudęos nec Cæſaris effigiem, nec Aquilam, Romani Imperij ſignum, ne in militaribus quidem vexillis, aut in locis extra templum, etiamſi non ad cultum ſeu adorationem proponerentur, voluiſſe tolerare, prætendentes legem Dei, Phariſaicæ hypocriſeos pars eſt, quæ pietatem eſſe iudicabat, culicem colare, etiamſi camelum deglutirent. Et peculiarem cultum Dei in eo cōſtituebant, quod ſeniorum traditionibus ad ſtrictiorem obſeruationem, quàm quę ab ipſa lege exigitur, ſe aſtringerent. Extra caſum enim cultus, adorationis & ſuperſtitionis imagines non fuiſſe in lege prohibitas, clariſſimè oſtendimus. Scribit autem Ioſephus libro 18. Antiquitatum cap. 4. Pilatum προτομὰς, hoc eſt, imagines Cæſaris, quæ ad vmbilicum vſque depictæ erant, & ſignis ſeu vexillis militaribus inerant, in vrbem Ieroſolymam intuliſſe: Iudęos verò noluiſſe hoc tolerare, prætendentes, legem diuinam prohibuiſſe, εἰκόνων ποίησιν, fabricationem ſeu formationem imaginum. Atque ideò priores pręſides vrbem ingreſſos cum ſignis ſeu vexillis non hoc modo inſignitis. Sed tempore Chriſti publicè habuerunt Iudæi imaginem Cæſaris in numiſmate, quod Chriſtus nec reprehendit, nec damnat, Matth. 22. Simile eſt quod Ioſephus ſcribit libro 17. capite 8. Cùm Herodes ſupra portam maiorem tēpli paraſſet anathema precioſum, magnam ſcilicet auream aquilam, vtpote ſignum Romani imperij, Phariſæos quoſdam legis interpretes dęclamitaſſè, legem Dei prohibere (ἀναστάσεις εἰκόνων) ne imagines ſtatuantur, aut animantium effigies (ἐπιτηδεύεσθαι) artificioſè paratæ ponantur. Sophiſtas igitur iſtos diſcipulis ſuis autores fuiſſe, vt aquilam illam deijcerent. Et lib. 1. contra Apionem citat ex Hecatæo, in templo Ieroſolymitano: τοπαράπαν omnino prorſus non fuiſſe (ἄγαλμα ὐδὲ ἀνάθημα) ſimulachrum aliquod, aut Anathema. Sed ſupra oſtendimus, in templo Salomonis fuiſſe imagines. Et Luc. 21. ſcriptum eſt, ſecundum etiam templum pulchris ἀναθήμασι ornatum fuiſſe. Vnde rectè colligitur, illas Ioſephi narrationes, non ex vero & antiquo ſenſu legis diuinæ, ſed ex recentioribus Phariſæorum traditionibus & ſuperſtitionibus ſumptas eſſe. Sed quæ ſit vera legis diuinæ de imaginibus ſententia, ex perſpicuis & firmis ſcripturæ teſtimoniis hactenus oſtendimus. Quibus addatur Pauli etiam exemplum, Actorum 28. vbi vehitur in naui, quæ præfert inſigne Caſtoris & Pollucis, quos gentes vt præſides maris, & nauigantium patronos colebant: Quo facto Paulus oſtendit, pios rectè ſentientes, nō contaminari tolerandis imaginibus etiam idololatricis, quæ ad cultum proſtant, ſi ratione vocationis & officij eas ordinariè & legitimè tollere non poſſint. Paulus certè inſigne illud Caſtoris & Pollucis non deiecit vel confregit, ſed ſine impietate in naui illa vectus eſt, cùm idola illa nec coleret, nec adoraret. Et ſine dubio cultum, adorationem, & opinionem patrocinij verbo Dei reprehendit, vi verò & manu imagines illas non deiecit, ſicut nec Prophetæ, licet verbo deteſtarentur cultum idolorum, ea per vim tumultuariè confregerunt: ſed pij Reges ordinariè hoc fecerunt. Theodoſius etiam imagines Idolorum aboleuit, ſed poſtquam opinio cultus per verbum Dei animis hominum exempta erat, quaſdam idolorum ſtatuas reliquit ad memoriam & commonefactionem, quàm inepta & impia fuiſſet idololatria gentium.

*Phariſæi omnem vſum imaginū damnarunt.*

***HISTORICA OBSERVATIO,***
***quòd in primitiua Eccleſia imagines non fuerint adhibitæ ad cultum diuinum, imò quòd ne quidem legantur in oratoria Chriſtianorum admiſſa.***

Sicut Chriſtus nullum mandatum dedit de adhibendis imaginibus ſeu ſtatuis, ad miniſterium Eccleſiæ: Ita etiam Apoſtoli emiſſi ad prædicandum Euangelium, & ad docendas omnes gentes, non leguntur imagines ſeu ſtatuas ad declarandam doctrinam cœleſtem, ne quidem, quando barbaris gentibus Euangelion annunciabant, adhibuiſſe, cumq́; iactis alicubi fidei fundamentis, ad alia loca tranſirent, repetitiones & cōmonefactiones doctrinę non ſtatuis commendarunt, ſed hominibus fidelibus, qui idonei eſſent ad docendos alios, & in hunc vſum doctrinam traditam in ſcripta retulerunt. Organon enim, per quod Spiritus ſanctus efficax eſt, vocans, illuminans, conuertens, ſanctificans homines, non docuerunt eſſe imagines ſeu ſtatuas, ſed verbum Dei ſcriptum, prędicatum, auditum, cogitatum, Rom. 1. 2. Corin. 3. 2. Tim. 3. 1. Pet. 1. Pſal. 119. Cumq́; cultum idolorum, qui ad ſtatuas exercebatur, abolerent, & veri Dei cultum inſtituerent, non leguntur, vel ſtatuas illas ad verum cultum viui Dei tranſtuliſſe, vel alias imagines aut ſtatuas, in quibus, per quas, ſeu ad quas veri Dei cultus exerceretur, ſubſtituiſſe, ſed verum Deum in Spiritu & veritate, non iuxta præſcriptum verbi colendum docuerunt. Hæc extra controuerſiam certa & vera ſunt.

*Nec Chriſtus nec Apoſtoli tradiderunt vſum imaginum.*

Idem verò etiam Apoſtolorum diſcipulos & ſucceſſores feciſſe, nullum eſt dubium. Cumq; in veris hiſtoriis aliquot extent deſcriptiones rituum, quibus primitiua Eccleſia per annos trecentos & amplius, in conuentibus Eccleſiaſticis, & in exercitiis cultus diuini vſa fuiſſe legitur, nulla fit mentio adhibitarum imaginum, ſeu ſtatuarum, ſiue Dei, ſiue Sanctorum. Sed cùm idolatria Gentium conſtaret cultu & adoratione imaginum, ſimulachrorum & ſtatuarum, quem tamen cultum ad prototypum, ſicut oſtendimus, referebant, Chriſtiani, à ſimulachris prorſus abhorrebant, & eos, qui vel aliorum ſtatuas, vel ipſum etiam Chriſtum in ſtatuis, ſeu per imagines colere & adorare volebant, pro hæreticis damnabant. Scribunt enim Theodoretus libro 1. hæret. Fab. & Auguſtinus de hæreſibus, Simonem Magum Sectatoribus ſuis tradidiſſe ſuam & Scorti ſui Selenes imaginem colendam & adorandam, cui etiam ſuffitum diſcipuli ipſius feciſſe ſcribuntur. Irenæus libro 1. cap. 23. ſcribit, Baſilidis ſectatores, vſos fuiſſe imaginibus & inuocationibus. Et cap. 24. narrat, Carpocratianos, qui ſe Gnoſticos appellabant, imagines quaſdam vel coloribus depictas, vel ex alia materia fabricatas, habuiſſe, & dixiſſe formam Chriſti illo tempore, quo fuit cum hominibus, à Pilato factam. Illas, inquit, imagi-

*In primitiua Eccleſia non fuit vſus imaginum in cultu Dei.*

*Hæreſes de cultu imaginum.*

*Simon Magus.*

*Baſilides.*

*Gnoſtici.*

imagines cum imaginibus Philoſophorũ mundi proponunt, coronant, & reliquam obſeruationem circa eas ſimiliter vt Gentes faciunt. Epiphanius Tomo 2.lib.1. hæreſi 27. dicit, Carpocratẽ occultè feciſſe imagines Chriſti, Pauli, &c. ipſiſq; ſuffitum feciſſe, & eas adoraſſe. Auguſti.de hęreſibus ſcribit, Marcellinam ſociam ſectæ Carpocratis, coluiſſe imagines Ieſu & Pauli, Homeri & Pythagoræ adorando incenſumque ponendo.

*Carpocrates.*

*Cultus diuinus apud gentes ad ſimulachra.*

Et ex differentiis, inter cultum gentium & Chriſtianorum, hæc non poſtrema fuit, quòd gentes Deos ſuos in ſimulachris, per imagines, & ad ſtatuas colebant: Chriſtiani verò vnicum & verum Deum, abſque ſimulachris, in Spiritu & veritate, iuxta præſcriptum verbi colebant & adorabant. Et ad præcidendam omnẽ idololatrię occaſionem, ne Chriſtiana religio cũ Paganiſmo, qui ſimulachrorum cultu conſtabat, vllam haberet affinitatem, & ne Ethnicæ ſuperſtitionis ſeminaria, occaſione ſimulachrorum, vel in Eccleſiam irreperent, vel in animis conuerſorum remanerent, primitiua Eccleſia ne in oratoria quidem voluit Chriſti vel Sanctorum imagines recipere. Et inter capita accuſationũ, Ethnici hoc etiam Chriſtianis obiecerũt, quòd religionem haberent abſque ſimulachris. Ita Clemens Alexandrinus, qui circa annum Domini 200. vixit, lib.6. Stromatum inquit: Nobis nullum eſt ſimulachrum in mundo. Quoniam in rebus genitis nihil poteſt Dei referre imaginẽ. Et in Parænetico ſcribit: Nobis apertè vetitum eſt artem fallacem exercere: Scriptum enim eſt, Non facies cuiuſuis rei ſimilitudinẽ, &c. Item, Nobis non eſt imago ſenſilis, de materia ſenſili, ſed quę percipitur intelligẽtia. Deus enim, qui ſolus verus eſt Deus, intellectu percipitur, non ſenſu. In libris etiam Recognitionum qui Clementi Romano, licet non verè, tribuuntur, extat diſpoſitio generalis contra imagines lib.5. & refutatur præcipuum argumentum Ethnicorum, quo etiam Pontificij imaginum ſuarum cultum palliant. Per gentes (inquit) ſerpens ille proferre verba huiuſmodi ſolet, Nos ad honorem inuiſibilis Dei imagines viſibiles adoramus. Clemens reſpondit, hoc certiſſimè falſum eſſe. Non autem ſubſtituit alias pictas vel fictas, ſiue Chriſti ſiue Sanctorum imagines, ſed inquit: Si verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleritis. Si ergo vultis verè Dei imaginem honorare, nos vobis, quod verum eſt, aperimus, vt homini qui ad imaginem Dei factus eſt, benefaciatis. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, vt, qui iſta non fecerit, contumeliam imagini diuinæ intuliſſe credatur. Quis ergo iſte honor Dei eſt, per lapideas & ligneas diſcurrere formas, & inanes atque exanimes figuras, tanquam numina venerari, & hominẽ, qui eſt verè imago Dei ſpernere? Hæc Clemens ille.

*Apud Chriſtianos ſine ſimulachris.*

*Clemens Alexandrinus de imaginibus.*

*Clemens Romanus.*

Apud Origenem circa annum Dei 240. in libris contra Celſum, extat iuſta tractatio de hac quæſtione. Celſus enim lib.7. oſtenſurus Chriſtianos peiores eſſe barbaris, Lybicis, & atheis Scythis, inde hoc probare conatur, quia nõ patiantur vel templa, vel aras, vel ſimulachra & ſtatuas intueri. Perſas ex Herodoto oſtendit irriſiſſe ſimulachra, quia nõ crediderunt cũ Græcis Deos ex hominibus genitos. Heraclitum etiam dicit ſcripſiſſe, Stultum eſſe, vt quis imaginibus ſupplicet, ſi non agnoſcat ipſos Deos vel Heroas. Chriſtiani verò, inquit Celſus, ſimulachra apertè vituperant. Quòd ſi, inquit, lapidem, lignum, æs vel aurum, negent Deum eſſe, quis ea, niſi ſtolidus quiſpiam, pro Diis habuerit? Sed Deorum ſunt iſta vel ſacra vel effigies quædam. Nec, fortè diuinas has eſſe imagines contenderim. Chriſtiani enim dicũt, Deum feciſſe hominem ad ſuam imaginem, & ſpeciem ſibi ſimilem. Sed tamen illi aſſentientur Chriſtiani, in quorundam honorem, qui vel ſimiles ſint vel diſſimiles ſpecie, hæc eſſe fabricata. Sed excipient non Deos eſſe, quibus ea ſint dedicata, ſed dæmones, & nõ eſſe dæmonibus ſeruiendum illi, qui in verum Deum credit. Hæc Celſus obijcit Chriſtianis. Origenes verò reſpondet, conſiderandum eſſe, alias eſſe cauſas & rationes, propter quas Perſæ auerſentur ſimulachra, & alias, propter quas Chriſtiani idem faciant. Non enim patiuntur Ieſum apud aras, & templa, & ſimulachra colere, ſed hæc auerſantur, quia audiunt ſcriptum eſſe: Non ſint tibi Dij alieni, nec feceris tibi rei vllius ſimilitudinem, non adorabis ea, nec ſeruies illis. Et poſtea ad Heracliti ſententiam, qua affirmat, ſtultum eſſe ſimulachris ſupplicare, niſi Deos prius quis norit & heroas, qualesnam ſint. Origenes reſpondens inquit: Nos Deum & vnigenitum eius Filium agnoſcimus, & Sanctos etiam: ſed dicimus fieri non poſſe, vt Deum quis norit, & ſimulachris vt ſupplicet. Nec ſolùm, inquit, ſtatuis ſupplicare veſanum eſt: ſed vel hoc ipſum diſſimulare. Nos verò ſimulachra non veneramur, ne vel in eam incidamus opinionem, qua imagines iſtas aliquos eſſe Deos putemus. Celſo verò, & cæteris, Deos eſſe ſimulachra negantibus, hoc crimini damus, quod tamen honorem imaginibus deferant. Vulgus enim Deos eſſe credit, quos alij ita venerantur, nos vero, ne diuinæ quidem imaginis ſimulachra hæc eſſe duxerimus, quippe qui Dei, vt inuiſibilis & incorporei, formam nullam effingamus. Quod verò homo dicitur ad imaginem Dei formatus, ad hoc reſpondemus, In anima rationali hanc eſſe Dei imaginem.

*Celſus de imaginibus.*

*Origenes de imaginibus.*

Et libro 8. Celſus obijcit Chriſtianis, quòd & aras, & ſimulachra, & delubra defugiant. Origenes autem reſpondet, non vt loco Gentilium idolorum alias externas imagines ſubſtituat, ſed inquit, nobis pro aris & delubris iuſtorum ſunt mentes, vnde emittuntur ſuauiſſimi incenſi, odores, vota & preces ex conſcientia puriore. Sunt nobis præterea & ſimulachra, non per impuros opifices aliquos fabricata, ſed per Dei verbum in nobis edita & formata, virtutum ſcilicet exempla & ſtructuræ, quæ imitatrices ſunt Chriſti, qui primogenitus eſt omnis creaturæ. Et, vt ſummatim expediam, inquit, Chriſtiani omnes, & quas diximus aras, & quæ iam oſtendimus ſimulachra, collocare maximè adnituntur, non tamen inanimata, & inſenſibilia quædam, nec dæmonum ſuſceptibilia, ſed ſpiritus Dei capacia & tabernacula Dei inhabitantis in nobis. Et poſtea, Nos ſimulachrorum fundationes ideò defugimus, quia vbi per Ieſu do-

ctrinam

ctrinam comperimus, quomodo colendus ſit Deus, ea nos euitamus, quæ ſub pietatis prætextu & opinione quadam, impios reddant, &c. Et hæc tam ſtrictè obſeruata tunc fuerunt, vt lib. 4. contra Celſum, Origenes affirmet, nullum ſiue imaginum fictorem, ſiue ſtatuarum fabricatorem in Iudæorum Repub. fuiſſe, vt quos procul Lex ipſa abigeret, ne qua his eſſet fabricandorum ſimulachrorum occaſio, quæ ſtultas mortalium animas à Deo reuelleret, & ad contemplanda terrena animi oculos retorqueret. Hæc Origenes.

*Veteres cur iniquiores imaginibus.*

Sed de lege, Exod. vigeſimo ſuprà diximus. Fuerunt autem Patres illi in vniuerſum imaginibus ideò iniquiores, qui enim ex gentibus cõuertebantur, verum etiam Deum in imaginibus per ſimulachra, ſeu ad ſtatuas, ſicut in Paganiſmo aſſueti fuerant, colere & adorare volebant, ſicut Lampridius de Alexandro Seuero, qui primus Imperatorum de Chriſtianiſmo bene ſentire cœpit, ſcribit, quòd domi in priuato ſuo Lario, inter Idola, etiam Chriſti imaginem habuerit & coluerit.

*Lactatius de imaginibus.*

Lactantius etiam circa annum Domini 300. in ſuis ad Conſtantinum Inſtitutionibus, gentium idola ſeu ſimulachra ita confutat, non vt alias ſubſtituat imagines, ſed argumenta ponit generalia contra quemuis ſimulachrorum cultũ: Nam libr. 2. cap. 2. omnes idolorum prætextus, quibus etiam ſuas Pontificii imagines pingunt, recitat & confutat. Non ipſa, inquiunt, ſimulachra timemus, ſed eos, ad quorum imaginem facta, & quorũ nominibus conſecrata ſunt. Nempe ideò timetis, inquit, quòd eos in cœlo eſſe arbitramini. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? Cur ad parietes, & ligna & lapides potius, quàm illò ſpectatis, vbi eos eſſe creditis? Quid ſibi ſimulachra volunt, quæ aut mortuorum aut abſentium monumẽta ſunt? Nam omnino fingendarum ſimilitudinum ratio idcirco ab hominibus inuenta eſt, vt poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerunt ſeparati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam ſtultus, vt colat? Si in abſentium, colendi ergo non ſunt, ſi nec vident quæ facimus, nec audiunt quę precamur. Si autem Dii abſentes eſſe non poſſunt, qui, quoniam diuini ſunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident & audiunt vniuerſa. Superuacua ergo ſunt ſimulachra, illis vbiq; præſentibus, cùm ſatis ſit audientium nomina precibus aduocare. At enim, inquiunt, præſentes non niſi ad imagines ſuas adſunt. Ita planè ſicut vulgus exiſtimat, mortuorum animas circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare. Item Dei, cuius ſpiritus ac numen vbiq; diffuſum, abeſſe nunquam poteſt, ſemper vtiq; imago ſuperuacanea eſt. Sed verẽtur, inquit, ne omnis religio eorũm inanis ſit & vana, ſi nihil in præſenti videant, quos adorent, & ideò ſimulachra conſtituũt. Sed ſimulachrũ Dei, quia à ſimilitudine nomen habet, non illud eſt, quod digitis hominis, ex lapide aut ære, aliauè materia, fabricatur, ſed ipſe homo. Et ſi ſentire ſimulachra poſſent, vltrò adoratura homines eſſent, à quibus ſunt expolita. Adorãt ergo inſenſibilia, qui ſentiunt, irrationabilia, qui ſapiunt, exanima qui viuunt, &c. cap. 2. Vulgus indoctum pompis inanibus gaudet, animiſque puerilibus ſpectat omnia, oblectatur friuolis, & ſpecie ſimulachrorum capitur. Ibidem citat & probat hos verſus:

*Nec pietas vlla eſt velatum ſæpè videri,*
*Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,*
*Nec procumbere humi proſtratum & pandere palmas*
*Ante Deûm delubra, & votis nectere vota.*

Cap. 4. citat & laudat illud Perſij, hoc eſſe aurum in templis, quòd ſint Veneri donatæ à virgine pupæ, quas illa ob minutiam fortaſſe contempſerit. Sed non videt, inquit, ſimulachra ipſa & effigies Deorũ, nihil aliud eſſe quàm grandes pupas, non à virginibus, quarum luſibus venia dari poteſt, ſed à barbatis hominibus conſecratas. His ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, vnguenta, & thura, & odores inferunt. His peplos & indumenta precioſa, quibus vſus velaminis nullus eſt, his aurum & argentum conſecrãt, has auro, gemmis excolunt & exornant. cap. 7. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, vt minus curentur res ipſæ. Auri, gemmarũ & eboris pulchritudo acriter perſtringit oculos, nec vllam religionem putant, vbi illa non fulſerint. Veniunt igitur ad Deos, non tam religionis gratia, quàm vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris aſpiciant, & quantò fuerint ornatiora templa, & pulchriora ſimulachra, tantò plus maieſtatis habere creduntur. Adeò religio Deorũ nihil aliud eſt, quàm quòd cupiditas humana miratur. cap. 17. Dæmones docuerunt imagines & ſimulachra fingere, vt hominum mentes à cultu veri Dei auerterent. Cap. 18. Simulachra ipſa, quæ coluntur, effigies ſunt hominum mortuorum. Eſt autem peruerſum, vt ſimulachrum hominis à ſimulachro Dei colatur. Cap. 19. Deus non in ima, ſed in ſumma regione quærendus eſt. Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, vbicunq; ſimulachrũ eſt. Nam ſi religio ex diuinis rebus eſt, diuini autem nihil eſt, niſi in rebus cœleſtibus: Carent ergo religione ſimulachra, quia nihil poteſt cœleſte eſſe in ea re, quæ fit ex terra, quod quidẽ de nomine ipſo apparet. Quicquid enim ſimulatur, id falſum eſſe neceſſe eſt. Idẽ lib. 6. ca. 2. Num mentis ſuæ compos putandus eſt, qui autori & datori luminis candelarum ac cerarum, lumen affert pro munere? Cap. 25. Veſtes, gemmas, & cætera quæ habentur in precio, ſi quis putet Deo chara & offerenda, is planè quid ſit Deus neſcit. Has Lactantij ſententias ideò adſcripſi, quia oſtendunt, illis temporibus in oratoriis Chriſtianorum nullum fuiſſe vſum ſimulachrorum, multò minus ad cultum ea fuiſſe à Chriſtianis adhibita. Deinde, quia ita ſunt poſitæ illæ ſententiæ, quaſi Lactantius Pontificiorum Templa ingreſſus, ſimulachra & cultus eorum vidiſſet, & ex profeſſo irriſiſſet. Operibus Lanctantij adiunctum eſt carmen, in quo hi verſus leguntur:

*Quiſquis ades, mediiq; ſubis in limina Templi,*
*Siſte parum, inſontemq; tuo pro crimine paſſum*
*Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerua.*

Sed carmen illud non eſt Lactantij, ſed recentioris poſt Lactantium.

*Athanaſius. Euſebius de imaginibus.*

Ex Athanaſio & Euſebio ſuprà adſcripſimus ſententias, quòd Ethnici prætenderint imagines ſeu ſimulachra eſſe tanquam rerum diuinarum literas. Et iſtam ſanè rationem Patres illi

in Ethnicis confutant, non autem in illum vſum alias imagines ſubſtituunt. Athanaſius quidem Sermone 4. contra Arrianos vtitur hoc argumento: Qui adorat imaginem regis, in illa adorat ipſum regem, quippe cùm ipſa imago aliud nihil ſit, quam regis forma ac ſpecies. Sed hoc Argumentum Athanaſius nequaquam accommodat ad imagines, ſtatuas, ſeu externa ſimulachra Dei colenda & adorāda, ſed ad ipſum Chriſtum, qui eſt ſubſtantialis imago Dei, atque ideò cum patre adorandus. Ita Auguſt. Epiſt. 119. dicit, Exod. 20. prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non, quia non habeat imaginem Deus, ſed quia nulla imago eius coli debet, niſi illa, quæ hoc eſt quòd ipſe (hoc eſt Filius Dei) nec ipſa pro illo, ſed cum illo.

*Eraſmus.*

Et, vt ſummatim dicam, ex certis & probatis hiſtoriis conſtat, ſicut Eraſmus in Catecheſi ſua inquit, vſq; ad Hieronymi ætatem fuiſſe probatæ Religionis viros, qui in templis nullam ferebant imaginem nec pictam, nec ſculptam, nec textam, ac ne ipſius Chriſti quidem. Nam ne Conſtantini quidem tempore, qui tamen multis precioſis anathematis ex auro, argento, & gemmis templa ornauit, imagines in templa receptas fuiſſe apud Euſebium legitur, cùm tamen & ſuas & ſuorum imagines, Danielis etiam & boni paſtoris ſymbola, fieri curaſſe ſcribatur, ſed in aliis locis, non in templis collocaſſe, apud Euſebium libro 3. & 4. de vita Conſtantini. Et quæ Lactantius de imaginibus ſcripſit, ea Conſtantino inſcripſit.

*Vſq; ad Conſtantinum imagines non in Templis.*

In vno & ſolo Tertulliano, qui circa annum Domini 200. floruit, animaduerti, hiſtoriam de Paſtore vocante & quærente ouem erraticam, alicubi in calicibus ſacris depictam & inſculptam fuiſſe, diſputans enim in libro de Pudicitia, iuxta Montani dogma, parabolam Lucæ 15. non de Chriſtianis lapſis, ſed de Ethnicis nondum conuerſis intelligēdam inquit: Procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, vtrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori, de reſtitutione conlineet. hæc Tertulli. ſed illa pictura non fuit ad cultum propoſita, & quàm iniqui cæteri illorum temporum Scriptores imaginibus fuerint, iam oſtendemus.

Damaſcenus verò peculiaris Patronus cultus venerationis & adorationis imaginum, cum & Scripturæ teſtimoniis, & primitiuę Eccleſiæ exemplis deſtituatur, vehementer contendit, cultum imaginum eſſe traditionem Apoſtolorum non ſcriptam. Hoc enim artificio conatur elabi, ne onus probationis in ſe recipere cogatur. Addit autem, Chriſtum ipſum eſſe authorem & approbatorem, cùm imaginū, tum cultus earum. Dum verò hoc probare conatur, manifeſtum prodit figmentum. Extat enim apud Euſebium in fine libr. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ narratio, eo titulo, quod ex Archiuis Reip. Edeſſenæ ſit deſumpta, de legatione & Epiſtola Abgari Regis ad Chriſtum, & Chriſti ad Abgarum. Iſti verò Euſebianæ narrationi Damaſcenus lib. 4. cap. 17. addit, ſeu potius affingit hoc, quod Euſebius in publicis inſtrumentis nō inuenit nec legit. Abgarum ſcilicet Edeſſenorum illum Regulum, miſiſſe pictorem (ὁμοιογραφῆσαι) ad depingendam imaginem ſeu ſimulachrum Chriſti. Cùm verò pictor ille propter claritatem, quę ex vultu illius reſplendebat, hoc præſtare non poſſet, Chriſtū ipſum veſtem diuino & viuifico vultui ſuo admouiſſe, & (ἐναπεμάξατο) quaſi abſtergēdo veſti imaginē ſuam impreſſiſſe, & Abgaro eam cupienti miſiſſe. Illud verò Damaſceni figmentum Nicephorus lib. 2. cap. 7. ad ipſam Euſebij narrationē aſſuit & affingit, & quidem cum fœnore. Addit enim præterea aliam fabulam: Perſarum etiam Regem pictorē miſiſſe, & per hūc, & Chriſti, & Matris eius depictam imaginem accepiſſe. His verò Nicephorus addit Euſebij clauſulam. Hæc ex Archiuis Edeſſenis ſunt deſumpta. Quod inſpicienti Euſebij hiſtoriam manifeſtò apparet, eſſe crimen falſi.

*Damaſceni & Nicephori fabula de Abgaro.*

*De imagine Chriſti.*

De ficta verò illa imagine, Nicephorus lib. 17. cap. 6. ſcribit: Quòd Iuſtiniani temporibus Edeſſeni in obſidione, rebus omnibus deſperatis, ad imaginem illam diuinitus acceptam, tanquam ad ſupremam ancoram, cōfugerint, & diuinam eius virtutem in liberatione experti ſint. Sed in Decretis diſt. 15. Gelaſius dicit, & idem repetit Iſidorus, totam illam narrationē de Abgaro eſſe apocrypham. Et tamen Pontificij non verentur fundamenta doctrinæ ſuæ ex apocryphis fabulis mutuari, & iis tantùm non triumphare. Similis authoritatis eſt altera fabula de Veronica, quæ ne vulgarium quidem ſcriptorum teſtimonia habet, niſi forſan Legendæ illius, quam Viues dicit immeritò auream vocari, cùm ſcripta ſit ab homine plumbei cordis, & ferrei oris.

*Narratio de Abgaro apocrypha.*

*Legenda aurea.*

Inter Athanaſij opera, fertur hiſtoria de imagine Chriſti, à Nicodemo olim facta, vſurpata verò à Gamaliele, Iacobo, Simeone, Zachæo, Epiſcopiſq; Hieroſolymitanis, quę ſub vaſtationem Hieroſolymæ in Syriam tranſlata fuerit, atq; poſtea in oppido Berytho à Iudæis crucifixa & perfoſſa, emiſerit ſanguinem & aquā, quibus totam hydriam compleuerit, vnde multi ægroti peruncti ſanati fuerint. Et hoc miraculo Iudæos conuerſos, cruorem etiam illum ab Epiſcopo loci per Aſiam, Aphricam & Europam miſſum. Sed ſuppoſititium eſſe illud ſcriptum, & falsò Athanaſio tribui conſtat, id quod Nannius etiam Louanienſis, qui Athanaſij opera in Tomos digeſſit, non diffitetur. Et quod fraudē manifeſtè detegit: Sigebertus ſcribit anno Domini 765. in Berytho Syriæ imaginem Chriſti in domo Iudæi, à Chriſtiano relictam, inuentam fuiſſe, & quæ præterea accidiſſe ferūtur. Ipſa etiam Lōbardica hiſtoria, Legēda 130. expreſsè dicit, illud ꝙ de cruce Berythana narratur, contigiſſe A. D. 750. falsò igitur Athanaſio tribuitur.

*De imagine crucifixi in Athanaſio ſuppoſititio.*

Ieſuitæ ex Simone Metaphraſte, quem Lombardicis Legendis, quia illæ gratiam iam exuerunt, nouo titulo ſuccenturiarunt Pontificij, citant, Lucam Euangeliſtam imaginem Matris Chriſti artificioſè delineaſſe, cui poſtea templū ædificatum ſcribit ſuo more Niceph. lib. 14. cap. 2. Et Alexium imaginem Chriſti ad Abgarum miſſam intuitum. Citant etiam ex ignoto & obſcuro ſcriptore Michaele Syngelo, Dionyſium Areopagitam illos corripuiſſe, qui imagines abrogare conabantur. Sed autores ſunt dubij, & narrationes pugnant contra veritatem hiſtoriæ primitiuæ Eccleſiæ. Inde ergo æſtimetur, qualis ſit Pontificiorum cauſa, quam non aliter ac per figmenta probare poſſunt.

*Lucas imaginem Mariæ.*

Ita

*Conſtantini imagines.*

Ita in Syluestri etiam Legenda ſcribitur, ipſum circumtuliſſe imagines Apoſtolorũ: Damaſus etiam in Pontificali dicit, Conſtantinum in Baſilica Lateranenſi, vbi baptizatus erat, feciſſe fontem ſanctum, & in Labio fontis, agnum fundentem aquam, ad dexteram agni Saluatorem, in læua agni Baptiſtam cum titulo: Ecce agnus, &c. Sed eadem fide, qua fabula Baptiſmi Conſtantini ibi narratur, Platina ſcribit, Conſtantinum ſtatuas Chriſti & Apoſtolorum in templa collocaſſe, ſed tale nihil Euſebius habet, licet alii poſteriores hiſtorici alicubi eò inclinare videtur. De cruce Domini ab Helena inuenta in Ambroſij ſcriptis, de quorum tamen fide dubitatur, & apud alios authores multa leguntur, ſed Gelaſius Diſti. 15. dicit, nouellas eſſe reuelationes, quæ iuxta Pauli ſententiam legendæ ſint cum iudicio: Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Et tamen nec lignum crucis, nec clauos in templa propoſuerunt colenda & adoranda, ſed de vno clauo frænos Conſtantino fieri præcepit, alterum diademati ipſius intexuit, partem crucis Conſtantini ſtatuis inditam Socrates narrat. Alii addunt alia miracula. Sed Gelaſius dicit, nouellas eſſe reuelationes cum iudicio legendas. Et tamen de Helena Ambroſius dicit, Regem adorauit, non lignum crucis. Ex veris igitur & certis hiſtoriis non poteſt oſtendi imagines in primitiua Eccleſia ad cultum diuinum adhibitas, vel in oratoria receptas fuiſſe, per annos trecentos & amplius.

*Inuentio crucis non authentica.*

## *HISTORICVS IMAGINVM VSVS in primitiua Eccleſia.*

*Hiſtorica imagines in primitiua Eccleſia.*

Reſtat iam vt oſtendatur, non tamen ſimpliciter extra caſum cultus & adorationis, omnem etiam hiſtoricum imaginum vſum in primitiua Eccleſia reiectũ fuiſſe. Extat enim hiſtoria apud Euſebium lib. 7. cap. 14. quæ multa huc pertinentia vtiliter monet: Mulierem ſcilicet illam, quam ſanguinis profluuio laborantẽ, à Saluatore curatam Euangeliſtæ tradunt, ex ciuitate Cæſareæ Philippi oriundã fuiſſe, domũq; illius ibi oſtendi, & admiranda quædam Seruatoris in eam beneficii quaſi trophæa ibi durare. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris (ἐκτύπωμα) effigiem genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicatis in anteriorem partem extẽſis, ſuper editum lapidem collocatam. Huic è regione viri erectam (σχῆμα) imaginem ex eadem materia, diploide decenter amictam, & manum mulieri porrigentẽ. Ad cuius pedes, in ipſa baſi, peregrinam quandam herbæ ſpeciem enaſci, quam quidem, vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuerit, morbis cuiuſq; generis medicandi facultatem habere (ἀλεξιφάρμακον τυγχάνειν) Hanc ſtatuam effigiem Ieſu exprimere dicebãt, quam ad noſtram vſque ætatem permanentem, ipſi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus, inquit Euſebius, Hiſtoricam fuiſſe hãc imaginem manifeſtum eſt. Ne verò exiſtimetur ex mandato, traditione, aut exemplo Chriſti, Apoſtolorũ, & Eccleſiæ Apoſtolicæ hoc factum, & partẽ eſſe Religionis Chriſtianæ: Euſebius addit, eos qui ex Gentibus crediderant, & beneficio aliquo à Seruatore noſtro affecti fuerant, olim, vt veriſimile eſt, (ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ) gentili conſuetudine nihil immutata, ſed ſine diſcrimine per omnia ſimiliter, ſicut in Gentiliſmo aſſueti erant, tanquam ſeruatores, hoc eſt, qui aliquid beneficij & ſubſidij ipſis cõtuliſſent, ad hunc modum apud ſe honore afficere cõſueuiſſe. Et addit Euſebius nihil mirum eſſe, nam & nos, inquit, Petri & Pauli Apoſtolorum, & ipſius etiam Chriſti imagines (διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας) in picturis colorum varietate expreſſas & conſeruatas aſpeximus. His verbis Euſebius politicum & hiſtoricum imaginum vſum deſcribit: Illum verò in Apoſtolica & primitiua Eccleſia non fuiſſe reiectum & damnatum, hinc conſtat: In illis enim locis Apoſtoli docuerunt, & fuerunt ibi etiam poſtea Eccleſiæ, & tamen ſtatuam illam ab Hæmorrhouſa poſitam, nec reprehenderunt, nec deiecerunt, ſed tanquam hiſtoricum monumentum ſeu memoriale reliquerunt. Nec à Deo ſtatuam illam damnatam fuiſſe, herba illa ἀλεξιφάρμακος indicat. Euſebius etiam ſtatuam illam, & reliquas imagines Chriſti, & Apoſtolorum, in hiſtorico vſu nec reprehendit nec damnauit. Inde enim abſq; dubio ſumptæ poſtea fuerunt deſcriptiones ſtatuæ, lineamentorum, & habitus Chriſti, & Apoſtolorum, quæ extant apud Nicephorum lib. 1. cap. 40. & libr. 2. cap. 37. Iulianus verò poſtea, ſicut ſcribit Sozomenus lib. 5. cap. 20. cùm propoſitũ ſibi haberet, omni cõtumeliarum genere Chriſti nomen afficere, ſtatuam illam Chriſti in Cæſarea Philippi deiecit, ſuamq; eius loco poſuit, quæ fulmine mox tacta & combuſta fuit. Gentiles verò ſtatuam illam Chriſti, odio nominis Chriſti per plateas traxerunt, & contumeliis affectam comminuerunt.

*Statua Chriſti Cæſareæ.*

*Euſebius de origine imaginum.*

*Chriſti & Apoſtolorum imagines antiquæ.*

*Primitiua Eccleſia non damnauit hiſtoricum imaginum vſum.*

*Iulianus ſtatuam Chriſti deijcit.*

Nec tamen vel Apoſtoli, vel primitiua Eccleſia cõcurſus, aut peregrinationes ad ſtatuam illã Religionis ergò inſtituerunt (Euſebius enim hiſtoriæ gratia eo profectus fuit) nõ circumgeſtarunt illam in ſupplicationibus, non cultũ Chriſti apud eam inſtituerũt, non cereis & aliis anathematis eam honorarunt, non vel ipſam ſtatuam, vel Chriſtum in illa ſtatua, aut per illam ſtatuam, coluerunt & adorarunt. Imò non fuit illis temporibus, per annos trecentos, in oratoria Chriſtianorum ſtatua illa translata. Quid enim ſub Iuliano factum ſit, poſtea annotabimus. Et ex iis, quæ Nicephorus lib. 10. ca. 30. ſcribit, certò intelligitur, nequaquam ad cultum vſurpatã fuiſſe ſtatuam illam in primitiua Eccleſia. Dicit enim temporis diuturnitatem obliuionem induxiſſe, cuiuſnam ea ſtatua formam referret, & cuius rei gratia ibi eſſet collocata. Quia enim ſub dio ſteterat, corpus fuiſſe mutatum, & imbres ex locis ſuperioribus limum ſecum trahentes, ſtatuæ ipſi aggeſſiſſe, vt literæ non apparerent. Cùm verò herba illa inueſtigaretur, effoſſa terra literas rem ipſam indicantes apparuiſſe. Et deinceps herbam illam, ab eo tempore, neq; eo ipſo, neque alio loco fuiſſe conſpectam.

*Ad ſtatuam Chriſti nullus cultus inſtitutus.*

Hæc igitur de hiſtorico vſu imaginum Chriſti & Sanctorum in primitiua Eccleſia, plana & manifeſta ſunt. Et eodem pertinet etiam, quod Auguſtinus ſcribit de conſenſu Euangelii, lib. 1. cap. 10. Ethnicos finxiſſe, Chriſtum ſcripſiſſe aliquid ad Petrum & Paulum, & addit: Gentes iſtius figmenti occaſionẽ inde ſumpſiſſe, quod pluribus locis ſimul Petrum & Paulum cum Chriſto pictos viderant. Huc pertinet etiam pictura

*Auguſtin. de imaginibus Chriſti, Petri & Pauli.*

Tertulliani de paſtore quærente ouem perditam, calicibus inſculpta.

*De politicis imaginibus. Origenes.*

Origenes etiam, licet ſimulachra à religione Chriſtiana proſcribat, politicum tamen vſum imaginum non improbat. Nam in 13. cap. Matth. de ſimilitudinibus in imaginibus & ſtatuis diſputat, quando in cera, & quando in ligno effinguntur, quando eminentias, & quando colores exprimant, & hæc accommodat ad parabolas.

*Lactantius.*

Lactantius etiam ſimulachrorum inſectator acerrimus, tamen de politico ſeu hiſtorico vſu imaginum ita inquit, libr. 5. cap. 3. Nego eſſe quenquam, qui non optet in primis id ſibi poſt mortem contingere, quod etiam Reges maximi concupiſcunt. Cur enim ſibi homines ſepulchra magnifica, cur ſtatuas, ſibi imagines comparant, niſi quòd immortalitatem de memoria nominis ſperant?

*Athanaſius. Baſilius.*

Athanaſius etiam & Baſilius à politicis Regum imaginibus ſimilitudinem mutuantur, quando de æqualitate gloriæ & maieſtatis Patris & Filij diſputant.

*Ambroſius.*

Ambroſius etiam in Pſalmo 118. idem argumentum tractans ſcribit: Qui Imperatoris imaginem coronat, vtique illum honorat, cuius imaginem honorauit, & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique cuius ſtatuam cõſpuerit, feciſſe videtur iniuriam. Sed nequaquam inde docuerunt, imagines Dei, vel pictas, vel fictas, eodem cultu & eadem adoratione, ſicut Deum ipſum, in Eccleſia proſequendas: hoc enim lege Dei expreſſè prohibetur, & in primitiua Eccleſia damnatum fuit, ſicut hactenus oſtendimus.

Conſtantinus quoq; poſt conuerſionem imaginem ſuam depingi curauit. Nam ſicut Euſebius de vita ipſius libr. 4. ſcribit, in aureis nummis ita eam inſculpi curauit, vt panſis manib. inſtar precantis, cœlum contueri videretur. In ipſis verò regiis, per quaſdam ianuas, in tabellis, quæ ſummis veſtibulorum partibus affixæ erant, erecto ſtatu pingebatur, ſurſum in cœlum contemplans, & precantis forma manus ſurſum tollẽs. Nec iudicatus tunc fuit Conſtantinus peccare contra legem, Exod. 20. Et lege quidem cauit, ne ipſius effigies in idolorum templis poneretur. Non tamen eam in Chriſtianorum templis collocaſſe legitur. Sed ſtatua ipſius cum cruce Romæ, non autem in templis collocata aliquoties ſcribitur apud Nicephorum lib. 17. ca. 30. & 49. lib. 8. cap. 32. Suprà etiam diximus de Conſtantini imaginibus, poſt mortem ipſius ad memoriam factis.

*Conſtantini imago.*

Frequens ſanè apud omnes veteres Scriptores eſt mentio ſigni crucis. ſed videndum eſt quale fuerit ſignum. Non enim primis illis temporibus fuit imago ſeu effigies, hominis membris expanſis, cruci clauis affixi, ſed tempore Tertulliani & poſtea, Chriſtiani digitis in aëre formabant figuram tranſuerſam quaſi crucis, & ita ſe ſignabant.

*Signum crucis non effigies crucifixi, ſed in aëre formatur.*

Non erat autem ſignum ad cultum & adorationem propoſitum, non enim tunc aliquid ſubſiſtens erat, ſed tantùm erat profeſſio & commonefactio, quòd in Chriſtum crucifixũ crederent, atque omnem in ipſo ſpem & fiduciam collocatam haberet.

*Quale ſignũ crucis ſub Conſtantino.*

Sub Conſtantino verò cœpit ſignum crucis duobus lignis tranſuerſim coniunctis repræſentari vel tali forma pingi. Narrat enim Conſtantinus ſe, cùm ſolicitè cogitaret, an Gentilem idololatriam abiicere, & cultum Chriſti amplecti vellet, vidiſſe ſupra Solem in cœlo ſignum crucis, ex lucis ſplendore figuratum, additis quaſi literis, In hoc ſigno vince. Qua viſione Deus ipſum monuit de agnitione, inuocatione, & cultu Chriſti crucifixi, ſicut Epiſcopi conuocati, ipſi apud Euſebium exponunt.

*Vexillum Cõſtantini forma crucis.*

Et Conſtantinus hac viſione motus, vexillum militare tali forma fieri curauit: Haſtile ſcilicet oblongum, auro obductum, quod cornu habuit tranſuerſum, ad formam crucis conſtructum. In faſtigio corona gemmis & auro circũtexta, in qua nota Seruatoris duabus primis literis nominis Chriſti inſcripta erat. In tranſuerſo autem cornu velamen quoddam appenſum adhæſit, gemmis reſplendeſcens. Sub velamine verò deorſum in oblongo haſtili, aurea Cõſtantini & liberorum effigies, ad pectus vſq; depicta, continebatur.

*Signum crucis Conſtantinus non in templa.*

Illud ſignum Conſtantinus non in templis ad cultum & adorationem propoſuit, ita enim ſimul & ſuam & ſuorum imaginem adorari voluiſſet, ſed pro militari ſigno vſus eo fuit, quòd priuatim poſtea in Palatio aſſeruatũ, ipſe Euſebio oſtendit. In ipſis etiam armis militum ſignum hoc inſculpi fecit, vt eſſet partim ſignum profeſſionis, partim vt milites ſenſim ita deduceret ad agnitionem, inuocationẽ, & cultum Chriſti crucifixi. Hoc exemplum alij etiam imitati ſunt.

*Alexandrini ſignũ crucis.*

Alexandrinos enim ſcribit Ruffinus thoraces Serapis, quos in parietibus, in ingreſſibus & in feneſtris habuerant Gentiles, iam Chriſtianos factos abraſiſſe, & pro iis crucis dominicæ ſignum in iiſdem locis appinxiſſe.

Fuit autem tunc ſignum crucis tantùm figura tranſuerſa, nõ effigies hominis expanſi & crucifixi, nec ad adorationem propoſitum erat, nec Cõſtantini tempore in templis fuiſſe vel hæc effigies, vel alia imago legitur.

*An Conſtantini tempore imagines in templis.*

Apud Euſebium enim de vita Conſtantini lib. 3. & 4. extant prolixæ & accuratæ deſcriptiones, quomodo lapidibus, marmore, auro, argento, gemmis templa exornarunt, nulla verò imaginum fit mentio. Columnas & thecas duodecim in memoriam Apoſtolorum, non autem ſtatuas vel imagines ipſorum in templis poſuiſſe legitur. In medio foro apud fontes ſymbola boni paſtoris, & Danielẽ cum leonibus ære inciſum poſuiſſe, & in ipſo Palatij introitu ſignum crucis in tabula ex auro & gemmis confectum, affixiſſe legitur lib. 3. ſed non in Eccleſias tranſtuliſſe. Statuam etiam ſuam cum ſigno crucis Romæ & Conſtantinopoli in plateis, non in Eccleſijs collocaſſe legitur. In Tripartita quidem hiſtoria & apud Nicephorum videntur loca quędam eo inclinare, quaſi Conſtantini tempore cœperint ſtatuæ quædam in templa collocari. Non admodum igitur hac de re pugnabo, ſed tamen Euſebii hiſtoria de Conſtantino, vt qui de re præſenti ſcripſit, certioris eſt autoritatis, poſteri enim ex rumoribus videntur quædam addidiſſe.

*Sozomenus.*

Ita Sozomenus lib. 1. cap. 4. de cultu & adoratione ſigni crucis quædam addit. Sed Euſebius, qui ex ipſius Conſtantini narratione, ea quæ de ſigno crucis ſcribit, accepit, nihil tale habet. Et reliqui etiam Scriptores illorum temporum cultum & adorationem crucis negarunt.

*Arnobius.*

Arnobius certè, qui vixit anno Domini 330. lib. 8. contra gentes, calumniam illam refutans, quaſi Chriſtiani cruces colant, inquit: cruces nec colimus nec optamus.

mus. Vos planè qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt Deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam vexilla caſtrorum quid aliud ſunt, quàm inauratæ cruces, trophæa verò veſtra, non tantùm ſimplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur, &c. *Cyrillus.* Cyrillus etiam libro 6. contra Iulianum negat, ſignum crucis à Chriſtianis & coli & adorari. Quando verò lignū crucis in templis poſitum, & quando crucifixi effigies acceſſerit, in ſequentibus annotabimus. *Imagines non ad cultum propoſita.* Hactenus enim ex certis & veris hiſtoriis oſtendimus, in primitiua Eccleſia, vltra trecentos annos, imagines non fuiſſe ad cultum adhibitas, atq; ideo, ne ad cultum transferrentur, *Nec in oratoria recepta.* non receptas in Oratoria ſeu templa. Quæ verò ex ſcriptoribus recentioribus, vel ex dubiis & ſuppoſititiis ſcriptis, quaſi antiquitus facta proferuntur, meritò non curamus.

*HISTORICA OBSERVATIO, QVANDO & quomodo imagines in templa receptæ, & quis primùm vſus earum fuerit, quæq; poſtea conſecuta ſint.*

GEntium Idolis deſtructis, & pace Eccleſijs reddita ſub Conſtantino, & poſtea frequentior cœpit inter Chriſtianos vſus eſſe hiſtoricarum imaginum, ſicut de Miletio Antiocheno, qui in ſecunda Oecumenica Synodo mortuus fuerat, Niceph. lib. 12. cap. 14. ſcribit: Tantum viri huius deſiderium in animis hominum relictum, vt illius formam & effigiem in parietibus & tabulis depingi, in poculis & in annulis exſculpi curarint, ſicut etiam Chryſoſtomus narrat. *Qua occaſione imagines in templa.* Cùm verò Panegyricæ ſolennitates de martyrū paſſionibus magno ſtudio frequentarentur, templa quoque ſplendidè & magnificè exornarentur, cœpit in ipſis etiam templis vſus eſſe imaginum, non ſanè ad cultum & adorationem, ſed partim ad hiſtoricam commonefactionem, partim ornatus gratia. Et cœptum hoc fuit potiſſimum circa annum Domini 380. Et reliqui ſanè patres iſtius ſeculi mutuantur quidem aliquando ſimilitudines à picturis politicis. Et de Imperatorum quidem ſtatuis, ac de aliis imaginibus, quæ in locis priuatis ſeu prophanis fuerunt aliquando mentionem faciunt. Sed imagines ſeu picturas in ipſis templis tunc fuiſſe, ex certis ac genuinis ipſorum ſcriptis oſtendi non poteſt, ſuppoſititia enim meritò repudiamus. Et de pictura in calice apud Tertullianum ſuprà diximus.

*Greg. Niſſenus primus imagines in templa apud Græcos.* Apud Gregorium Nyſſenum verò, primum quod obſeruare potui, inter Græcos reperiuntur deſcriptiones picturarum in ipſis templis, vt oratione in Theodorum Martyrem, deſcribens memorias Martyrum, dicit ædem, vt Dei templum, ſtructurę tùm amplitudine, tùm pulchritudine, ſplendidè exornatam, fabrum in animalium figuram ſignum formaſſe, & Latomum ad argenti leuitatem cruſtas lapideas expoliuiſſe. Et pictor etiam, inquit, artis ſuæ flores induxit, in imaginibus exprimens res martyris præclarè geſtas, labores, cruciatus, immanes Tyrannorum aſpectus, impetus, ardentem illam & flammas euomentem fornacem, beatiſſimum Athletæ finem, Chriſtiq; certamini præſidentis humanæ formæ effigiem. Hæc pictor, tanquam in libro loquente, artificiosè depingens, Martyris certamina nobis expoſuit, & inſtar prati amœnum & floridum templum exornauit. Solet enim etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq; prodeſſe, &c. Ex eodem Nyſſeno citatur etiam hæc ſententia de hiſtoria Abrahæ. Vidi ſæpius inſcriptionis imaginem, & ſine lachrymis tranſire non potui, cùm tam efficaciter pictura ob oculos poneret hiſtoriam. Procumbit enim ante aram Iſaac, genibus innixus, circumductas ferens in tergo manus, Abraham verò à tergo pueri innixus pedum curuamine, ſiniſtra comam pueri apprehendit, ad ſe trahens, declinat autem faciem ad puerum, miſerabiliter illum intuens, dextram autem gladio obarmatam geſtat, quam etiam ad cædem dirigit. Iamq; gladii acies ipſum corpus propemodum attigit, cùm illum diuina vox à facto deterret. Hæc Nyſſenus apud Græcos.

Apud Latinos verò de Pontio Paulino, qui poſt annum Domini 400. vixit, ſcribitur: Cùm populus, qui ad Natalem diui Felicis conueniebat, in templo epulari ſoleret, Paulinum parietes templi picturis, ex veteri & nouo Teſtamento deſumptis, ornandos curaſſe, vt accumbentes ſpectandis illis occupati, temperantius conuiuium exigerent. Et Epiſt. 12. picturas & verſus, quibus duas Baſilicas, Nolanam & Fundanam, exornarat, tranſmittit Seuero petenti verſus Paulini ſub imagine Martini, vbi de imagine Trinitatis hi extant verſus:

*Pleno coruſcat Trinitas myſterio,*
*Stat Chriſtus agno: vox patris cælo tonat,*
*Et per columbam Spiritus ſanctus fluit.*

Et in Natali Felicis 9. ſcribit:

*Nunc volo picturas fucatas agmine longo*
*Porticibus videas, &c.*
*Omnia namq; tenet ſerie pictura fideli,*
*Quæ ſenior ſcripſit per quinq; volumina Moſes.*

Et Natali 10.

*Miremurq; ſacras veterum monumenta figuras,*
*Et tribus in ſpaciis duo teſtamenta legamus.*

Prudentius etiam in paſſione Caſſianni Martyris narrat, ſe vidiſſe picturam Martyrij ipſius: *Prudentius.*

*Erexi ad cælum faciem, ſtetit obuia contra*
*Fucis colorum picta imago martyris.*
*Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,*
*Ruptam minutis præferens punctis cutem.*
*Innumeri circum pueri, miſerabile viſu,*
*Confoſſa paruis membra figebant ſtylis.*
*Aedituus conſultus ait: Quod proſpicis, hoſpes,*
*Non eſt inanis aut anilis fabula.*
*Hiſtoriam pictura refert, quæ tradita libris,*
*Veram vetuſti temporis monſtrat fidem, &c.*

Idem in Hymno de beato Hippolyto, inquit:

*Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo*
*Multicolor fucus digerit omne nefas.*
*Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget vmbris,*
*Effigians tracti membra cruenta viri.*
*Docta manus virides imitando effingere dumos*
*Luſerat, & minio roſeolam ſaniem, &c.*

Sozomenus lib. 5. c. 20. ſcribit: Cùm Iulianus ſtatuam Chriſti ab Hæmorrhouſa poſitam, deieciſſet, & Gentiles eam in contumeliam Chriſti confregiſſent, Chriſtianos poſtea fragmenta illa collegiſſe, & in Eccleſia poſuiſſe, atq; ibi ſuo etiamnum tempore ſeruata illa fuiſſe ſcribit. Nicephorus verò ſuo more poſteriorū temporum ſuper- *Hæmorrhouſæ ſtatua tandem in Templum.*

ſuperſtitiones vetuſtis hiſtoriis aſſuens, dicit li. 10. cap. 30. Chriſtianos ſtatuam illam in diaconico Eccleſiæ loco honoratiori poſuiſſe, & cultu conuenienti eam proſecutos fuiſſe.

*Signū crucis in Templa.*

Poſtea etiam crucis ſignum in templa illatum fuiſſe ex Nili Epiſtola colligitur. Cùm enim Olympiodorus quęſiuiſſet, an decorum eſſet templum ornare imaginibus variorū animantium: Reſpondet, puerile & ſtultū hoc eſſe, ſed in loco ſacro crucem eſſe effigiandam, & parietes veteris ac noui Teſtamenti hiſtoriis opera docti pictoris replendos. Fuit autem illis temporibus lignum tantùm tranſuerſum, in forma crucis cōpactum, quod Cyrillus etiam contra Iulianum lib. 6. oſtendit. Quod enim lib. 2. cap. 3. de viſitatione infirmorū ſcribitur, de addita ſuper crucē hominis ibi patientis imagine longè poſtea acceſſit. Libri enim illi non ſunt Auguſtini, ſed longè poſt Auguſtini ætatem conſcripti.

*Quale ſignū.*

*Contradictū imaginibus.*

Vtilis verò & multa monens obſeruatio eſt, quòd illis ipſis temporibus, quādo in ipſa etiam templa Chriſtianorum hiſtoricum imaginum vſum recipere & admittere cœptum fuit, non pauci eruditi & pii Epiſcopi partim contradixerint, metuentes ſecuturam adorationem picturarum, & magis probantes morem primitiuæ Eccleſiæ, quæ religionem abſq; ſimulachris habuit & exercuit, cultum verò & adorationem imaginum ſimpliciter omnes tunc damnarunt. Nota eſt Epiphanij hiſtoria, quòd in Palæſtina in vico Bethel, inuenerit velum pēdens in foribus Eccleſię tinctum atq; depictum, habēs imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cuiuſdam. Narrat autem Epiphanius ipſe in Epiſtola ad Ioannem Patriarcham Hieroſolymitanum, hiſtoriam his verbis: Cùm hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra autoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi velum illud, & magis dedi conſilium cuſtodibus eiuſdem loci, vt pauperē mortuum eo obuoluerēt. Illi verò contrà murmurantes dixerunt: Si ſcindere voluerat, iuſtum erat, vt aliud daret velum. Quod cùm audiſſem, pollicitus ſum me daturum. Nunc autem miſi quod potui reperire, & precor, vt iubeas Preſbyteros eius loci ſuſcipere velum, quod à nobis miſſum eſt: & deinceps præcipere in Eccleſia Chriſti eiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi. Decet enim honeſtatem tuam, hanc magis habere ſolicitudinem, vt ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt Eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt. Hæc Epiphanius in Epiſtola ſua, quam Hieronymus cum laude & commendatione Epiphanii in latinam linguam conuertit: vnde rectè intelligitur, illam Epiphanij ſententiam Hieronymo, & eius ſeculi Doctoribus, in latina Eccleſia non improbatam fuiſſe. Fertur & alia Epiphanij ſententia his verbis: Attendite vobis, vt ſeruetis traditiones, quas accepiſtis.

*Epiphanij hiſtoria contra imagines.*

Eſtote ergo memores, ne in Eccleſiam imagines inferatis, neque in Sanctorum Cœmiteriis eas ſtatuatis: ſed perpetuò circumferre Deum in cordibus veſtris. Quin etiam, ne in domo communi tolerentur. Non enim fas eſt, Chriſtianum per oculos ſuſpenſum teneri, ſed per occupationem mentis.

Et contra Collyridianos Epiphanius inquit: Diabolus mortalem naturam in hominum oculis deificans, ſtatuas imagines humanas præferentes per artium varietatem expreſſit.

*Elibertanus canon contra imagines.*

Et Elibertanum Concilium in Hiſpaniis tale fecit Decretum Can. 36. Placuit picturas in Eccleſia eſſe nō debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Et Can. 34. Cereos per diem placuit in Cœmiteriis non incendi.

*Auguſtinus contra imagines.*

Auguſtinus de moribus Eccleſię, lib. 1. cap. 34. inquit: Nolite conſectari turbas imperitorum, qui in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt. Noui multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores. Quos mores Eccleſia condemnat, & quotidie corrigere ſtudet. Idem de fide & ſymbolo, cap. 7. Quod pater ſedere dicitur, non putandum eſt flexis poplitibus fieri. Tale enim ſimulachrum Deo nefas eſt, Chriſtiano in Templo collocare, multò magis in corde nefarium eſt, vbi verè eſt Templum Dei. Et contra Adimantum Manichæum, capit. 13. Adimantus reprehendit zelum Dei, quo à cultu ſimulachrorum prohibemur. Vult ergo videri fauere ſe ſimulachris: Quod propterea faciunt, vt miſerrimæ & veſanæ ſuæ ſectæ etiam paganorum concilient beneuolentiam.

Apud Cyrillum lib. 6 Iulianus Chriſtianis hoc obiicit: Vos ancylia, quæ Iupiter demiſit, non adoratis nec colitis, & interim lignum crucis adoratis: Imagines illius in fronte & ante domos pingentes. Cyrillus verò reſpondens, non concedit aut fatetur, ſignum crucis à Chriſtianis coli & adorari: ſed hiſtoricum vſum imaginum eleganter deſcribit. Enumeratis enim beneficiis, quæ Chriſtus per crucē nobis præſtitit, addit: Hæc omnia nos recordari facit ſalutare lignum, & ſuadet vt cogitemus, quod vnus pro omnibus mortuus eſt, vt viuentes non ſibiipſis viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Et propterea, vt dixi, precioſi ligni crucem facimus in memoriam omnis boni & virtutis. Quoniam autem res iſta Iuliano vituperatione non carere videtur, dicat oro: Vis optimum accerſamus pictorem, cui dicamus: Animus nobis eſt, ô pictor, velle docere formoſos pueros, intemperantiam damnum ipſis afferre: Volumuſq; ſuadere mulieribus, quæ in domo ſunt, inhoneſtam vitam ipſis eſſe pernicioſam: ſed fortaſsè ſermo docere volentium iſtis non ſufficit, vt rectè & inculpatè viuere velint. Ponatur eis & ob oculos pictura quædam, adiuuans ſermones docentium. Pingaturne Iupiter cum Ganymede? &c. Et tandem concludit: Vis igitur vt lignū, quod nos ad recordationem omnis virtutis inducit, abiiciamus & relinquamus, pueriſq; & mulierculis tua proponamus?

*Cyrillus de hiſtorico vſu imaginum.*

Baſilius hiſtoricum quidem picturarum vſum in imaginibus politicis non damnat. Dicit enim in ſermone in 40. Martyres. Quin etiam bellorum Trophæa & victorias, & hiſtorici Scriptores & Pictores demonſtrant: hi quidem oratione rem exornantes: hi verò in tabulis depingentes, multos ad virtutem & ciuilitatem excitarunt: Si quidem quæ hiſtoria oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem oſtendit. Nec tamen Baſilius vel ęquat vel præfert imagines Scripturæ. Eius enim ſententia eſt: Maxima eſt ad recti inueſtigationem meditatio Scriptu-

*Baſilius de imaginibus.*

rarum

rarum diuino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inueniuntur, & vitæ beatorum virorũ præſcriptæ, veluti imagines quædam animatæ, ſecundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

*Chryſoſtomus.* Ex Chryſoſtomo in 7. Synodo citatur ſententia de pictura repræſentante hiſtoriã ſtragis Aſſyriacæ, Ieſ. 37. Sed idẽ alibi inquit: Nos per ſcripta Sanctorum fruimur præſentia, nõ ſanè corporum ipſorũ, ſed animarum imagines habẽtes. Nam quæ ipſis dicta ſunt, animarum illorũ imagines ſunt. *Amphilochius.* Amphilochij etiã, qui Iconij Epiſcopus fuit, hæc ſententia fertur: Nobis nõ ſanctorum corporales vultus in talibus coloribus effigiare curæ eſt: quoniam his opus non habemus, ſed politiæ virtutum illorum memores eſſe debemus. *Aſterius.* Aſterius etiam, qui picturam paſſionis B. Euphamiæ ſe cum admiratione ſpectaſſe ſcribit, alibi ſumptuoſas picturas reprehẽdit, dicẽs: Ne pingas Chriſtum in veſtibus, ſed magis ſumptu illo & impenſis pauperibus ſubueni.

*Quid quartũ ſeculum de imaginibus.* De aliis ſententiis, quæ Titulo Patrũ illius ſeculi citãtur, poſtea vbi ad 7. Synodũ peruentum fuerit, dicemus. Nunc tantũ hoc oſtendere volui, illo ipſo ſeculo, quãdo hiſtoricus imaginum vſus à politicis ſtatuis & picturis in ipſas etiã Eccleſias à quibuſdã transferri cœpit, reliquos Patres, partim nouo huic ritui oppoſita primitiuæ Eccleſiæ traditione & conſuetudine, contradixiſſe partim, licet non damnarint hiſtoricũ imaginum vſum, nõ tamen valde magnifeciſſe: ſcripturæ verò nequaquam adæquaſſe, nedum prętuliſſe: cultum verò & adorationem imaginum ſimpliciter reprobaſſe & damnaſſe.

*Multiplicata imagines.* Poſt ea verò tempora ſenſim cœperunt imagines in Eccleſia multiplicari, Cœperunt etiam ſtatuæ, tum Chriſti & Sanctorũ, tum Imperatorum etiam, in templis collocari. Nyſſeni etiam tempore & aliquantò poſt, picturę tantùm erãt. Vulgi verò ſuperſtitio ſubinde tentabat ad cultum & adorationem imaginibus & ſtatuis abuti, ſed reſtiterunt vigilantes Epiſcopi, & hiſtoricum vſum imaginum ita probarunt, quod ſimul cultum & adorationem earum prohibuerunt & damnarunt.

*Gregor. Magnus cõtra adorationem imaginum.* Gregorius Magnus enim circa annum Domini 400. ad Serenũ Epiſcopum Maſſilienſem lib. 7. Epiſtola 109. ſcribit his verbis: Peruenit ad nos, quod fraternitas veſtra quoſdã imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem imagines confregit atq; proiecit. Et quidem zelum vos habuiſſe, ne quid manu factũ adorari poſſit, laudauimus, ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe iudicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, vt hi, qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas ſeruare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & literarum neſcij haberent, vnde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. *Hiſtoricus vſus imaginũ Gregorij.* Eandem ſententiam prolixius repetit & explicat lib. 9. Epiſt. 9. ad eundem Serenum: Perlatum ad nos fuerat, quòd inconſiderato zelo ſuccenſus, Sanctorum imagines, ſub hac quaſi accuſatione, ne adorari debuiſſent, cõfregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudauimus: fregiſſe verò reprehendimus. Aliud enim eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præſtat pictura. Frangi verò nõ debuit, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione vetuſtas admiſit, hortamur, vt eorum animos, quos à tua diſiunctos vnitate cognoſcis, reuocare feſtines. Conuocandi enim ſunt Eccleſiæ filij, eiſque Scripturæ teſtimoniis oſtendendum, quia omne manu factum adorare non liceat, quoniam ſcriptum eſt: Dominum DEVM tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Ac deinde ſubiungendum eſt, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, vt neſcientes literas, ipſam hiſtoriam attendentes, quid actum ſit diſcerent, quia tranſiiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es, vt eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in Eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quòd non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pandebatur, diſplicuerit: ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Etſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines omnibus modis deuita. Sed hoc ſolicitè admoneas, vt ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius Trinitatis humiliter proſternantur.

Ex his Gregorij ſentẽtiis manifeſtum eſt, adorationem imaginum prohibitam & damnatam tunc fuiſſe ab Epiſcopis, idque ex Scripturæ ſententia. *Vulgus de imaginibus.* Vulgus verò ægrè paſſum fuiſſe illam ſuperſtitionem ſibi eripi. Et hiſtoricũ quidem imaginum vſum nõ malè deſcribit Gregorius, niſi quòd hoc conſiderandum eſt, ne exiſtimetur, doctis proponendam eſſe vocem ſacræ Scripturæ: Idiotis verò loco auditus verbi, ſtatuas eſſe proponendas. Apoſtoli enim barbaris etiam nationibus Euangeliũ annunciarunt, non per ſtatuas, ſed viua Euangelij voce. Et quicquid de inſtructione & cõmonefactione per picturas dicatur, nullo modo pictura verbo Dei, ſcripto, prædicato, lecto, audito & cogitato comparanda, omnium verò minimè pręferenda eſt. *Imagines an Scripturæ cõferendæ vel præferendæ.* Quod enim Ieſuitæ & Andradius ex natura & ratione ſignorum philoſophantur, picturam magis & fortius mouere animum ad deuotionem, quàm vocem verbi diuini auditam & cogitatam, nullo modo admittendum eſt. Non enim ex Phyſica ſignorum ratione, ſed ex ordinatione & promiſſione Dei, hæc æſtimãda ſunt. Et non de ſtatuis, aut imaginibus: ſed de voce Euangelij lecta, prædicata & audita, habemus expreſſam ordinationem & promiſſionem Dei. 1. Corin. 1. Placuit Deo per ſtultam prædicationem ſaluos facere credentes. Rom. 15. ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. 2. Timo. 3. ſacræ literæ poſſunt te inſtituere ad ſalutẽ per fidem. Scriptura enim vtilis eſt ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in Iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne bonum opus inſtructus. Pſal. 119. Meditatio ſermonum tuo-

Si ex scriptura perfecti reddi possumus, quis usus est imaginum?

rum illuminat. Roman. 10. Fides ex auditu verbi Dei, Rom. 1. Euangelion eſt potẽtia Dei. 2. Cor. 5. eſt miniſterium Spiritus. Tales verò promiſſiones efficaciæ diuinæ de imaginibus & ſtatuis non habemus. Quando itaque hiſtoricus imaginum vſus admittitur, neceſſariò taxanda eſt illa opinio, quæ imaginum vſum verbo Dei prædicato & audito vel confert vel præfert. Inde enim factum eſt, quòd in Pontificiis Eccleſiis vox verbi diuini, quæ quidem intelligi à populo potuerit, fermè conticuerit, & vulgus ad mutas ſtatuas deductum fuerit, ea opinione, quòd efficaciores ſtatuæ eſſent ad inſtructionem & ad excitandam deuotionem, quàm vox verbi diuini prædicata & audita. Diligenter verò notandum eſt, quod Gregorius dicit, vetuſtatem non præcepiſſe, ſed admiſiſſe hiſtorias Sanctorum in Eccleſiis depingi. Et quæ vetuſtas illud admiſerit, in præcedentibus oſtenſum eſt, ſcilicet non primitiuæ Eccleſiæ vetuſtas. Athanaſius enim & Euſebius illum prætextum paganorum, quòd ſtatuæ eſſent quaſi literæ vulgi, diſertè reiecerunt & refutarunt.

*Seminaria cultus imaginum tempore Gregorij.*

Omninò tamen ætate Gregorij nimiũ imaginibus tribui, & ſeminaria ſecuturæ ſuperſtitionis ſpargi cœperũt, dum ante imagines proſtrati, Chriſtum ipſum adorare cœperunt. Gregorius enim lib. 7. Epiſt. 53. ad Secundinum, cui petenti miſerant imaginem Dei ſaluatoris, & S. Dei genitricis, atq; Petri & Pauli, inquit: illum toto corde & tota intentione diligis, cuius imaginem præ oculis habere deſideras. Non enim abs re facimus, ſi per viſibilia inuiſibilia demonſtramus. Sic ſponſam amans, ſi cõtigerit eam ad balneum ire, præparat ſe, vt viſione eius hilaris recedat. Scio quidem quòd imaginem Saluatoris noſtri nõ ideò petis, vt quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filij Dei, in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre conſideras. Et nos quidem non quaſi ante diuinitatem ante illam proſternimur: ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natũ aut paſſum, ſed in Throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura, quaſi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum, aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet, &c.

Addenda verò eſt & hæc obſeruatio, quod poſtea, cùm adoratio imaginum recepta, & defenſio eius ſuſcepta eſſet, quia videbant illam à tota antiquitate per annos ſexcentos conſtanter reprobatam, finxerunt vetuſtam hæreſin eſſe, docere, quòd Sanctorum imagines non ſint adorandæ. Ita Nicephorus libro 16. capit. 28. deſcribens impietatem Xenaiæ, qui Petri Gnaphæi ſocius fuit: cui nondum baptizato Epiſcopatum mandarat, aſſerens, ſufficere ei pro Baptiſmo conſecrationem. Iſte, inquit, Xenaias primus (ô audacem animum & os impudens) vocem illam euomuit (οὐ δεῖν προσκυνεῖν) non debere adorari Chriſti & Sanctorũ imagines. Vixit autem Xenaias iſte circa annũ Domini 500. Sed Gregorius poſtea adhuc anno 600. adorationem imaginũ expreſsè prohibet & damnat. Idem etiam antea Auguſtinus de totius Eccleſiæ ſententia fecerat, & Elibertana etiam Synodo publicè decretum factum fuerat contra adorationem imaginum, ſicut oſtendimus. Imò Deus ipſe longè ante legem tulerat: Non adorabis nec coles imagines. Vanum igitur & falſum eſt, quòd Nicephorus ſcribit, hæreſin eſſe Xenaiæ, quaſi ille primus docuerit, Sanctorum imagines non eſſe adorandas.

*Nicephori fabula de adoratione imaginum.*

Porrò hiſtoricus imaginum vſus poſt Gregorium etiam Synodorum decretis comprobari & confirmari cœpit. Fit enim earum mentio in 6. vniuerſali Synodo, circa annum Domini 680. Et Pontificij quidẽ ſcriptores dicunt, concilium illud ſanxiſſe & mãdaſſe cultum, venerationem & adorationem imaginum: Sed res longè aliter ſe habet. Ex Græco enim nono canone, illius Synodi canones prolati iam extant, & octogeſimum ſecundũ de imaginibus, Perionius Græcè allegat, cuius hæc eſt ſententia: In quibuſdã ſacrarum imaginũ picturis agnus digito præcurſoris monſtratus exprimitur, qui in typũ gratiæ receptus eſt, adumbrans verũ illum, per Legem nobis demõſtratum agnum, Chriſtum. Veteres igitur figuras & vmbras, & veritatis Symbola (προχαράγματα) & adumbrationes Eccleſiæ traditas retinentes, gratiã illis præponimus, & veritatem, vt legis complementum, ſuſcipimus. Vt igitur id, quod ſecundũ legis vmbras perfectum fuerit in Chriſto, etiam (χρωματουργίαις) colorum picturis ſeu pictorum artibus, omnium oculis (ὑπογράφηται) ſubijciatur aut pręſcribatur: definimus, illius agni Chriſti Dei noſtri, qui tollit peccatũ, picturam, (κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα) ſecundum humanum characterem in imaginibus in poſterum, pro veteri agno (ἀναστηλοῦσθαι) erigendam, per quam (τὸ τῆς ταπεινώσεως) ea quæ ad humiliationem Dei verbi pertinent (κατανοοῦντες) contemplamur, & (πρὸς μνήμην) ad memoriam ſeu recordationem cõuerſationis eius in carne, & paſſionis mortiſq; eius ſalutaris, ac quæ inde mundo facta eſt, redemptionis, (χειραγωγούμενοι) quaſi manu ducimur. Hæc verba canonis nihil dicunt de cultu & adoratione imaginum: ſed hiſtoricum vſum earum probant & declarant. Quia ſcilicet vetus Teſtamentum fuit tempus vmbrarum, iam ſub nouo Teſtamento non vmbras eſſe proponẽdas: ſed pręter doctrinam ſignis ſeu picturis etiam oſtendendum figuras legis impletas eſſe in Chriſto. Ad hiſtoricam etiã contemplationem, ac memoriam, ſeu commonefactionem, operum Chriſti, imaginem ipſius ſpecie humana poſſe proponi indicant. Obſeruandum verò eſt, imaginem Chriſti crucifixi, hoc eſt, ſicut canon loquitur, figura ſeu ſpecie humana repręſentantem humiliationem, paſſionem & mortem ipſius, iſtis primum temporibus circa annum Domini 690. cœpiſſe fieri, & in Eccleſia collocari: hactenus enim crucis tantùm ſignũ vſitatum fuerat, ſicut ſuprà oſtendimus. Quòd verò Canon ille nominat σεπτὰς εἰκόνας, quod quidam interpretari conantur, imagines cultu & adoratione proſequẽdas, hoc nequaquam inde probatur. Vocantur enim & ναοὶ σεπτοὶ, ἐπίσκοποι σεπτοί: nec tamen vel templa vel Sacerdotes coli & adorari debere inde ſequitur: ſed quia erant loca prophana, erant etiam imagines politicæ, ad eorum differentiam, ſacra loca, & ſacræ imagines vocantur σεπταί. In Gratiano de conſecr. diſt. 3. c. venerabilis, citatur Canon ſub titulo ſextæ Synodi de venerandis & adorandis imaginibus, ſed falſa eſt inſcriptio. Verba enim, quæ ibi citantur, non ſunt ſextæ

*Sexta Synodus de imaginibus.*

*Imago crucifixi quando.*

*Gratiani falſa allegatio.*

Synodi,

Synodi, ſed extant in ſeptima Pſeudoſynodo, Actione 6. Tomo 2.

### *INITIVM CVLTVS ET ADORA-tionis imaginum in Eccleſia.*

ET hactenus quidem vſus imaginum in Eccleſia hiſtoricus fuit & tolerabilis: conſideretur autem, quomodo ad cultum & adorationem imaginum ſenſim facta fuerit inclinatio & progreſſio. Gregorius enim, ſicut oſtendimus, licet imagines adorari nolit, tamen ante imagines illum adorat, in cuius memoriam & recordationem per commonefactionem imaginis deducitur. Ita poſtea etiam ad imagines ipſum Deum vbiq; præſentem adorarunt, ſicut Blandus ſcribit: Hieroſolymis in recitatione paſſionis Chriſti, homines ad lignum crucis ipſum Chriſtum adoraſſe. Inde verò non multò poſt ipſarum imaginum cultus & adoratio ſubſecuta eſt: Vnde non diſſenſiones tantùm, ſed horribilia, & quidem cruenta certamina orta ſunt, quorum integram hiſtoriam perſequi non eſt noſtri inſtituti: ea verò tantùm, quæ ad illuſtrandam hanc de imaginibus cõtrouerſiam facere videbuntur, excerpemus.

*Progreſſio ad cultum imaginum.*

Sunt autem illorum certaminũ hiſtoriæ non vbique bona fide deſcriptæ. Hoc quidem ſcribunt omnes, Philippicum Imperatorem circa annum Domini 713. iuſſiſſe abradi & deleri imagines Patrum, qui in 6. vniuerſali Synodo Monotheletas damnarunt. Alij dicunt, Conſtantinopoli in templo Sophiæ imagines omniũ Patrum, qui ſex illis vniuerſalibus Synodis interfuerant, depictas fuiſſe, quas omnes Philippicus deleri iuſſerit. Cauſam verò non eodem modo omnes deſcribunt. Pleriq; narrãt, Philippicum Monotheletarum hæreſi infectũ, imagines Patrum ſextæ Synodi iuſſiſſe deleri, vt eſſet indicatio & teſtimonium, ſe decreta ſextæ Synodi improbare, & amplecti ſententiam Monotheletarum. Ac Romanos cõtra in ſignum profeſſionis, quod & ſextæ, & reliquarum generalium Synodorum doctrinam amplecterétur, curaſſe patrum imagines, qui in Cõciliis illis interfuerant, in porticu S. Petri depingi. Sed hanc non eſſe veram cauſam, inde certiſſimè colligitur, quòd in Synodo Conſtantiniana, qua imagines damnatæ ſunt, approbantur omnium ſex vniuerſalium Synodorum decreta, & nominatim ſextæ Synodi decreta contra Monotheletas approbantur, & recipiuntur.

*Quare Philippicus abraſerit imagines patrum.*

Vera autem cauſa illorum certaminum de imaginibus, ex Damaſceni ſcriptis, qui circa illa tẽpora vixit, & in Synodo Conſtantiniana, tanquã Iconolatra, damnatus fuit, rectè colligi poteſt. Similiter etiam ex contrariis Romanorum circa illa tempora Pontificum decretis & Synodis. Damaſcenus igitur libro 4. cap. 17. diſertè de aduerſariis ſuis dicit: exprobrant nobis, (προσκυνοῦσι καὶ τιμῶσι) quòd adoramus & veneramur Chriſti, Mariæ, & reliquorum Sanctorum imagines. Conſtantinus etiam Papa, Gregorius II. & XXXI. ac ſequentes, in ſuis Synodis & Epiſtolis, contra Græcos Imperatores decreuerũt, Imagines veneratione cultus & adorationis proſequendas. Gręcorum etiam Synodi pugnantes cõtra imagines, aduerſarios ſuos, quos damnant nominant εἰκονολάτρας. Et Zonaras apertiſſimè hoc tradit, dicit enim: Copronymus cum Epiſcopis in forum progreſſus coram omni populo venerabilium imaginum adorationem interdixerunt, idololatras appellantes eos, qui imaginibus cultũ præſtarent. τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκυνήσιν ἀπηγόρευσαν, εἰδωλολάτρας τοὺς ταύτας σεβομένους καλέσαντες. Et poſtea de Leone Iſaurico inquit, εἰδωλολατρείαν τὴν τῶν εἰκόνων ἀπεκάλει προσκύνησιν. Adorationem imaginũ vocabat idololatriam. Et ad Germanũ Patriarcham dicit Iſauricus, μὴ δεῖν τὰς εἰκόνας τιμᾶσθαι, non eſſe colendas imagines. De cultu igitur & adoratione imaginũ potiſſimum tunc certamen fuit. Et hęc vera fuit cauſa illorum certaminũ, vbi Græci quidem demolitione imaginum voluerunt adorationem earum abolere. Dixerunt enim, ſicut Stapulenſis etiam recitat, ſe illud facere tollendæ idololatriæ cauſa, Romani verò Pontifices nõ ex verbo Dei diſputarunt: ſed Excommunicatione ſua Græcos Imperatores Imperio deiecerunt. Ita Philippicum Imperio exuit Antonius, Antonium Theodoſius, qui imagines conatus fuit reſtituere, ſed vix vno anno regnauit.

*Vera cauſa certaminum de imaginib.*

*Damaſcenus.*

*Zonaras.*

Poſt hunc, Leo Iſauricus certamen cõtra imagines maiori vehemẽtia inſtaurauit. Propoſito enim publico edicto mãdauit, omnes imagines deijciendas & confringendas, Ac ipſe Conſtantinopoli omnes ſtatuas ex templis congeſtas, in medio vrbis cõcremauit, picturas abraſit, & parietes dealbauit, contradicentes verò vel capite truncauit, vel alia parte corporis mutilauit. Ludimagiſtrum etiã cum diſcipulis ædibus incluſum combuſſit. Gregorius III. verò in Synodo Romana cõtrarium ſtatuit, & Leonem damnat. Sed Leoni patri ſuccedens Conſtantinus filius, Romanæ Synodo opponit aliam, quam circa annum Domini 755. in vrbe Conſtantinopolitana, vel, vt alij volunt Epheſina, conuocat. Atque ibi non tantùm adorationem imaginum: ſed ipſas ſimpliciter imagines damnarunt, vt quas nullo modo, & in nullum vſum, etiam extra caſum cultus & adorationis, vel facere, vel habere liceat. Rationem habent pręcipuè hanc, cùm naturæ in Chriſto non poſſint ſeparari, & diuina non poſſit pingi, ideo etiam humanam eius effigiem non debere pingi, ne putetur, alia eſſe perſona humanitatis quæ pingatur, alia diuinitatis quæ pingi non poſſit. Cumque etiam corpus eius ineffabili gloria iam ſit illuſtratum, ideo illud pingi non poſſe. Et Sanctorum animæ ac virtutes, quæ veræ ſunt ipſorum imagines, cum coloribus exprimi non poſſint, ideo Sanctorum etiam imagines non debere pingi. Acta huius Synodi, quam poſtea non Conſtantinopolitanam, ſed Conſtantianam vocari voluerunt, extant in Actione 6. ſecundi Niceni Concilij.

*Leo Iſauricus contra imagines.*

*Gregorius Tertius.*

*Synodus Conſtantiniana ſimpliciter damnat imagines.*

Et Romæ quidem Stephanus Tertius, contraria Synodo Conſtantinianam damnauit. In Græcia verò Cõſtantinianæ Synodi decreta durarunt apud illos, qui inde εἰκονομάχοι vocabantur, donec Irene Leonis IIII. vxor, tutorio nomine, Conſtantini filij ſui in pupilli Imperium adminiſtrare cœpiſſet. Illa enim ſpe retinendi vel recuperandi in Occidente Imperij, quæſiuit reconciliationem cum Romanis Pontificibus, & anno Imperij ſui 6. conuocauit Synodum Conſtantinopolim, quæ per tumultum diſtributa

*Stephanus Tertius.*

*Irene.*

butafuit. Altero anno conuocauit Patres Nicæam, rebus omnib. ita inſtructis, vt nemo contradicere vel diſputare auderet. Scribit enim Albertus Pighius, Adrianum Pontificem Romanũ ſcripſiſſe ad Græcos Imperatores, ſe conſenſurum celebrando Concilio, non vt de controuerſia illa diſceptaretur, ſed vt ſimpliciter Pontificia de adorandis imaginibus ſentẽtia reciperetur. In illa Synodo ex præſcripta Romani Pontificis ſententia pronunciatur & ſtatuitur: Sacras imagines non tantũ haberi poſſe ad vſum hiſtoricum, ſed illas ex mandato diuino in Eccleſiis neceſſarias eſſe: imò venerandas, ſalutandas, oſculandas, colendas & adorandas, cereis etiam, ſuffitu, & ſimilibus honorandas. Factum hoc fuit circa annum Domini 788. Et intra dies admodum paucos, viginti ſcilicet, cùm ſine aduerſariis agerent, debellatum fuit. Inchoata enim fuit Synodus illa 24. Septembris, ſub octauum Calendas Octob. Et 3. Idus Octobris, hoc eſt, 13. Octobris promulgata fuit definitio Synodi. Mox verò Irene omnia rurſus templa imaginibus & ſtatuis compleuit. Et ſoceri ſui Cõſtantini VI. corpus effoſſum, publicè cremari iuſſit, ac cineres in mare diſpergi. Conſtantinus verò filius adultus factus, matri Imperium abrogat, & ſtatuas rurſus deijcit & exurit. Irene poſtea, non mater, ſed Medea, filio capto oculos eruit, & in ſqualenti carcere variis excruciatum malis occidit. Hi fuerunt fructus certaminum de imaginibus, ad quorum vel cogitationem primitiuæ Eccleſiæ Patres cohorruiſſent, ſi præuidere potuiſſent tam atrocia & cruenta fore certamina, de tali re, de qua quæ fuerit veteris Eccleſiæ ſententia, ſupra oſtenſum eſt.

*Septima Synodus adorationem & cultum imaginũ ſtatuit.*

*Crudelitas Irenes.*

## DE SEPTIMA ICONOLATRICA Synodo.

EXtant autem acta ſeptimæ iſtius Synodi prolixè deſcripta, & quia propter multas cauſas vtile eſt noſſe & conſiderare, qua fide cauſa illa ibi tractata, & ex quibus fundamentis decreta illa, de cultu & adoratione imaginũ, facta ſint, præcipua capita excerpemus, & in ea tanquam in tabella Lectori ſpectanda proponemus, vt inde æſtimari poſſit, quantum iſti Synodo autoritatis tribuendum ſit.

*De hiſtorico imaginum vſu.*

Primo igitur, quod attinet ad hiſtoricum vſum imaginum, quòd ille non ſimpliciter ſit damnatus, quodq; nõ ſimpliciter ſit prohibitum, extra caſum cultus & adorationis, imagines, vel ad vſum hiſtoricum, vel ornatus gratia, facere & habere, rectè dicunt, ipſam ſcripturam interpretari Legem, Exod. 20. de imaginibus. Cõſtat enim in ipſo tabernaculo, & in templo Salomonis, hiſtoriç, commonefactionis, ſignificationis, & ornatus gratia fuiſſe imagines, Exod. 25. Ebr. 6. Nu. 21. 3. Reg. 6. Et de medio Cherubim Deus ſolebat loqui, Num. 7. Cherub verò habuiſſe faciem hominis conſtat. Ezech. 41. Et quæ in hanc ſententiam ex Patribus quibuſdam, vel de ſcripturæ hiſtoriis, vel Martyrum paſſionibus, per picturas expreſſis & repræſentatis, proferuntur, culpari à candidè iudicantibus non debent, ſi intra hiſtoricas metas cõſiſtant: vt quod Actione 4. Gregorius dicit: Vtinam fieri poſſet, vt & cœlum & terra, & aqua, omnia quoq; animantia, & plantæ, & ſi quod aliud eſt, ſiue per colores, ſeu per picturas, aut voces, poſſet nos commonefacere de hiſtoria Chriſti & Sanctorum. Et Germanus inquit: Quæ quis antea legit vel audiuit, ſi iterum in pictura iſta repræſentari viderit, in memoriam ea, quæ antea audiuit & legit, reducit: ignorantes verò, quando talia per picturas oculis obiecta viderint, arripiunt inde occaſionem inquirendi & perueſtigãdi hiſtorias. Quod verò in Actione 4. quidam dicit, maiorem eſſe vim imaginum, quàm verbi Dei, falſum eſſe ſuprà oſtendimus.

*Diſcrimen inter hiſtoricum vſum & adorationem.*

Secundò neceſſariam diſtinctionem inter hiſtoricum imaginum vſum, & inter earũ cultum & adorationem, confundunt. Atq; ex teſtimoniis, ſi quæ adducunt de hiſtorico imaginum vſu, ſtatim vel apertè vel obliquè inferunt earum cultum & adorationem. Agnouiſſe hoc quidam videntur in illa Synodo: ſed reliquorum voces præualuerunt. Nam Actione 4. Conſtantinus Cypri Epiſcopus dicit, fuiſſe quidẽ imagines in tabernaculo: ſed ne ad idololatriam conuerterentur, Dominum dixiſſe: Non facies tibi ſimilitudinem aliquam, ne populus culturam illi exhibeat. Et Actio. 5. producitur ſcholion quoddam in Exodum: Etſi facimus hominũ piorum ſimilitudines: non tamen illæ fiunt vt adorentur vt dij, ſed vt eas videntes, ad imitationem facinorum illorum prouocemur. Si verò ſimilitudines Chriſti facimus: ſanè non propter ſimilitudinem adoramus: ſed quo mens per ea, quæ conſpexit, ſurſum volet.

*Quàm abſurdè allegẽt veterum ſententias.*

Tertiò, vbicunq; in veterũ ſcriptis ad picturas ſeu imagines in genere alluditur, ipſi mox attexunt: Ergo in templis Chriſtianorũ habendæ ſunt imagines: vt Athanaſius explicans doctrinam, quòd filius Dei, aſſumpta natura humana, imaginem Dei in ea obliteratam & deletam, reſtituerit, vtitur hac ſimilitudine: Sicut ea, quæ in tabulis picta ſunt, cùm figura per ſordes & ſitum deleta fuerit, neceſſariũ eſt, vt denuò pingatur & reficiatur, modò talis ſit, vt adhuc renouari in eadem materia & tabula poſſit. Nam per eandem formam & materiã, in qua depingitur, non deſtruitur, ſed potius in id, quod ante fuit, reſtituitur. Hãc ſententiam Adrianus Papa Romanus adducit, probaturus, imagines in Chriſtianorum templis habendas, quod Athanaſius cùm ſimilitudinẽ illam in genere à picturis ſumeret, ne cogitauit quidem. Idem imagines in templis probare conatur ex illa Cyrilli ſententia: Fides depingit verbum quod in forma Dei exſtit, quod ſimilitudine noſtra aſſumpta factũ eſt homo. Et imaginũ vſum nobis ſupplent parabolæ, ſubijcientes quaſi oculis & manibus, ea, quæ in nudo intellectu contemplationem obſcurè habent. Et Actio. 4. imagines in templis, Cyrilli autoritate, ita cõfirmare conantur, quia Cyrillus collationem veteris & noui Teſtamenti hac ſimilitudine explicans, inquit: Vmbra & figura Lex erat, imò velut quædam pictura, ad contemplationem videntium ipſa opera poſita. Vmbræ autem artificij in tabulis pingentium primæ, ſunt characteres, quibus ſi ſuperinducti fuerint colores, tunc ſanè pulchritudo picturæ apparebit: Ita nouum Teſtamentum vmbras veteris abſoluit & conſummauit. Allegant & illam Cyrilli ſententiam, quæ celebrat deſcriptionem Moſis, Gene. 22. quòd hiſtoriã illam de Abraha-

Abrahamo quaſi in tabula depinxerit, nunc inſidentem aſino, aſſumpto ſimul & puero, nunc dimiſſo aſino onerantem lignis ipſum Iſaacum, aſſumendo gladium & ignem, rurſus adoleſcentem in lignis ligando, dextera ad immolandum puerum armata, &c. Hęc annotaui, vt Lector videat, quàm pueriles & ineptæ fuerint iſtius Synodi actiones, quòd ex huiuſmodi ſententiis voluerunt probare, patres docuiſſe, in tēplis Chriſtianorum habendas eſſe imagines.

Quartò, ex certis teſtimoniis veræ antiquitatis, per annos trecentos, nō poſſunt oſtendere, imagines in Chriſtianorum templis fuiſſe: contrariū enim ſuprà monſtrauimus. Sed quia Synodus iſta fingit eſſe traditionem Apoſtolicam, & conſuetudinem vetuſtiſſimam, inde vſque à Chriſti & Apoſtolorum tempore receptam, ad eius probationem, teſtimonia ſuppoſititia, fabulas & figmenta cogitur aſſumere: vt Actione 5. producitur fabula de imagine, quam Chriſtus ipſe fecerit, & Abgaro Regulo miſerit, cùm & Gelaſius, & Iſidorus narrationē illam pronuncient apocrypham eſſe, ſicut ſuprà oſtendimus. Et tamen in Synodo illa Leo quidam Lector dicit, ſe petiiſſe Edeſſam, & ibi venerandam imaginem, non factam hominum manu, adorari & honorari à populo vidiſſe. Actione 4. ſub nomine Athanaſij Alexandrini citatur narratio de imagine Chriſti, à Iudæis crucifixa, quam Nicodemus manibus ſuis fecerit, & moriturus tradiderit Gamalieli, qui eam Iacobo reliquerit, à quo cōmendata fuerit Simeoni & Zachæo. Sed ſuprà oſtendimus, ſcriptum illud non eſſe Athanaſij, ſed ſuppoſititium: & Sigebertus oſtendit, fabulam multò recentiorem eſſe, quam forſan quidam nomine Athanaſius conſcripſit, & hoc prætextu Magno illi Athanaſio eam poſtea tribuerunt, vt ita ſpecie & authoritate aliqua ſimplicioribus eam venditarent. Actione 2. Adrianus Papa magno ſupercilio ſcribit, Conſtantinū lepra infectū iuſſum fuiſſe in ſomnis à Petro & Paulo, vt à Syluestro Rom. Pōtifice peteret Baptiſma, ita enim conſecuturum ipſum lepræ & omnium morborum ſanitatem. Et Conſtantinum interrogaſſe Syluestrum: quales eſſent Petrus & Paulus, cumq; is imagines Apoſtolorū, quas habebat, afferri iuſſiſſet, Conſtantinū ſtatim agnouiſſe vultus, quos per quietem viderat. Cumque Romæ à Syluestro baptizatus eſſet, in memoriam eius beneficij colūnas Eccleſiarum imaginibus Chriſti & Sanctorum ipſum exornaſſe. Sed totā illam narrationem de Baptiſmo Cōſtantini fabuloſam & falſam eſſe, veteres Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores omnes conuincunt. Adrianus dicit, Conſtantinū ideo imagines Chriſti & Sanctorum in templis collocaſſe, vt ita Gentes à cultu Idolorum conuerteret: ſed ſuprà clariſſimè oſtendimus, primitiuam Eccleſiam ideo noluiſſe imagines in oratoria admittere, ne in illorum animis, qui ex gentibus conuertebantur, ſeminaria Idololatriæ relinquerentur, & ne Chriſtiani facti, eo modo verum Deum colerent, quo idola coluerant, ad ſtatuas ſcilicet. Et ex veris certiſque hiſtoriis non poſſe oſtēdi, quòd Conſtantinus imagines in templis poſuerit, ſuprà oſtendimus. Ex primitiuæ etiam Eccleſiæ hiſtoria, quam in precedentibus deduximus, liquidò iudicari poteſt, ſuppoſititium & falſum eſſe, quod Actione prima, ſub nomine vetuſtiſſimi Theologi citatur, ναοῦ λόγος οὐδεὶς, ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα: nullam habēdam eſſe rationē eius templi, quod non ornatū ſit imaginibus ſeu ſtatuis. Impudentiſſimum verò eſt, quod fingunt, in Synodo Apoſtolorū Antiochena decretum factum fuiſſe, vt loco idolorum imago Chriſti proponeretur, ad quam conuerſi ablegarentur. Ita enim allegant Decretum: Seruatos non debere amplius ad Idola aberrare: ſed certandum eſſe ante columnam Dei hominiſq; Ieſu Chriſti Domini noſtri. Et de Apoſtolis quidem conſtat, quòd docuerint fugienda eſſe idola, 1. Ioan. 5. Quòd verò loco idolorum materiales imagines Chriſti ſubſtituerint, ad quas conuerſos ablegarint, falſum eſt. Et ſententiam illam ex apocryphis ſcriptis, de actis Apoſtolorū, ſumptam eſſe non eſt dubium, quæ tamen potuit illā ſententiam habere: Non ad idola currendum eſſe, ſed ad Chriſtum, qui vt Deus & homo vnicum fundamentum, & vera columna ſit Eccleſiæ, & ſpectator ac remunerator certaminum, quæ fideles ſuſtinent. Sed quid, pie Lector, de tali Synodo iudicandum exiſtimas, quæ apocryphis, fabuloſis, ſuppoſititiis, & falſis nititur teſtimoniis & fundamentis.

*Fundamenta iſtius Synodi ex figmentis & fabulis.*

Quinto, Iohannes quidam Monachus Actione 4. dicit: Neceſſarias eſſe imagines in Eccleſiis, idq; Adrianus Papa ex doctrina ſcripturæ & ex mandato diuino probare conatur: ſed profectò pueriles, frigidæ, imò pudendæ ſunt probationes, nihil prorſus ad rem facientes, quæ vno verbo rectiſſimè appellari poſſunt, manifeſtæ ludificationes verbi Dei: non enim violenter tantùm, ſed ridiculè prorſus, dicta ſcripturæ in peregrinum ſenſum detorquentur, non ſecus atq; in paſquillis ioci gratia quidam ludere ſolent. Cumque Synodorum authoritas ex fundamentis & teſtimoniis, quibus nititur rectè æſtimetur, iudicet hinc Lector, quid ſeptimæ iſti Synodo tribuere, vel velit, vel debeat, vel poſſit. Adrianus igitur Papa Actione ſecunda ſcribit: Sicut Scriptura imagines in memoriam venerationis habet: ſic & nos eas habeamus. Audi verò teſtimonia. Quia, inquit, factor noſter Deus iuxta propriam imaginem & ſimilitudinem hominem de luto terræ finxit & illuminauit: Præterea primus homo cuncta animantia propriis nominibus vocauit. Abel ex primitiis ouiiis ſui Deo dona obtulit. Noe altare Domino conſtruxit. Similiter & Abraham: Iacob etiam lapidem erexit. Item: Quare non nos quoque ſpecioſitatem domus Dei diuerſis coloribus & picturis exornabimus, cùm ſcriptum ſit, Confeſſio & pulchritudo coram eo. Item: Domine, dilexi decorem domus tuæ, faciem tuam Domine requiram. Item Actione 4. Si vetus Scriptura habuit Cherubim obumbrantia propitiatorium, & nos quoq; imagines Chriſti, Mariæ, & Sanctorum habebimus obumbrantes altaria, quia ex veteri Scriptura, noua aſſumpſit Cherubim gloriæ. Nam Ebræorum 9. in nouo Teſtamento citatur hiſtoria Cherubim gloriæ. Egregiam mehercle probationem! Item ſcriptum eſt, Sicut audiuimus ita vidimus. Et Domine, in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Et in Cantico: Oſtende mihi faciē tuam, & auditam fac mihi vocem tuam. Nemo accendit

*Quàm ineptè allegetur ſcriptura in iſta Synodo.*

Lucer-

Lucernam, & ponit ſub modio. Item: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. Ergo imagines in altari collocandæ, & accenſis cereis colendæ ſunt. Item ſanctis qui ſunt in terra, inquit Pſalmus, ſed Sancti ſunt in cœlo, ergo imagines eorum debent eſſe in terra, &c. Certè ſi Paſquillus aliquis voluiſſet Pontificiorum doctrinam de imaginibus ſalsè exagitare, & irridendam proponere, non potuiſſet magis ridiculè ſcripturam allegare. Et tamen Pontificios non pudet ad Synodi iſtius autoritatem, tanquam ſacroſanctam, confugere.

Sextò, in Actionibus iſtius Synodi eſt & hoc obſeruandum, quod aliquoties ipſi, qui interfuerunt, fatentur: Saracenos quorum Religio, vt nunc Turcarum, ſine ſimulachris fuit, alieniores à Christianorum Religione factos, propter cultum & adorationem imaginum. Et Actione 4. fatentur, Iudæos abſterritos, ne fidem Chriſti amplecterentur, quia videbãt Chriſtianos contra legem, Exod. 20. imagines adorare & colere. Quòd enim Synodus prætendit, legem Dei tantùm prohibere, ne vel falſorũ Deorum, vel eorum, quæ nihil ſunt, ſimulachra adorentur: manifeſtè contra textum Legis pugnat, quæ diſertè dicit, ne ſimilitudines eorum, quæ ſunt, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue ſub terra, adorentur & colantur. Extat in actis iſtius Synodi Act. 5. diſputatio Gentilis, qui affirmat, cultum idolorum apud Gentes confirmari ex adoratione & cultu imaginũ, ſicut tunc inter Chriſtianos exercebatur. Nam & nos, inquit Gentilis, nõ ipſas ſtatuas adoramus: ſed vt per cultum noſtrum incorporeæ virtutes ad nos perueniant. Cumque diceret Gentilis: ſicut vos Chriſtiani Angelos, qui incorporei ſunt, pingitis & adoratis: ita & nos Deos noſtros pingimus. Reſpondet quidam, qui vult videri catholicus, Angelos ſua natura non omnino eſſe incorporeos & inuiſibiles, verùm tenui corpore præditos & aereo ac ſæpius in proprio corpore viſos. Porrò, quòd Actione prima dicunt, Marcianitas, Manichæos, & alios, qui finxerunt, Chriſtum nõ verum corpus humanum, ſed Phantaſiam eius aſſumpſiſſe, ideo imagines corporis Chriſti reſpuiſſe. Et idẽ feciſſe etiam alios hæreticos, qui humanam naturam in perſona Chriſti in diuinitatem mutatam fingebant. Aliquid habet coloris, & ſi quis ea opinione imagines reſpueret, is propter impiam de humana Chriſti natura opinionẽ meritò damnaretur. Sed cùm iſtorum hæreticorum cõtrouerſiæ & certamina, diligenter apud veteres deſcripta extent, nihil tale de imaginibus ipſis tribuitur, imò Manichæos ſimulachris æquiores fuiſſe, ſuprà ex Auguſtino contra Adimantum cap. 13. oſtendimus, Act. 5. citatur fabula illa, quam etiam Nicephorus habet, Xenaiæ hæreſin fuiſſe: imagines Sanctorum non eſſe adorandas: Cùm Gregorius Magnus idem tanquam catholicam Eccleſiæ Chriſti doctrinam defendat, ſicut ſuprà oſtendimus. Philoxeni autem illius ſententia ita recitatur Actio. 5. Chriſto non dandum eſſe honorem, nec laudem dicendam in pictura hominũ arte elaborata. Eſſe autem illi ſolummodò acceptam adorationem in ſpiritu & veritate.

*Saraceni.* *Iudæi.* *Pagani.* *Marcionitæ. Manichæi. Eutychæi.* *Xenaias.*

Quod verò in fine 5. Actionis extat, & à Zonara etiam deſcribitur: perfidum quendam Iudæum perſuaſiſſe cuidam Arabum Tyranno, & poſtea etiã Leoni Iſaurico, vt imagines in Chriſtianorum templis delerent, & hanc eſſe originem Iconoclaſtarum, ita narratur, vt fabulæ nõ ſit abſimile. Et ob prohibendam adorationem imaginum, confractionem earum primum cœpiſſe, idq; ante Leonem Iſauricum antea oſtendimus. Quòd ſi Iudæi, Samaritæ, Saraceni, odio Chriſti, & in eius contumeliam, imagines ipſius confringunt & conſpuunt, meritò damnantur, ſicut Nabuchodonoſor, ob impiè tractata vaſa templi, arcam & Cherubim, diuinitus punitus eſſe, à Chryſoſtomo non malè dicitur, quia odio Dei, & in eius contumeliam hoc fecit.

*Origo Iconoclaſtarum.*

Et hæc, quę hactenus dicta ſunt, pertinent ad hiſtoricum imaginum vſum, qui licet per ſe, ſi intra hiſtoricas metas cõtineatur, culpari & damnari non poſſit, ſicut ſuprà oſtenſum eſt. Hæc tamen capita ex Actis annotare volui, vt Lector conſideret, quàm indoctæ, ineptæ, & vanæ fuerint Synodi illius Actiones, quomodo cõmentitiis, peregrinis, & ſuppoſititiis fundamentis, ea etiam quæ per ſe vera ſunt, ita ſuperſtruant, vt ſuperſtitiones ſuas admiſcere poſſint, vt hinc Lector ſtatuat, quantum fidei & autoritatis in altero capite, quod principale eſt, de cultu ſcilicet & adoratione imaginum, Synodo iſti tribuendum ſit.

Septimò, principale caput eſt, quòd in Synodo iſta cõtra manifeſtam ſcripturæ ſententiam, & contra totius antiquitatis conſentientia teſtimonia, decretum eſt, ſacras imagines honorandas, venerandas, ſalutandas, amplectẽdas, oſculandas, colendas, & adorandas eſſe. Et quidem apparet, pias aures etiam tunc ab ipſis vocabulis abhorruiſſe. Ideo quidam vocabula mitigare ſtuduerunt, vt Actione 3. Conſtantinus Cypri Epiſcopus dicit: Suſcipio venerandas imagines, adorationem autem, quę fit ſecundum λατρείαν, tantummodò ſuperſubſtantiali & viuificæ Trinitati conſeruo: Leontius etiam Actione 4. & Adrianus Actione 2. rem ipſam mitigare ſtudẽt, cùm inquiunt: Sicut ex conſideratione creaturarum moueor, vt Deum ipſum creatorem ſolùm adorem & colam: ita in pictura cõtemplans Martyrum certamina & victorias, excitor, vt Deum Martyrum glorificem, virtutes Martyrum prædicem, & ad imitationem me præparem. Et Actione 7. dicunt, veram latriam ſoli diuinæ naturæ competere. Eſſe autem aliam honorariam adorationem, ſicut Iacob adorauit Eſau, Geneſ. 33. Abraham filios Chet, Gen. 23. Iacob Pharaonem, Gene. 47. Dauid Samuelem, 1. Reg. 10. Quando itaq; dicitur imagines adorandas, non intelligi cultũ latriæ: ſed adorare idem valere, quod ſalutare, amplecti & amare, ſicut Pharisęi ſcribuntur amaſſe ſalutationes in foro, Matth. 23. Et Paulus ſalutauit presbyteros ingreſſus ad illos, Actor. 21. Volunt igitur quidam vocabulo adorationis in Actis illius Synodi nihil aliud intelligi, quàm exhibitionem honoris ſeu reuerentiæ, quæ fit externo aliquo geſtu, vel inclinatione capitis, vel genuflexione vel amplexu, oſculo, & huiuſmodi.

*Adoratio imaginum in iſta Synodo.* *Quomodo lædant vocabulo adorationis.*

Poſſem autẽ opponere religioſam pietatem veræ & eruditæ antiquitatis ſubtilitatem illam ignoraſſe. Grauiſſimis enim ſine dubio de cauſis ſimpliciter prohibuit adorationem imaginum, ſicut

*An imagines aliquo modo adorandæ.*

ſicut & Gregorius Magnus docuit, imagines nullo modo adorandas, ſed adoratione modis omnibus deuitandam. Ex lex Dei ſimpliciter dicit: Non adorabis nec coles ea. Poſſem etiam opponere, ingentem eſſe diſſimilitudinem, quando hominibus rationalibus exhibetur ciuilis & externa reuerentia, vel ratione officii, vel conjunctionis, vel amoris, vel quia ab illis aliquid petimus, ſperamus, aut tenemus. Talis enim reuerentia in Scriptura veteris Teſtamenti, aliquando vocatur adoratio, & eius extant exempla in Scriptura. Verùm inanimatis ſtatuis ſeu imaginibus hoc exhibere non eſt idem, & eius nullum extat in Scriptura vel mandatum vel exemplum. Imò lex Dei, quia vtrunq; prohibet, & adorationem & cultum imaginum, altero interiore cultum ſpiritus, altero externam honorariam adorationem imaginum prohibet.

Sed ne exiſtimetur lis & certamen de vocabulis tantùm eſſe, videamus quid & quantũ ſeptima iſta Synodus re ipſa ſuis venerationibus, ſalutationibus, cultibus & adorationibus, tribuat imaginibus: Inde enim manifeſtum erit, fucum tãtùm eſſe diſputationum de vocabulis. Et Scholaſtici poſtea, ſicut rem ipſam, ita etiam vocabulum Adorationis propriè ſic dictæ, imaginibus Chriſti tribuerunt, ſicut infrà oſtẽdemus. Theodoſius igitur quidam Actione prima, in ſua confeſſione inquit: Saluto & veneror Mariæ imaginem, cuius etiam auxilium, protectionem & interceſſionẽ, nocte dieq;, vt peccatori mihi ſubueniat, inuoco, vt quæ eam poteſtatem habet à Chriſto. Sanctorũ etiam imagines veneror, non vt Deos, ſed mentis meæ affectum & deſiderium, quo in illos affectus ſum, hoc modo indicans, ex toto animo omnes obteſtor, vt ad Deum pro me intercedant, quò in oculis eius miſericordiã in die iudicij conſequar.

*Quomodo Synodus iſta velit imagines adorari.*

*Inuocatur auxilium.*

Actione 2. ſub nomine Baſilij citatur ſuppoſititia hæc ſententia: Deiparam virginem, Sanctos Prophetas, Apoſtolos, & Martyres ſuſcipio, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per iſtorum mediationem propitius mihi ſit Deus, & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur, quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palàm adoro. Audis Synodum iſtam docere, imagines ita, & propter hanc cauſam adorandas, vt per Sanctorum, quorum ſunt imagines, mediationem, Deus nobis ſit propitius, & peccatorum remiſſionem largiatur: quæ certè adoratio ſoli Chriſto debetur. Ibidẽ Stauratius dicit: Venerabiles imagines honoro, quæ ſunt velut arrhabo ſalutis meæ. Et Adriani Epiſtola dicit: Iſraelitæ per inſpectionem æneí ſerpentis à peſte ſeruati ſunt. Nos verò Chriſti & Sanctorum imagines contemplantes & venerantes, abſit vt dubitemus nos ſeruari.

*Mediatio.*

*Propiciatio.*

*Seruamur per imagines.*

Actione 4. narratur miraculum, quòd S. Anaſtaſius apparuerit mulieri paralyticæ, & dixerit: deſcende ad Tetrapylum, ſanctiq; Anaſtaſij interceſſionem apud Deũ poſce, quæ ad templum illud delata, cùm ſancti imaginem cõſpicaretur, dixit: Hic eſt, qui in ſomnis mihi apparuit. Et in terram ſe proſternens, & Martyrem flebilibus orationibus placans, ſana ſurrexit. Et alius quidam addit, mulierculã obſeſſam, Romæ ad imaginem S. Anaſtaſij ſanatam.

*Sanationes ad imagines.*

Allegatur ibi & formula iurandi in confirmationem dictorum, poſitis manibus ſuper imagines Chriſti, & Mariæ. Atqui Scriptura tradit, cultum ſoli Deo debitum eſſe, per nomen ipſius iurare.

*Iurant ad imagines.*

Leontius ibidem dicit: Quando imaginem Chriſti habeo, per eam Chriſtum ipſum me tenere & adorare videor.

Ex Sophronio citatur tale miraculum: Ingreſſi templum, vidimus picturã, repræſentantẽ in medio imaginem Chriſti, Mariã à ſiniſtris, à dextris autem Baptiſtam. Præterea cœtus Sanctorum, qui ante imaginem procidebant & intercedebant. Chriſtus verò commiſeratus annuit & ante imaginem inquit: illi date. Et ſancti ad me aiunt: Ecce gratiam Deus tibi dedit. Et alius quidam Epiſcopus ſubiicit: hæc imago adhuc hodie Alexandriæ exiſtit, & omnes morbos curat.

*Imagines loquuntur.*

Aliud ibi recitatur, quòd Dæmon, cũ cuidam valde moleſtus eſſet, dixerit, imaginẽ iſtam, Mariæ ſcilicet geſtantis Chriſtum, ſi nolis me tecum luctari, caue ne amplius adores: Abbatem verò Theodorum dixiſſe: Potius omnia Lupanaria intranda eſſe, quàm intermittendam adorationem illius imaginis. Ita enim in Caroli Magni libro, ſententia illa Synodi citatur.

*Dæmonum teſtimonium.*

*Lupanaria.*

Alius quidam vxori ægrotanti dixit: ſi domi eſſem, poſſem cerea Sanctorũ meorum Coſmæ & Damiani imagine omnes dolores tuos auferre. In ſomnis ſancti illi apparuerunt muliercule, quæ expergefacta rogauit virum de forma illorum Sanctorum. Vir verò recordatus, quòd ſoleret peregrè imaginem illam ſecum ferre, oſtendit eam vxori, quæ cùm vidiſſet, adorauit.

*Imago Coſmæ & Damiani.*

Manzon quidam dicit: Ego in morbo iuſſi, vt inferrent ad me Chriſti imaginem, quam cùm vidiſſem, dixiſſemq;: Domine, qui das Sanctis gratiam, reſpice me, impoſui eam loco dolenti, & morbus repulſus eſt. Item muliercula ægrotans, cùm pre torminibus ingredi non poſſet, repſit ad illum locũ, vbi in parietibus effigies Coſmæ & Damiani depictæ erant. Et quia fide pro ſcipione vtebatur, confeſtim ſanitati Sanctorum interceſſione reſtituta eſt.

*Imago imponitur loco affecto.*

*Fides in imagines.*

Ioannes quidam dicit: ſi quis imaginẽ Chriſti aſpiciens & adorans dixerit, aut ei inſcripſerit: Hic eſt Chriſtus; non peccat. Item dicunt Romæ in omnium officinarum veſtibus exiguas Simeonis imagines collocaſſe, cuſtodiam quãdam & ſecuritatem rebus ſuis illinc promittentes. Et Hæmorrhouſa quædam inſpecta tantummodò Simeonis imagine, dum is adhuc in viuis eſſet, ſanata ibi dicitur. Maria Aegyptiaca imaginem Deiparæ virginis ita alloquitur: O virgo Domina, auxiliare mihi, quæ neminem habeo, qui mihi ſuppetias ferat.

*De imagine, hic eſt Chriſtus.*

*Imagines in officinis.*

*Alloquitur imagines.*

Plura alia ſimilia ſub titulo miraculorum ibi recitantur, quomodo pictæ imagines inuocantibus diſtillãrint guttas roris & vnguentorum, quibus morbi ſanati, & quomodo imagines læſæ, vltæ fuerint contemptores ſuos.

*Miracula.*

Actione 5. muliercula quædam fodiens puteum, cùm aquam nõ inueniret, vidit in ſomnis quendam ad ſe dicentem: Mitte vt ſimulachrum Abbæ Theodoſii afferatur, & Deus tibi dabit aquam. Cumq; imago eſſet allata, dimiſerunt eam in puteum, & confeſtim aqua ſcaturiit.

*Imago in puteum.*

Abbas quidam habebat in ſpelũca imaginem

d Mariæ,

Mariæ, habentem in vlnis Chriſtum. Quando verò abiturus erat ad loca ſancta, candelam parabat, eamq; pro more ſuo accendebat. Cùm verò accinctus ad iter, preces funderet, dicebat ad Dominam, totus in imaginem eius intentus: Sancta Domina Deipara, quia longum mihi reſtat iter, candelã tuam cura, eamq; inextinctam ſerua. Nam ego tuo fretus præſidio, longum iter ingredior. Et hæc cùm ad imaginẽ dixiſſet, abiit. Reuerſus autem poſt Menſes quinq; aut ſex, candelam tamen ſemper ardẽtem, nec vnquam extinctam inuenit.

*Imago ſeruat candelas.*

*Tridentini decreti artificium.*

Hæc ſummatim excerpta, annotare hoc loco volui, vt Lector videat, quales opiniones, & quos cultus imaginum, Tridentinum decretũ ſtabilire, & Eccleſiis rurſus obtrudere conetur, quando ad ſeptimam hanc Synodum ſe refert. Studioſè enim craſſas ſuperſtitiones, cultus, inuocationis, & adorationis imaginum, in decreto ſuo non recenſent Tridentini: ſed quia tamen retineri illas volunt, præcipiunt talem venerationem imaginum, ſicut in ſeptima Synodo definita eſt. Et verbi ſanè gratia, de ſuperſtitionibus, ſi quæ irrepſerunt, abrogandis concionantur: ſed quæ poſſent eſſe craſſiores ſuperſtitiones, quàm quas hactenus ex actis ſeptimæ Synodi annotauimus? Illas verò Tridentini iudicant non ſuperſtitiones, ſed magnam pietatem eſſe. Quomodo verò aduerſa quaſi fronte pugnent cum doctrina verbi Dei, de vero cultu, inuocatione, & adoratione Dei, in locis præcedentibus oſtenſum eſt.

*Fundamenta adorationis in iſta Synodo.*

Octauò, fundamẽta etiam, teſtimonia & probationes, quibus talem cultum & adorationem imaginum ſeptima iſta Synodus confirmare conatur, Lectori tanquã in tabella ſpectanda, conſideranda, & diiudicanda proponemus. Vtq; rectius de illis iudicari poſſit, redigemus ea ad certa aliquot capita. Primò enim ex Scriptura probare conantur adorationem imaginum. Secundò ex traditionibus. Tertiò ex patrum teſtimoniis. Quartò ex miraculis, Quintò, quòd contrarium aſſerere ſit vetus hæreſis. Sextò à ſimilitudine venerationis imaginum politicarum. Vident igitur, ſibi obſtare clariſſimam Scripturæ ſententiã, quòd ſolus Deus ſit adorãdus, quodq; adorationem imaginum Scriptura expreſsè prohibeat: Ideo teſtimonia illa ita eludere conantur. Quòd Scriptura, vbi dicit, Dominum Deum adorabis, & illum ſolum coles, excluſiuam particulam addiderit, latriæ non autem adorationi: ſed illam illuſionem Angelus, Apoca. 19. ignorauit, qui ſe ideo à Iohanne adorari vetat, quia ſcriptum ſit: Deum adora. Ignorauit illam tota antiquitas, ex cuius ſententia Hieronymus dicit: Nos nec Angelos, nec Sanctos, nec Martyres, nec ipſorum reliquias, nec vllam creaturam: ſed ſolum Deum adoramus. Et Gregorius Magnus, prohibens adorationem imaginum, hoc ipſo dicto vtitur, quia ſcriptum ſit, Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Athanaſius inde probat Chriſtum eſſe Deum, quia iubetur adorari. Non autem loquimur de ciuili, politica, ſeu mundana adoratione, ſeu reuerentia, de qua ſuprà exempla quædam Scripturæ citata ſunt: ſed de adoratione religioſa, quæ in exercitiis fidei & pietatis vſurpatur. Illam ſoli Deo deberi manifeſtiſſimum eſt. Cùm enim Satan poſtularet adorationem, Chriſtus reſpõdet, Dominum Deum adorabis. Quæ allegatio nihil ad propoſitum concluderet, ſi ſententia non eſſet excluſiua. Et ne excipiatur, Satanam non eſſe adorandum, aliud verò eſſe de Sanctis, certè bonus etiam Angelus, Apocalypſis 19. & Petrus Apoſtolus, Actorum 10. ſententiam illam excluſiuè intelligunt. Ac de imaginibus non adorandis extat manifeſta prohibitio Exod. 20. Quòd verò Synodus iſta fingit, eluſiones prohiberi tantùm, ne imagines idolorum, vel ne ipſa materia ſeu forma imaginum adoretur, ſuprà ſolidè refutatum eſt.

*Quomodo eludant dictum, Deum ſolum adorandum.*

*Quomodo eludant Legem, Exod. 20.*

I. Audiamus verò quibus teſtimoniis, & ex quibus fundamentis Scripturæ, contra Scripturam adorationem imaginum Synodus iſta doceat & defendat. Actione 2. dicunt, Scriptum eſt: Faciẽ tuam Domine requiram. Item, vultũ tuum deprecabuntur ſeu ſupplicabunt diuites populi. Simulachra autem ſunt facies ſeu vultus Dei: ergò imagines deprecationibus & ſupplicationibus ſunt adorandæ. Si Paſquillus ita luderet, diceretur: Riſum teneatis amici. Sed in re ſeria, contra expreſſam Scripturæ ſententiam, Exod. 20. manifeſta deprauatione verbum Dei ita torquere, inſigne eſt piaculum, quod habet definitiuam iudicii diuini ſentẽtiam. 2. Petr. 3. Actione 4. allegãtur pro adoratione imaginum hæc teſtimonia Scripturæ: Adorate ſcabellum pedum eius. Item: Adorate ad montem ſanctum eius. Item Ebr. 11. Iacob virgam ſeu Sceptrum Ioſephi adorauit, ſignum ſcilicet propter ſignatum. Sed textus Scripturæ hoc non habet, quòd virgam adorârit: ſed quòd ſuper virgam, hoc eſt, ſuper baculum ſuum, propter imbecillitatem innixus Deum adorârit. Ebr. 11. ſiue, vt Hebræa habent, cum ſe erigere non poſſet, quod ad caput ſeu fulcrum lectuli conuerſus, Deum adorârit. Item, in veteri Teſtamento patres adorârũt Arcam & Cherubim, quæ formam hominis habuerunt: Sed falſum hoc eſt: non enim vel arcam vel Cherubim, ſed verum Deum, qui promiſerat ſe illo loco inuocantes auditurum, adorabant. Excipiunt verò. Ergo eodem modo & nos ad imagines ipſum Deum adorabimus: Sed illi habebant mandatum & promiſſionẽ in veteri Teſtamento, de Deo illic adorando. Nos verò nec mandatum, nec promiſſionem, nec exemplum habemus, vt Deum ad ſtatuas, ſeu ante imagines adoremus. Imò argumentum à ſimili (vt ſicut in veteri, ita & in nouo Teſtamento cultum & adorationem Dei ad certa loca, & externa ſymbola alligemus) refutatur ab ipſo Chriſto, Ioan. 4. Nec in monte hoc, nec Hieroſolymis, ſed in ſpiritu & veritate Deum adorabitis.

*Quomodo Scripturã torqueant ad imaginum adorationem.*

II. Porrò deficientibus Scripturæ teſtimoniis, aliquoties repetunt illud Axioma: Quicquid in nomine Domini ad eius honorem & venerationem fit, id non poteſt non ſanctum, pium & Deo placitum eſſe. Cùm igitur imagines fiant, colantur & adorentur ea opinione, quòd homines exiſtimẽt, ſe hoc modo Deo gratum cultum præſtare, quis hoc, quod bona intentione fit, damnare audebit? Sed in ſcriptura habemus expreſſam refutationem huius argumenti. Ex hoc enim axiomate nõ gentes tantùm: verùm etiam Iudæi Idololatriam ſuam extruxerunt, & inde eam, contra omnium Prophetarum monitiones, iuſtificarunt. Sed Deus expreſsè de cultu ſuo di-

*Ex bona intentione.*

ſuo di-

ſuo dicit: Non faciatis ſinguli quod vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facies Deo tuo, non declines, nec ad dextram nec ad ſiniſtram, nec addas aliquid, nec detrahas.

III. Hoc verò peculiari obſeruatione dignum eſt, cùm ipſi animaduertant, probationes illas non tam eſſe confirmationes, quàm Scripturæ ludibria, ad traditiones non ſcriptas confugiunt, & anathemata ſua, tanquam caput Gorgonis obuertunt. Nam actione I. anathema pronunciant in illos, qui dicunt: niſi ex veteri & nouo Teſtamento euidenter & ſatis de imaginum cultu & adoratione edocti fuerimus, non ſequemur, ſiue patrum, ſiue ſynodorum, ſiue Eccleſiæ traditiones prætendantur. Et ſubinde inculcãt quidem, adorationem imaginum eſſe traditionem Apoſtolicæ, primæ & veteris Eccleſiæ. Sed falſum hoc eſſe, ſuprà perſpicuis teſtimoniis oſtẽdimus. Ipſi verò ſimpliciter volunt, ea quæ titulo traditionum obtruduntur, etiamſi nec ex veteri, nec ex nouo Teſtamento probari, nec ex veris primitiuæ Eccleſiæ teſtimoniis confirmari poſſint, eadem fide, & pari autoritate ſuſcipi, ſicut ea quæ certa & expreſſa habent Scripturæ teſtimonia.

*Ex traditionibus non ſcriptis.*

Ideo in definitione Synodi dicunt: Eccleſiaſticas traditiones, ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes & decretas, retinendas eſſe, & de earum numero eſſe imaginum adorationem.

IIII. Videamus verò vlterius, qua fide veterum Scriptorum teſtimonia ad cõfirmationem adorationis imaginum allegentur in iſta Synodo. Conſtat enim totam veterem Eccleſiam per annos ſexcentos & amplius, ſicut ſuprà oſtendimus, adoratione imaginum ſimpliciter damnaſſe. Talium verò Teſtimoniorum antiquitatis nulla prorſus mentio fit in iſta Synodo, ſed alia conquirunt, quæ qualia ſunt, iam oſtendemus. Ex primitiuæ autem Eccleſiæ patribus, vſque ad annos poſt natum Chriſtum trecentos & amplius, nulla prorſus de imaginibus proferuntur teſtimonia, ſicut nec proferri poſſunt. Sed quomodo illa teſtimonia tractet, qui poſt annos trecentos vixerunt, conſideretur.

*Quomodo patrum teſtimonia tractent.*

Docere debebant, adorationem imaginum dogma eſſe Chriſtianum & Catholicum. Ipſi verò patrum quædam teſtimonia, quæ de hiſtorico imaginum vſu loquuntur, proferunt. Atqui manifeſtum eſt, ex hiſtorico imaginum vſu non probari cultum & adorationem earum. Sed inquis, Ex Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo probant, honorẽ, qui imagini exhibetur, ad ipſum prototypum referri. Item, vna & eadem adoratione coli imaginẽ, & eum, cuius eſt imago. His teſtimoniis inſidioſè & mutilatè propoſitis, non præmonitos poſſunt turbare: ſed ſi conſideretur illud, quod Patres in iſtis ſententiis tractant & agunt, manifeſtum erit, illas allegationes Synodi, inſidias, dolos, & fraudes eſſe. Patres enim ſumunt ſimilitudinem à politicis Imperatorum imaginibus, & à ciuili veneratione earum, quòd ſcilicet ipſis regibus iudicetur factum, quicquid imaginibus ipſorum vel honoris exhibeatur, vel contumeliæ inferatur, quodq; ipſum Regem vidiſſe dicatur, qui imaginẽ ipſius aſpexit. Nequaquam autem hanc conſequentiam inde texunt. Ergo honor, cultus, inuocatio & adoratio, quæ ipſi Chriſto debẽtur, materiali & exanimi ipſius imagini exhibenda ſunt. Hæc enim ſententia ne vnica quidem ſyllaba, in patrũ iſtorum Scriptis oſtendi poteſt: ſed quia hæreticis abſurdum videbatur, Chriſtum filium Dei, eodem honore, cultu & adoratione proſequendum, ſicut ipſum Deum patrem, & prætendebant inde ſequi, duos eſſe Deos. Illam igitur doctrinã Chriſti (ego in patre, pater in me. Qui videt me, videt & patrem meum. Vt omnes glorificent Filium, ſicut Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat patrem) veteres illi Scriptores, ſimilitudine craſſiore, & nota ab imaginibus Regum, ſicut more politico tunc vſitatæ erant, ſumpta pro rudioribus qualitercunque declarare voluerunt, ideo, quia Chriſtus vocatur imago Dei & character ſubſtantiæ eius: Nihil autem prorſus dicunt de Chriſti & Sanctorum materialibus imaginibus, in Eccleſia, religione ac pietate colendis & adorandis. Nulla enim litera, nulla ſyllaba, nulla dictione in illis patrum locis hoc oſtendi poteſt, loquuntur de politicis Imperatorum imaginibus, & hanc ſimilitudinem accommodant ad Chriſtum, qui eſt viua & ſubſtãtialis imago æterni patris. Et in hanc ſententiam Baſilius dixit: honorem imagini, hoc eſt, Chriſto exhibitum, referri ad prototypum, hoc eſt ad patrem, ſicut Chriſtus dicit: Qui filium non honorat, nec Patrem honorat. Videt itaque Lector, qua fide illud dictum Baſilii, quod ſemper in ore habent, de imagine & prototypo, ad adorationem & cultum religionis, inanimatis ſimulachris exhibendum, torqueant. Eodem candore ex Ambroſio etiam allegant, Chriſtum non diuidi, quando in eo & diuinam imaginem & crucem adoramus. Ipſe enim ſe explicat, inquiens, ſe loqui de adoratione Diuinitatis & carnis in Chriſto.

*Honor imaginis ad prototypum.*

*Fraus ſeptimæ Synodi.*

Quia verò ipſi animaduertunt, illis teſtimoniis veterum non probari adorationem imaginum in Eccleſia: ad ſuppoſititia & adulterina confugiunt. Citant enim Baſiliũ in Epiſtola ad Iulianũ, quem dicere fingunt: Suſcipio Sanctos, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus, & remiſſionem peccatorum mihi largiatur. Quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro & palàm adoro. Hoc enim nobis traditum à ſanctis Apoſtolis non eſt prohibendum: ſed in genuinis Baſilii ſcriptis, nec hoc teſtimonium, nec ſimile ſeu eiuſdem ſententiæ reperitur. Et quia contra ſcripturam, & cõtra vnanimem totius antiquitatis ſententiam pugnat: ſuppoſititium eſſe non eſt dubium. Notus eſt autem cùm aliàs pernicioſus ille luſus, quo recentiorũ opiniones antiquioribus, & probatæ fidei Scriptoribus falsò tribuere ſolent: tùm in hac ipſa Synodo aliquot eius falſationis exempla extant. Tribuitur enim ibi Epiſtola quædam Gregorio Primo ſeu Magno, de veneratione imaginum, quam Gregorij Tertij eſſe conſtat. Magnũ enim Gregorium adorationem imaginum prohibere, ſuprà oſtendimus. Fabula etiam recẽtior de paſſione imaginis crucifixi Athanaſio ibi, ſed falsò, tribuitur, ſicut ſuprà oſtendimus. Feruntur quoque Athanaſii nomine quæſtiones quædam ad Antiochum, vbi in 16. dicitur: Si duo ligna crucis diſſoluantur, poſſe ea abijci & exuri etiam: ſi verò colligata ſint, eſſe veneranda: Sed in 4.

*Suppoſititia ſententia Baſilij.*

*Falſationes in iſta Synodo.*

actione huius Synodi manifeſtè deprehenditur, ſententiam illam eſſe Leontii cuiuſdam, quem circa tempora Mauritii Imperatoris vixiſſe ibidem ſcribitur.

Atque ita nec ex Scriptura, nec ex traditionibus, nec ex patribus vetuſtioribus, probare poſſunt, ſacras imagines eſſe complectendas, ſalutādas, oſculandas, colēdas, adorandas. Et argumētum precipuū, quod dicitur, cultus qui exhibentur imagini, tanquam ſigno, referri ad prototypum ſeu rem ſignatam, refutatum eſt ab Auguſtino, ſiue ad ſignum, ſiue ad ſignatum referatur. Nam de doctrina Chriſtiana lib. 3. ca. 7. gentium ſigna vocat inutilia, vt quòd ſimulachra venerabantur, vel tanquam Deos, vel tanquam ſigna & imagines Deorum. Iudæorum verò ſigna, vt diuinitus inſtituta, vocat vtilia. Et de vtriſq; concludit: Si ſignum vtiliter inſtitutum pro ipſa re, cui ſignificandæ inſtitutum eſt, ſequi, carnalis eſt ſeruitus, quantò magis inutilium rerum ſigna inſtituta, pro rebus accipere. Quæ ſigna ſi retuleris ad ea ipſa, quæ his ſignificantur, eiſq; colendis animum obligaueris, nihilominus ſeruili carnaliq; onere atq; velamine non carebis. Et cap. 8. dicit: Chriſtiana libertas, Iudæos ſub ſignis vtilibus inuentos, ad res ſignatas eleuatos, liberauit. Gentes verò ab Idolis ad vnius Dei cultum conuertit, non iam ſub ipſis etiam vtilibus ſignis ſeruituras, ſed exercitaturas potius animum in eorum intelligentia ſpirituali. Cap. 9. de Sanctis veteris Teſtamenti: Quia venerati ſunt diuinitus inſtituta, ſed quorum vim ſignificationemq; intelligebant, non hoc veneratos quod videtur: ſed illud potius quo talia cuncta referenda ſunt. Tempore verò noui Teſtamēti, quo reſurrectione Domini libertas nobis illuxit, ne talium quidem ſignorum, quæ intelligimus, operatione operati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicut eſt Baptiſmi Sacramentū & celebratio corporis & ſanguinis Domini. Hæc Auguſtinus, quę ſimpliciter euertunt præcipuum Iconolatrarum fundamentum.

*Auguſtini reſponſio de ſigno & ſignato ſeu prototypo.*

V. Tandem igitur ad miracula confugiunt, quæ per imagines edita finguntur, & quod ipſi Sancti, quorum ſunt imagines, mulierculis apparuerint, & illas apud imagines auxiliū quærere iuſſerint, ſicut quædam ſuprà ex Actis illis deſcripſimus. Et Marcum quendam fabulantur, crucem argenteam fabricaſſe, cumq; illam erigeret, tres in ea imagines per ſe enatas apparuiſſe, & Hebraica dialecto ſcriptum fuiſſe in ſuperiore parte Emanuel: vtrinque verò in ſummitate alarum, Michael & Gabriel. Et Ducem quendam viſis illis imaginibus, cùm virtutem quādam in his eſſe cognoſceret, protinus crucem adoraſſe. Huc pertinet etiam fabula, quam ex Damaſceni vita Andradius narrat: Fuiſſe ſcilicet Damaſceno, eò quòd adorationem imaginum defenderet, dextram manum, procurante Leone, abſciſſam. Ipſum verò ad virginis Deiparæ quandam imaginem confugiſſe: ab illa, cuius cauſa in tantam calamitatem eſſet coniectus, opem atq; auxilium depoſcentem maximiſq; precibus cōtendiſſe, vt ſtupendo aliquo miraculo declararet, cauſam quam defenderet piam & iuſtam eſſe. Et ecce, inquit, in ſomno manus ipſi ſubitò reſtituta eſt, & in ſomnis cœlitus ſibi admoneri viſus eſt, ne à defenſione adorationis imaginum deſiſteret. Talia multa prodigia in 4. & 5. Actione recitantur. Sed quis fidem præſtabit, illa non eſſe fabuloſa & cōficta? Partim enim ex Martyrologiis, & ex Vitis Patrum, quæ ſcripta Apocrypha eſſe, ipſe Gelaſius pronunciat diſtinctio. 15. citantur: partim circa tempora fabuloſæ huius Synodi contigiſſe finguntur. Cumq; dogma de adoratione imaginū nouum ſit ſine authoritate ſcripturæ, & abſq; veris primitiuæ Eccleſiæ teſtimoniis, ſuperſtitioſè inuectū, Scriptura diſertè prēmonet, ne ad ſuſcipiendū nouum dogma, vel ſignis vel prodigiis nos promoueri patiamur. Hoc enim prætextu ſolere Satanam mendacia & falſa ſua dogmata ſpargere, Deuter. 13. Matth. 24. 2. Theſſalo. 2. Et veritatem Deus non vult à mortuorū ſpectris, ſed ex Lege & teſtimonio inquiri, Eſaiæ 8. Lucæ 16. Et Gentes de Idolis ſuis ſimilia, aut maiora etiam miracula magno numero proferunt, ſicut ea deſcripſit Lactantius libr. 2. cap. 8. Quod ſi abſq; Scriptura, & contra Scripturam, ex ſolis prodigiis, de cultu Dei ſtatuendum eſſet, iam dudum viciſſet Ethnica religio.

*Ex miraculis imaginum.*

*Fabula de Damaſceno.*

*Martyrologia de Vitis Patrum Apocrypha.*

*Prodigia non faciunt dogmata.*

VI. Porrò vtuntur & hoc argumento: Quòd vetus ſit hæreſis damnare adorationem imaginum. Enumerant autem Gentiles, Ebræos, Samaritas, Manichæos, Xenaiam, &c. Ridiculum autem eſt vel fingere, Paganorum & Samaritarum hæreſin fuiſſe, non adoranda ſimulachra, cū illam ipſam ob cauſam, in Scriptura damnentur, quòd ſimulachra coluerint & adorârint, Ebræi verò ex Lege diuina adorationem imaginum damnârunt: quia ſcriptum eſt, Non adorabis nec coles vllas imagines. Gentes verò in ſua idololatria confirmatas, & Iudæos à fide Chriſtiana inde abſterritos, quòd viderent, Chriſtianos imagines colere & adorare, ſuprà oſtendimus. De Manichæis nullæ hiſtoriæ tradunt, ipſos auerſatos imagines: ſed contrarium ſuprà ex Auguſtino oſtendimus, ſicut etiam de Xenaia ſuprà diximus. Quod ſi qui vel in contumeliam Chriſti, vel ad ſtabiliendum Marcionitarum & Manichæorum phantaſma, hiſtoricum imaginum vſum conſpurcârunt, illi propter opinionem impiam meritò damnantur. Nec tamen vlla ratione inde ſequitur, imagines eſſe colendas, & adorandas.

*Qui damnārint adoratiōnem imaginum.*

VII. Poſtremò locum ſimilium ſæpiſſimè vrgent, Si, aiunt, in rebus huius ſeculi probantur, & grata ſunt ſigna illa dilectionis, deſiderij, & reuerentiæ, quando liberi parētum κειμήλια, ſponſa munuſcula ſponſi, ſubditi imagines, literas, ſigilla Regum honorant, oſculantur, venerantur: Cur igitur Deo non eſſet gratum, ſacras imagines complecti, oſculari, ſalutare, colere, & adorare? Item Actione prima: Si Imperatorum vexillis & imaginibus in Prouincias miſſis, populus cum cereis & ſuffimentis odoratis occurrit, quantò iuſtius eſt, hoc fieri Chriſti & Sanctorum imaginibus. Et Actione 4. dicitur, hoc fieri Symbolicè.

*A ſimili.*

Sed reſponſio plana, firma & ſolida eſt. De cultu Dei in Eccleſia, ex ſolo verbo Dei, & non ex huius mundi conſuetudinibus & ratiocinationibus, eſſe ſtatuendum. Verbum Dei autem non docet, Imagines colendas & adorandas eſſe, ſed ſimpliciter edicit: nullam ſimilitudinē, ſiue eorum quæ in cœlis ſunt, ſiue in terris, ſiue ſub terris, adorandā & colendam eſſe. Et diſertè dicit,

*De cultu Dei non ſtatuendum ex ſimilitudinibus huius ſeculi.*

cultus

cultus qui Dei gloriæ debentur, non eſſe imaginibus communicandos. Eſa. 24. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus. Contra hæc manifeſta & firma ſcripturæ fundamenta nullæ in contrarium vel admittendæ, vel recipiendæ ſunt argumentationes.

Et quàm ineptæ, frigidæ, & friuolæ, fabuloſæ, commentitiæ, & falſæ fuerint totius iſtius Synodi argumentationes & actiones, ad probandam & cõfirmandam adorationem imaginum, ideo per partes oſtendere volui, vt Lector inde ſtatuat, quantum fidei & authoritatis definitioni huius Synodi, de colendis & adorãdis imaginibus, tribuendum ſit, Et ex 6. Actione apparet fuiſſe in ipſa Synodo, qui hiſtoricum imaginũ vſum recipiendum, adorationem verò earum recuſandam eſſe iudicârunt: Sed maior pars vicit meliorem. Et Gregorius Neocæſarienſis, qui anteà adorationem imaginum damnârat, in iſta Synodo ad Palinodiam adactus, dicit: Quandoquidem vniuerſus iſte cœtus idem loquitur & idem ſentit, didici & ego atque inſtructus ſum, quòd hæc ſit veritas; quæ nunc exiſtimatur & prædicatur. Germani etiam quædam epiſtolà hanc affert rationem, cur retinenda ſit adoratio imaginum, ne ſcilicet dicatur ipſos hucuſq; erraſſe. Et in fine 5. Actionis, Legati Romani Pontificis ita concludunt: Iuſtum cenſemus, vt in medium noſtri veneranda imago afferatur, quam oſculantes ſancti vos Sacerdotes, quid de ea fieri debeat pronuncietis. Et factum eſt ita, ac non multò poſt ſecuta eſt definitio Synodi, eſſe adorãdas imagines. Atque hæc fuerunt documenta, hæc fundamenta adorationis imaginum in iſta Synodo, quæ qualia ſint, cùm manifeſtum ſit, non opus eſt prolixa refutatione.

*Quantum tribuendum iſti Synodo.*

### DE SYNODO FRANCOFORDIANA IN *qua Acta 7. Synodi iuſta refutatione reſciſſa, & adoratio imaginum improbata & damnata eſt.*

SEptima tamen iſta Iconolatrica Synodus propter ſuperſtitioſam & impiam, de adorãdis imaginibus; ſententiã, & propter inepta, & vana, & falſa documenta, non ab omnib. Eccleſiis cõprobata & recepta fuit: ſed à multis publicè fuit reprehenſa & damnata. Adrianus enim Pontifex, per Legatos ſuos, acta iſtius Synodi ad Carolum miſit, vt ea Epiſcopis Germaniæ & Galliæ approbanda proponeret. Atque hac de cauſa Synodus Francofordiana à Carolo conuocata fuit. Hoc verò loco obſeruanda eſt inſignis fraus Scriptorum Pontificiorũ, qui ſcribere non verentur, in Francofordiana illa Synodo, Felicianam hæreſin, de nõ adorandis imaginibus, damnatam, atq; ita ſeptimam iſtam Synodum receptam & approbatam ibi fuiſſe. Sed falſarium hoc eſſe, luce clarius eſt: Damnata ſanè fuit hæreſis Feliciana in Synodo Francofordiana: verùm ea non fuit de imaginibus, ſed docuit, Chriſtum ſecũdum humanitatem eſſe adoptiuum Dei Filium, ſicut acta oſtendunt.

*Acta 7. Synodi mittuntur ad Carolum Magnum.*

*Nota fraudẽ de Feliciana hæreſi.*

Porrò in Francofordiana illa Synodo, cõtrouerſiam etiam de imaginibus diſceptatam & definitam fuiſſe, inter omnes conſtat: Sed illi, qui Pontificum vitas deſcripſerunt ſuppreſſis Francofordiani Concilij actis, finxerũt, ibi ſeptimam Iconolatricam Synodum, & adorationem imaginum receptam & approbatam. Alij verò graues Hiſtorici, vt Eginardus, Regino, Adon, Annonius, Blondus, Auentinus, Himmarus ſcribũt contrarium: Adorationem ſcilicet imaginum in Synodo Francofordiana ſub Carolo damnatam, Græcorum iſtam Iconolatricam Synodum deſtructam, acta eius reſciſſa, & ſtatutum, vt nec ſeptima, nec vniuerſalis, ſed Pſeudoſynodus diceretur, & conſcriptam ibi iſtius Pſeudoſynodi iuſtam refutationẽ, quæ ſub Caroli nomine edita fuerit. Sed acta illa Francofordiana à Pontificiis hactenus ita ſuppreſſa fuerunt, vt hoc tantùm conſtiterit, ſub nomine Caroli aliquid de imaginibus Francofurti conſcriptũ fuiſſe. Pontificiis verò vociferantibus in defenſionem adorationis imaginum, & approbationem ſeptimæ Synodi hoc factum: aliis autem hiſtoricis contrarium affirmantibus, res dubia & incerta manſit, niſi quod vulgò perſuaſum fuit, adorationem imaginum tũc ab Eccleſiis Germaniæ & Galliæ etiam receptam, & contrariũ ſentientes damnatos ibi fuiſſe. Sed ante paucos annos libri illi Caroli Magni, continentes acta Synodi Francofordianæ, de imaginibus, in Galliis ab Epiſcopo Tilio editi ſunt, ex quibus Scriptores Pontificij de crimine falſi manifeſte conuincuntur, Epiſcopi enim Germaniæ & Galliæ in Frãcofordiana Synodo nequaquã, ſicuti Pontificij fingunt, ſeptimã iſtam Synodum approbârũt; adorationem imaginum nullo modo receperunt, ſed Pſeudoſynodum illam abdicârunt; adorationem imaginum magno, pio, & iuſto zelo damnârunt, & aliquot libris acta Pſeudoſynodi iſtius refutârunt.

*Quid in Francofordiana Synodo de imaginibus actum.*

*Acta Francofordiana ſuppreſſa.*

*Libri Caroli de imaginibus editi.*

Cumq; apud Græcos duæ contrariæ habitæ fuiſſent Synodi, quarum altera Conſtantiniana, ſimpliciter ipſas imagines, & quemuis earum vſum damnabat: altera Nicena ſecunda, imagines non tantùm habendas: ſed colendas & adorandas ſtatuebat: Francofordiana Synodus, inter duo illa extrema, mediũ ſequitur, & aliquoties dicit, Non ſimpliciter abdicamus effigies ob memoriam rerum geſtarum, & ob venuſtatem baſilicarum conditas, ſi fiant ad ornamentum, vel ad res geſtas monſtrandas, cùm ſciamus per Moſen & Salomonem factas: ſed earum inſolentiſſimam, vel potius ſuperſtitioſiſſimam adorationem cohibemus. Cultum enim & adorationem imaginum ſimpliciter damnant. Non ſunt, aiunt, imagines adorandæ, non colendæ: ſed tu ſolus adorandus, tu ſolus ſequendus, tu ſolus colendus es, qui in vnitate ſubſtantiæ cum Patrẽ & Spiritu ſancto perpetim regnas. Item: Qui vult vitam, & cupit videre dies bonos, non imagines adorare, nec picturam colere debet: ſed declinare à malo. Item: Quomodo præſumemus rem inſenſatam adorare? Quis tale facinus perpetrare audebit? Et rationẽ reddunt: Quia adoratio imaginum nullo dicto aut exemplo Apoſtolorum probari poteſt. Nam omni omnium rerum adoratione inhibita, ſolius Dei adoratio inſtituitur ab Apoſtolis. Item: Nulli Patriarchæ, nulli Prophetæ; nulli Patres imagines adoraſſe leguntur: ſed ſolum Deum colere, & ipſum adorare ac glorificare; tota Scriptura clamat. Et quòd Patres primitiuæ Eccleſiæ prohibuerint adorationem imaginum, ex Epiphanii Epiſtola oſtendunt, & ex Auguſtino probant, qui imaginum

*Frãcofordiana Synodus imagines concedit.*

*Sed adorationem earum damnat.*

num adoratores inter hæreticos Simonianos & Carpocratianos numerat.

Dignum autem eſt obſeruatione, quomodo & ex quibus fundamentis Germanici & Gallici Epiſcopi argumenta ſecundæ Nicenæ Pſeudoſynodi refutarint. Etiuſtæ quidem ac prolixæ refutationes extant in libris illis Caroli Magni: nos verò hoc loco præcipua tantùm capita refutationum annotabimus, vt ad ea, quæ ſuperius ex actis Pſeudoſynodi notauimus, conferri poſſint. Primò igitur rectè dicunt, quod illa teſtimonia, quæ ex Scriptura & patribus vere & rectè citat Pſeudoſynodus, nihil aliud probent, quàm imagines poſſe haberi, vel ad vſum hiſtoricum, vel ornatus gratia. Nullo verò modo inde probari, imagines eſſe colendas & adorandas. Et tamen illum ipſum hiſtoricum vſum accuratis limitationibus intra certas metas circumſcribunt. Verus, inquiunt, decor Eccleſię ſeu Domus Domini non in materialibus imaginibus, ſed in virtutibus ſpiritualibus refulget, Paulus enim, Antonius, Hilarion, & alij, imagines non habuerunt, & tamen decorem Domus Domini dilexerunt. Item imagines non volunt æquiparari libris diuinæ Scripturæ. Hæc enim arcano ac præſago Dei conſilio prædeſtinata, & ad humanæ ſalutis emolumentum patefacta eſt. Imagines verò Gentilium authorum vanitate ſunt probatæ, & nullam ſalutis exhibitionem adducunt. Dauid enim in agnitionem Chriſti, per legem, non per imagines peruenire, anhelabat, cùm aiebat, reuela oculos meos. Item myſteria fidei non in picturis, ſed in diuinis literis ſunt inueſtiganda, & fide potius quam oculis intuenda. Quodq; dicitur, in picturis virtutes conuerſationis Sanctorum videri, hoc Francofortēſis Synodus negat. Dicit enim, fidem, ſpem, charitatem, & reliquas virtutes eſſe inuiſibiles, Imitationem verò à Paulo ita præſcribi: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Eſſe igitur Apoſtolicam traditionem non in picturis, ſed in virtutib. Sanctorum conuerſationem videri poſſe, & eorum imitandam eſſe fidem, non imaginum fucis, ſed operibus bonis. Addunt & hoc: Vetus Teſtamentum plenum fuiſſe præfigurationibus, quæ opertæ fuerunt typicis vmbris, & ſignificationibus futurorum: Nouum verò Teſtamentum habere figurarum impletionem & veritatē ſpiritualem. Non itaque conſequens eſſe, ſi vetus Teſtamentum habuit figuras, Arcam, Cherubim, Serpentem, &c. Ideò neceſſe eſſe, vt nouum Teſtamentum habeat imagines. Imò multitudine imaginum conditionem noui Teſtamenti deteriorem reddi, quàm fuit veteris, vbi figuræ diuinitus inſtitutæ fuerunt, non ſicut nunc imagines ab hominibus excogitatæ.

*Hiſtoricus vſus imaginũ.*

*Limitatio hiſtorici vſus.*

Secundò, oſtendunt, Pſeudoſynodũ, ad probandam adorationem imaginum, quædam dicta Scripturæ falſo allegare, vt quod dicunt, Iacobum adoraſſe virgam ſeu ſceptrum Ioſephi. Item, Patres in veteri Teſtamento adoraſſe Arcam, Cherubim, montem ſanctum, &c. cùm textus Scripturæ hoc non dicat, Solum enim Deum adorarunt.

Tertio demonſtrāt, multa peregrina ſcripturæ dicta, violenter ad adorationem imaginum detorta, quæ de picturis nihil prorſus dicant. Vt: Faciem tuam requiram, Vultum tuum deprecabuntur. Et quæ præterea ſuprà nōtauimus.

Quartò, indicant, multa apocripha, ſuppoſititia & falſa, ſub nomine & titulo Patrum allegari, vt epiſtolam Ieſu ad Abgarum, & alia multa.

Quintò, oſtendunt, ad adorationem imaginum falsò detorqueri quædam Patrum dicta, quæ vel de hiſtorico imaginum vſu, vel de politicis Imperatorum imaginibus, vel de Chriſto, qui eſt imago Patris, in qua ipſe Pater videtur, loquuntur.

Sextò, decretum faciunt his verbis, Si quis eũ Pſeudoſynodo dicat de pictura, hoc eſt Chriſtus, is proculdubio mentitur, peccat, & inſaniēs ſceleſtè agit.

Septimò, reiiciũt & illud, quòd Pſeudoſynodus prætendit, per imaginem Dei fortitudinem adorari, & dicunt: Deus non eſt quærendus in imaginibus, nec adorandus in depicta tabula.

Octauò, reprobant & hoc, quòd Pſeudoſynodus decernit, oſculationem, complexum, & adorationem idem eſſe, cùm adoratio longè aliquid maius ſit quàm reuerentia, imòquàm ipſa deprecatio. Et cōtendunt dictum illud Scripturæ, Dominum Deum tuum adorabis, excluſiuè intelligendum, contra Pſeudoſynodum.

Nonò, repudiant & illum prætextum, quo Pſeudoſynodus plurimum vtitur: Honorem ſcilicet imagini exhibitum referri ad prototypum, Quia Chriſtus non dixit: Quæ imaginibus, ſed quæ vni ex minimis meis fratribus feciſtis, mihi feciſtis. Item non dixit, Qui imagines, ſed qui vos recipit, me recipit.

Decimò, quòd Pſeudoſynodus adorationem imaginum inde conatur probare, quia Abraham filios Heth, Moſes Iethronem, adoraſſe ſcribitur: Ad hoc Francofordiana Synodus ita reſpondet: Aliud eſt hominem adorare, hoc eſt, ſaluationis officio, & humanitatis ac reuerentiæ obſequio ſalutare, aliud picturam adorare. Fraternitatem enim, dilectionem & reuerentiam erga proximos exhibēdam, ſcripturarum docemur exemplis, imagines verò adorare vel ſalutare expreſſe prohibemur, Exod. 20.

Vndecimò, de miraculis imaginũ reſpondēt: Ea nulla habere, vel veteris Teſtamenti, vel noui teſtimonia, ſed eſſe incerta, dubia & falſa.

Duodecimò, quando veteres de cruce Domini magnifica prædicant, dicunt ſignificari non lignum, ſed totum opus Chriſti in cruce peractũ, deinde etiam afflictiones piorum.

Decimotertiò, quia Pſeudoſynodus Sacramēto corporis Chriſti comparauerat imagines, & earum dedicationem: Reſpōdent Germani, Euchariſtiam à Chriſto inſtitutā, & per inuocationem nominis diuini confici. De imaginibus verò, vel per impoſitionem manuum, vel myſterio aliquo conſecrationis dedicandis, nullum traditum eſſe verbum.

Decimoquartò dicunt, ridiculum eſſe imagini oculos habenti & nihil cernenti lumen offerre.

Hæc capita, quæ præcipua ſunt, ideo breuiter hoc loco annotare volui, vt ad argumēta τῶν εἰκονολάτρων, quæ ſupra ex actis excerpſimus, cōferri poſſint, vt quæ ex conſideratione fundamentorum diiudicari poſſit, cuius Synodi ſententia vera ſit.

DE

### *DE CERTAMINE CLAVDII ET IONÆ, anno Domini 840. Quodq́; Eccleſiæ Germaniæ & Galliæ diu abhorruerunt ab adoratione imaginum, & quomodo tentata fuerit inclinatio.*

CElebrata autem fuit Synodus Francofordiana anno Dom. 764. qua aliquo modo cohibita fuit controuerſia de adoratione imaginum. Nam Haimo & Rabanus, qui non longè poſt illa tempora ſcripſerunt, nihil de illa cõtrouerſia habent, quòd imagines ſint adorandæ. Quia verò Romani Pontifices in ſuperſtitioſa ſua opinione perſiſtebant, varia hac de re mota fuerunt certamina, etiam poſtea, tam in Latina, quàm in Græca Eccleſia. Ludouicus enim Caroli filius, in aula ſua habuit presbyterum quendam, Claudium nomine, quem, quia in explanandis Euangeliorum ad populum lectionibus, peculiari dono à Deo inſtructus erat, ad Italicam plebem, quæ ab Euangeliſtarum ſenſibus procul aberat, miſit, & Taurinenſi Eccleſiæ pręfecit. Ibi verò videns, populũ Italiæ, ſuperſtitioſæ, imo pernicioſæ imaginum adorationi, qua plurimum incolæ iſtarum partiũ ex inolita conſuetudine laborant, deditum eſſe: Imagines deleuit, euertit, & penitus abdicauit. Hæc ad verbum de ipſo ſcribit Ionas aduerſarius eius. Abbas verò quidam Theodomirus ſe Claudio oppoſuit, ad quem Claudius ſcripſit libellũ contra adorationem imaginum. Cumq́; libellus ille diiudicandus, à Ludouico miſſus fuiſſet ad Ionam Aurelianenſem Epiſcopũ, is ſiue ſponte, ſiue à Pontificiis inſtigatus, cõtra Claudium pro imaginibus ſcribere tentauit. Sed viuente Ludouico & Claudio continuit ſe. Poſt mortẽ verò vtriuſq; tres libros cõtra Claudium edidit, circa annum Dom. 840. Vnde argumenta quædã Claudij colligi poſſunt, quanquã Ionam verba Claudij nõ candidè recitare manifeſtum eſt. Ex Claudij verò verbis, & ex Ionę reſponſionibus multa obſeruatione digna colliguntur, quales fuerint in Italia & Gręcia ſuperſtitiones circa imagines, & quàm alienæ tunc adhuc fuerint Germanicæ & Gallicæ Eccleſiæ ab adoratione imaginum, quomodo verò ſenſim eò retrahi cœperint.

*Claudius.*

*Ionas.*

*Adoratio imaginum in Italia.*

Claudius igitur cultum & adorationem imaginum in Italicis Eccleſiis iuxta Francofordianàm Synodum reprehendit. Et ſtatim, inquit, aperuerunt omnęs (in Italia ſcilicet) ora ſua ad blaſphemandum me, & niſi adiuuiſſet me Dominus, forſan viuum deglutiſſent me. Et Ionas aduerſarius reſpondens, nõ audet adorationem imaginum defendere, ſed dicit ex Gregorio, picturas ſanctarum rerum geſtarum, non ad adorandum, ſed ſolummodo ad inſtruendas neſcientium mentes in Eccleſiis permiſſas eſſe. Et ex Origene adducit teſtimonium: Imagines nec affectu colendas, nec externa ſpecie adorandas. Ex Hieronymo etiam in expoſitione Danielis, de tribus pueris in Babylonia, hoc dictum citat: Ergo iudices & principes ſeculi, qui Imperatorum ſtatuaș & imagines adorant, hoc ſe facere intelligant, quòd tres pueri facere nolẽtes, Deo placuerunt. Adducit etiam hoc ex Fulgentio: Quia ipſe Deus ſibi ſoli præcipiens tantummodo ſeruiendum, ſeq́; iubens à fidelibus adorandum, prorſus interdixit, ne quis audeat Creaturam adorare, Creaturæ ſeruire, ideò in fine præcepti dicit: Non adorabis ea, nec ſeruies eis. Ex Lanctantio etiam citat. Nihil colendum quod oculis mortalium cernitur. Item, nihil aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolius parẽtis noſtri vnicum nomen, qui non in ima, ſed in ſumma potius regione quærendus eſt.

*Gregorius.*

*Hieronymus.*

*Fulgentius.*

*Lactantius.*

Porrò ſcribit Claudius, adoratores imaginum ad errorem ſuum muniendum reſpondiſſe. Nõ putamus imagini, quam adoramus, aliquid ineſſe diuinum: ſed tantũmodo pro honore, cuius effigies eſt, tali veneratione eam adoramus. Et Ionas reſpondens, dicit: idipſum etiam nõnulli Orientalium, qui eodem ſceleratiſſimo mancipantur errori, obiurgantibus reſpondere ſolẽt. Nos verò hoc vnà tecum reprehẽdimus, inquit, & deteſtamur. Tribuat Dominus, vt aliquando & iſti & illi ab eadem eruantur ſuperſtitione. Dixerunt etiam adoratores imaginũ, legem Exod. 20. tantùm de ſimilitudinibus Deorum alienorum loqui, ſed Claudius oſtendit, legem generaliter loqui. Et Ionas reſpondens, dicit: Verum eſt, ſanæq́; fidei congruẽtiſſimum, nullam prorſus ſimilitudinem faciendam, cui cultus aut adoratio, quæ ſoli Deo debetur, quodammodo exhibeatur. Fuit & hoc Claudij argumentũ: Cùm opera manuum Dei non ſint adoranda & colẽda, quantò magis opera manuum hominum nõ ſunt adoranda & colenda, prorſus nec in honore eorum, quorum ſimilitudines eſſe dicuntur. Et Ionas reſpondens dicit: In huius ſententiæ ſenſu nobiſcum ſobriè ſapis.

*Prætextus adorantium imagines.*

*Orientales adoratores imaginum.*

Quid igitur Ionas in Claudio reprehendit? Hoc verò diligenter obſeruetur. Primò enim hoc reprehendit, quod Claudius ob adorationẽ ipſas imagines deleuerit, euerterit & penitus abdicarit, cùm potius debuiſſet Gregorium ad Serenum Maſſilienſem, imò Paulum ſequi, qui Athenis aras idolorum non deſtruxit, ſed ratione ignorantiam redarguit, veritatem monſtrans. Secundò reprehẽdit Ionas hoc, quod Claudius ſimpliciter ipſas imagines damnare videatur. Dicit enim: Sinãtur à te in Eccleſiis depingi imagines Sanctorum, & hiſtorię Sanctorũ operum, non vt adorentur, ſed potius vt quandam pulchritudinem reddant, & præteritarum rerum memoriam ſenſibus imperitorum ingerant. Et poſtea addit: Gallia vtiq; imagines ſanctorũ ob præmiſſas cauſas, & habet & habere ſinit: Eas vero adorari, magnę deteſtationi & abominationi habet. Item: Nos figmenta & imagines non colimus, imagines tamen & habemus, & non habentibus non præiudicamus. Et poſtea: Nonne Galli atq; Germani, cuicunq; picturæ adorationem non ſolũ deferre detrectant, ſed & adorantibus, libera voce reſultant, eosq́; quanta poſſunt inuectione redarguunt, & vt ad ſanitatem redeant, toto conamine elaborant? Atq; hoc teſtimonium de Eccleſiis Galliæ & Germaniæ diligenter obſeruetur. Imo Nicetas lib. 2. in vita Iſaaci Angeli ſcribit, adhuc tẽpore Friderici Barbaroſſæ, circa annum Dom. 1160. Alemannis ſacrarum imaginum adorationem interdictã fuiſſe. Hactenus igitur Ionas non male diſputauit.

*Galli & Germani habuerũt imagines, ſed non adorarunt, circa annum 850.*

*Alemannis adoratio imaginum interdicta circa annum 1160.*

Tertio autem incipit adorationem imaginũ extenuare. Illi, inquit, qui nimio & indiſcreto amore, ob honorem Sanctorum, eorum imaginibus ſupplicant, neſcio an temere idololatræ

 ſine

ſint vocandi, cùm Trinitatis fidem credant, videntur potius ab hac ſuperſtitione, adhibito rationis moderamine reuocãdi. Item, licet in cultu & adoratione imaginum, ignorantia fallente aliquid temporis inſumpſerint, nullo tamen pacto ab vnitate fidei defeciſſe, & ad idola conuerſi eſſe, credendi ſunt. Non igitur huiuſmodi error tam granditer & indiſcretè ſordibus anathematum comparandus, ſed tẽperato ſermone ignorantiæ deputandus fuiſſet.

*Aurelianẽſis Ionas extenuat adorationẽ imaginum.*

Quartò Ionas à Francofordiano decreto diſcedens, rurſus delabitur ad Pſeudoſynodi diſtinctionẽ, de adoratione latriæ & duliæ, atque adorationem imaginum prius extenuatam incipit oblique palliare. Et Sanctorum quidem corpora ſeu reliquias tanquam templa ſancti Spiritus, pio amore amplectenda & honorãda dicit, non tamen externos adorationis geſtus materialibus Sanctorum imaginibus tribuere audet: ſed tantũ de ligno ſchemate crucis facto, ſeu de cruce picta diſputat, & illã contendit venerandam, colendam & adorandam, non tamen cultu, qui ſolius diuinitatis eſt, ſed honoraria ſalutatione, in recordationem Chriſti Saluatoris. *Adoratio ligni crucis primum tentata à Iona.* Ita ſenſim & paulatim adorationes imaginum cœperunt rurſus Eccleſiis obtrudi. In illa verò Ionæ diſputatione præcipuè hoc obſeruandũ eſt, cùm Paulus & Patres, vocabulo crucis, non lignum vel picturam, ſed totum myſterium Redemptionis à Chriſto in cruce peractæ, deinde etiã afflictiones piorum, intelligant, *Quid crux ſit Paulo & Patribus.* ſicut & Francofordiana Synodus oſtendit, vnde Paulus dicit, ſe gloriari in cruce Chriſti. Et Chryſoſtomus, crux nobis totius beatitudinis cauſſa eſt. Item, Crux ſpes Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum, cœcorum dux, ſpes deſperatorũ, deuictio diaboli, &c. Ionas illa Encomia crucis omnia ad lignum ſeu picturam crucis refert ac declamitat: Tu igitur crucem non adorabis, quæ totius beatitudinis nobis cauſa eſt? Te Paulus antea depinxit, vbi inquit: Cauete eos, de quibus ſepe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, &c. Sed manifeſtus & palpabilis & ſophiſticus paralogiſmus eſt. Non enim de Chriſto Redẽptore, & de myſterio redemptionis in cruce peractæ, controuerſia erat: ſed de duobus lignis ſchemate crucis compaginatis, ſeu de cruce picta. Et ſi ſignum illud commonefactionis gratia vſurpetur, ſuprà Cyrilli verbis veteris Eccleſiæ ſententiam expoſuimus. Sed quia Ionas contendebat, lignum ſeu picturam crucis adorandam, ideò quòd in tali forma ligni Chriſtus olim paſſus eſſet, Claudius oppoſuit, eadem ratione adorandas eſſe virgines, quia virgo peperit Chriſtum, adorãda præſepia, pannos, quia inuolutis pannis, in præſepio reclinatus fuit, adorandas ſpinas, arundines, lanceas, quia & hęc fuerunt inſtrumenta paſſionis Chriſti, imò adorandas aſinas, quia Chriſtus Rex iuſtus & Saluator, aſello vectus, vrbem ingreſſus eſt. Idem dicit, Chriſtus iuſſit crucem portare, non adorare. Illi volunt adorare, ſed non volunt portare. Et Ionas in reſponſionibus tonat quidem & fulminat, ſed fulgur ex pelui, & ex fulgore fumum. Nihil enim ad rem dicit, quare ſcilicet duo ligna, ſi tranſuerſim compingantur, ſint adoranda. Ita ergo poſt Francofordianam Synodum, poſt annos circiter 50. tentata rurſus fuit quædam inclinatio apud Gallos, ad cultũ imaginum: Germaniam verò etiam diu poſt circa annum 1160. adorationem imaginum adhuc damnaſſe, ex Niceta oſtendimus.

## CERTAMINA IN GRAECA ECCLESIA, *etiam poſt ſeptimam illam Iconolatricam Synodum.*

*Turbæ apud Græcos de imaginibus.*

IN Græca verò Eccleſia, poſt celebratã ſeptimam illam Synodum, per annos fermè cẽtum continuos, magnæ turbæ, dira certamina, & ſæuæ perſecutiones, propter controuerſiam illam de imaginibus extiterunt. Decretis enim & documentis ſeptimæ iſtius Syodi, conſcientiis nequaquam ſatisfactum erat. *Conſtantinus* Et Conſtantinum ipſum, ſub quo pupillo, celebratum fuerat iſtud Concilium, decreta eius poſtea reſcidiſſe, ſuprà diximus. *Michael.* Poſtea Zonoras ſcribit, Michaelem ſecundum, multos, qui certamẽ contra adorationem imaginum, reuocare tentabant, mulctaſſe. Monacho verò, qui imaginem Mariæ eraſerat, linguam præcidiſſe. *Leo Armenius.* Leo verò Armenius circa annum Domini 814. magna ſæuitia bellũ contra imagines renouauit. Monachi enim pleriq; clamabãt, adorationem imaginum eſſe idololatriã, & ex aulicis præcipui fauebãt Iconomachis. Decretũ itaq; Leo propoſuit, imagines omnes eſſe tollendas. Nicephorum Patriarcham relegauit, & aduerſus alios Iconolatras magna ſæuitia vſus eſt. *Conſtantinus filius.* Et tamen filius Conſtantinus exectus, cùm vocem amiſiſſet, ad Gregorij Theologi ſtatuam confugit, vt vocem recuperaret. *Michael Balbus.* Michael verò Balbus multos Epiſcopos, ob venerationẽ imaginum, in exilium miſit, quoſdam flagris cæſos occidit, circa annũ Domini 824. *Theophilus.* Filius eius ſucceſſor Theophilus bellum illud cõtra imagines cõtinuauit maiori ſæuitia, quàm ſuperiores Imperatores, nec tantùm cultores, ſed & pictores imaginum perſecutus eſt, & multos crudeliter excruciatos partim mutilauit, partim interfecit. Mulierculæ verò, vt vxor & ſocrus Imperatoris, clàm habebant & colebant imagines. Cumque ſocrus filiolis Imperatoris oſtenderet imagines, admouens eas capitibus eorum, vt aſſuefierent clàm imagines oſculari & adorare, minima filiarum balbutiens Imperatori dixit, auiam in ciſtella pulchras pupas habere, quas ipſis oſculandas præbuerit. *Morio imagines vocat pupas.* Idem Morio aulicus dixit, cùm apud Imperatricem imagines vidiſſet. Quamobrem ab Imperatore reprehẽſæ fuerunt mulierculæ. *Theodora.* Poſt Theophili mortem, vxor Theodora, tutorio nomine filij Michaelis imperium adminiſtrauit, apud eam Monachi inſtiterunt, & impetrauerunt, vt imagines publicè & reſtituerentur & adorarentur. Ac rurſus Iconomachi ab Iconolatris pulſi, cæſi, mutilati. *Michael.* Filius verò Michael, remota matre, ſuſcipiens Imperium, per Bardum Iconolatras viciſſim deiicit, *Nota de Legatis Roman. Pontificis.* Pontifex Romanus Nicolaus Legatos ſuos mittit Cõſtantinopolim cõtra Iconomachos, ſed illos perſuaſos, Bardus in ſuam ſentẽtiam deducit. Hæc Zonoras de Græcis Imperatoribus.

Cùm verò Nicolaus Pontifex, Legatorũ ſuorum Acta, de cõfirmatione Photij, & depoſitione Ignatij, pręcipuè verò de imaginibus reſcidiſſet, Adrianus poſtea apud Baſilium ſucceſſorem Michaelis perfecit, vt Conſtãtinopolin conuo-

caretur

*De octaua Synodo memorabilia.*

caretur Synodus, quam octauam vniuerſalem appellarũt, circa annum Domini 870. In Tomis Conciliorum autem acta illius Concilij non extant, & Zonaras, Patronus adorationis imaginũ, eius nullam facit mentionem. Quidam ſcribũt, non conueniſſe ibi inter Gręcos & Latinos, atq; ideò ſine fructu diſceſſum. Pontificij verò ſcriptores dicunt, Gręcos in illo Concilio adorationem imaginum approbaſſe. Liber Pontificalis dicit, Adrianum Legatis ſuis, quos ad celebrandum illud Conciliũ miſerat, tradidiſſe libellum in quo de primatu Romanæ Eccleſiæ, & de cultu imaginum præſcriptum erat, ac mandaſſe, ne quem ex Græcis ad Synodum admitterent, niſi prius iſti libello ſubſcripſiſſet. Huius Synodi Canones collegit Caranza, ſed fatetur Codices ita deprauatos fuiſſe, vt noluerit eos deſcribere, ſed Epitomen tantùm proponere. Ex his omnibus de authoritate illius Concilij iudicetur. Actione igitur octaua ſcribuntur repetiti anathematiſmi ſeptimæ Synodi, & Iconomachi quidam conuerſi & recepti.

*Andradij historia ex 8. Synodo.*

Andradius recitat inde hanc hiſtoriam: Quod Theodorus quidam Iconoclaſta ibi oſtẽderit, ſe non hiſtoricum vſum imaginum, ſed tantùm adorationem earum improbare. Dixit enim, nummũm ſibi ab Imperatore Baſilio donatum, continentem eiuſdem effigiem, in magno ſe precio habere. Patres verò conabantur ipſi perſuadere, vt Chriſti etiam ac Sanctorum imagines coleret, & adoraret. Sed ipſe reſpondit, non prius ſe hoc facturum, quàm ſibi ea de re Chriſti pręceptum fuiſſet oſtenſum. Ibi verò quidã ex illis, qui conuerſi dicebantur, locum editum cõſcendens, anathematizauit hæreſin Iconomachorũ & Theodorum illum. Hæc ſcilicet fuerunt documẽta. Poſtea Baſilius Imperator, illos qui adorationem imaginum receperant, amplexus dixit: Nunc erepti eſtis à diabolica poſſeſſione, & facti eſtis veri Chriſtiani, & vita æterna digni. Nam niſi hæreſin illã anathematizaſſetis, Chriſtus vobis nihil prodeſſet. Quæ profectò horrẽda vox eſt, damnãs omnes ſanctos veteris & noui Teſtamenti, ac totam primitiuam Eccleſiam, à quibus omnem adorationem & cultum imaginum, magno zelo damnatum fuiſſe, ſuprà multis oſtendimus.

*Stabilita adoratio imaginum in 8. Concilio.*

Tertius etiam Concilij illius Canon, ſicut à Caranza deſcribitur, imagines adorãdas decernit, illo honore, ſicut liber Sanctorum Euangeliorum honoratur, & typus precioſę crucis colitur. Ratio hæc additur: Quia ſicut per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem cõſequuntur omnes, ita etiam per imagines & ſapientes, & idiotas vtilitate perfrui. Ea enim quę ſermo in ſyllabis, eadem & pictura in coloribus prædicat & commendat. Item, quia ſecundum congruentiam rationis, honor qui debetur principalibus, deriuatiuè etiam imaginibus tribuitur. Tertiò dicunt, eſſe antiquiſſimam traditionem.

*Præualuit tandem adoratio imaginum in Græca Eccleſia.*

Hæc in ſuperioribus ſunt explicata & refutata. Sed efficacia erroris præualeſcente, tandem veritas ſuccubuit. Et poſt hæc tempora in Gręca Eccleſia nõ admodum amplius publicè pugnatum fuit contra adorationem imaginum. Sub Baſilio enim Imperatore, ſicut ſcribit Zonaras, Dux quidam Andreas literas Agaenorum, denunciantes bellum cum illa blaſphemia: Nihil Chriſtianis profuturum Marię filium, ſuſpendit de imagine matris Dei, addita hac oratione, Domina redde homini arroganti præmium ſui fremitus. Et ſub Leone circa annum Domini 900. aulicus quidam ex voto ſuſcepit peregrinationẽ ad crucem Sirichanam. Sub Romano Zonaras dicit, imaginem Chriſti Abgaro miſſam, Edeſſa Conſtantinopolin translatam, circa annũ Domini 940. De vlterioribus temporibus nihil attinet dicere, Zonaras enim & Nicetas ſcribunt, pro hæreſi ſuis temporibus habitum ſi quis non adoraret imagines.

## *SCHOLASTICORVM DOCTRINA, & Pontificiorum praxis, de adoratione imaginum.*

*Scholaſticè quomodo de adoratione imaginum.*

IN Romana verò Eccleſia Scholaſtici ſcriptores tandẽ non tantùm ſicut Græci, honorariã adorationem externæ reuerentię, imaginibus tribuendam contenderunt, ſed diſputarũt, imagines Chriſti eadẽ adoratione latriæ, qua Chriſtum ipſum, colendas. Sanctorũ verò imagines eadem veneratione, inuocationis ſcilicet, qua ipſos ſanctos colendas.

*Thomas.*

Thomas enim diſputat: Si imago cõſideretur, quatenus eſt lignum ſculptum vel pictum, tunc nullam ei reuerentiam tribuendam, eius enim ſolam rationalem creaturam capacem eſſe. Si verò cõſideretur vt imago Chriſti, tũc adoratione latrię, ſicut Chriſtum ipſum, adorandam. Ideò inquit, Crucem alloquimur & deprecamur, ſicut Chriſtum ipſum, O crux, aue ſpes vnica. Rationẽ verò addit, Quia Philoſophus dicit, quòd idem ſit motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago.

*Bonauentura.*

Bonauentura dicit: Quoniam imago Chriſti introducta eſt ad repræſentandum eum, qui pro nobis crucifixus eſt, nec offert ſe nobis pro ſe, ſed pro illo, ideo omnis reuerentia, quæ ei offertur, Chriſto offertur, & propterea imagini Chriſti debet cultus latriæ exhiberi, & addit hos verſus:

*Verſus.*

*Effigiem Chriſti dum tranſis ſemper adora;*
*Non tamen effigiem, ſed quem deſignat honora.*

*Summiſtarum regula.*

Reliqui Sententiarij & Summiſtę generalem regulam inde extruxerunt, imagines eadem ſpecie adorationis adorandas, qua res ipſas repræſentatas. Et eandem reuerentiam deberi imagini ſeu ſigno, quæ debetur rei ſignatæ.

*Nota de Durando.*

Durandus de ſancto Portiano agnoſcit hoc falſum eſſe, ſed inquit: Loquẽdum eſt vt plures. Sed ne ſeptima quidẽ Iconolatrica Synodus ita loqui auſa fuit, ſicut ſuprà oſtendimus.

Hæc verò ex praxi Eccleſiæ Pontificiæ adhuc manifeſtius intelligerentur, ſi cõſiderentur dedicationes imaginum, & formæ precularũ quibus vtuntur ante imagines. Frãcofordiana Synodus dicit, nullum verbum traditum eſſe, quo imagines dedicarentur & conſecrarentur.

*Conſecrationes imaginũ in Põtificali.*

Sed poſtea in Pontificali peculiares formulas conſecrationis imaginũ confinxerunt, vnde, quid, & quantum imaginibus tribuant, rectè conſtitui poteſt.

*Benedictio ligni crucis.*

Lignum crucis igitur inter cætera his verbis benedicitur: Rogamus te ſẽpiterne Deus, vt digneris benedicere hoc lignũ crucis, vt omnibus hîc genu flectentibus, ac tuæ maieſtati ſupplicantibus, cordis compunctio, & admiſſorum conce-

concedatur remiſſio. Item, Sanctificetur illud lignum crucis, vt orantes inclinanteſq; ſe, propter Deum ante iſtam crucem, inueniant corporis & animæ ſanitatem. Item, digneris benedicere hoc lignum crucis, vt ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra ſæua iacula inimicorum.

*Imago Mariæ conſecratur.*

Benedictio imaginis beatæ virginis: Sanctifica Deus hanc formulam beatæ virginis, vt tuis fidelibus ſalutaris auxilij opem ferat, tonitrua aut fulmina, ſi inualuerint, nocentia, celerius expellantur, pluuiarum quoque inundatio, aut ciuilium bellorum commotio, ſeu paganorum deuaſtatio, ad præſentiam eius comprimantur, &c.

*Imago Ioannis.*

Benedictio imaginis Ioannis Euangeliſtæ: Præſta, vt omnes illā cum reuerentia intuentes, preceſq; coram illa fundentes, pro quacunque neceſſitate orauerint, exaudiantur. Sit hæc imago dæmonum ſancta expulſio, Angelorum aduocatio, fidelium protectio, eiuſq; in hoc loco potenter vigeat interceſſio, &c.

*Preculæ ante imagines.*

In hortulis, prætereuntes imaginem crucis, docentur dicere: Salua nos Chriſte Saluator per virtutem ſanctæ crucis. Item, Tu corda & corpora noſtra per virtutē ſanctæ crucis illuminare digneris. Intelligunt autem virtutem crucis, de qua formula conſecrationis loquitur. In Antidotario extat hæc oratio ad crucē: Signum ſanctæ crucis, defendat me ab omnibus malis. Per hoc ſignum ſanctæ crucis à periculis mundi liberet me Dominus.

*Veronica.*

Ante Veronicam dicunt hanc orationē: Salue ſancta facies impreſſa pāniculo. Nos ab omni macula purga vitiorum, atq; nos conſortio iunge beatorum: Nos perduc ad patriam, ô felix figura, ad videndum faciem, quæ eſt Chriſti pura. Eſto nobis, quæſumus, tutum adiuuamen, dulce refrigerium, atque conſolamen, vt nobis non noceat hoſtile grauamen, ſed fruamur requie, Omnes dicant, Amen.

*Vota ad imagines.*

Extant aliæ plures orationes, quæ ſi deuotè dicantur corā imagine crucis, vel Mariæ, promittuntur multorum millium annorum indulgentiæ. Docent item facienda vota, ſuſcipiēdas peregrinationes, ad certas Sanctorum ſtatuas, hac promiſſione: Si quis tali ſe voueat imagini, ſanabitur, vel optato potietur. De quib. ſuperſtitionibus etiam Gerſon conqueritur his verbis: Fateor, abnegare non poſſumus, multa inter Chriſtianos ſimplices ſub ſpecie religionis introducta eſſe, quorum ſanctior eſſet omiſſio, &c. Et licet proteſtentur ſe imaginibus non tribuere aliquam vel diuinitatem vel virtutem, tamen ſentiunt, Deum facilius & citius exaudire, & magis propitium eſſe, ſi ad ſtatuam aliquam, vel coram imagine, inuocetur. Ad Sanctorum verò inuocationes, imagines in Pontificia Eccleſia fieri & vſurpari ipſi non diffitentur.

*Tridentinum Decretum.*

Hæc lector conferat ad verba Decreti Tridētini, & videbit, quomodo craſſis ſuperſtitionib. σοφοῖς φαρμάκοις mederi καὶ τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν, & tamen ipſos neruos ſuperſtitionis retinere conentur. Non enim expreſſe dicunt, imagines adorandas & colendas. Negant etiā ſpem, & fiduciam in imaginibus collocādam, ſed quomodo hæc intelligi velint, inſinuant per ea, quæ de relatione inter imaginem & prototypum addunt, & quod ſe referunt ad 7. Synodum. Quæ vt rectius intelligi & diiudicari poſſent, hiſtoricam hanc obſeruationem controuerſiæ de imaginibus, mediocri diligentia collectam, bono ſtudio hoc loco adſcribere volui, quam candido Lectori non ingratam fore ſpero. Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, per Spiritum ſuum ſanctum, puritatem cultus ſui in Eccleſia clemēter reſtituat, & conſeruet, iuxta Scripturæ doctrinam, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſum ſolum coles.

# DECRETVM DE INDVLGENTIIS.

*CVm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit, ſacroſancta Synodus Indulgentiarum vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eoſq; anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus verò, qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur emendatos & correctos cupiens, præſenti Decreto generaliter ſtatuit, Prauos queſtus omnes pro his conſequēdis (vnde plurimum in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit) omnino abolendos eſſe. Cæteros verò, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliunde quomodocunque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum & Prouinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant ſpecialiter prohiberi, mandat omnibus Epiſcopis, vt diligenter quiſque huiuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſq; in prima Synodo prouinciali referat, vt aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad ſummum Roman. Pont. deferantur, cuius authoritate & prudentia, quod vniuerſali Eccleſiæ expediet ſtatuatur, vt ita ſanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.*

## CAPVT I.

### *QVID NOMINE INDVLGENTIArum in hac controuerſia intelligatur, ſiue quid ſint Romanenſes Indulgentiæ.*

TOti terrarum orbi, atque ipſis adeò Pontificiis notum eſt, impudentem & impiam indulgentiarum nundinationem, cùm per annos complures à multis doctis & piis (ſicut poſtea oſtendemus) fruſtra ac nequicquam deplorata & reprehenſa fuiſſet, tandem Deo Eccleſiam ſuam clementer reſpiciente ante annos quinquaginta initiū præbuiſſe ruinæ regni Pontificij, ac ſalutari repurgationi doctrinę cœleſtis, quæ nefandis erroribus & ſuperſtitionibus iamdudum contaminata fuerat. Illa enim occaſione Deus accenſa verbi ſui luce, multorum oculos aperuit, vt errores in doctrina, ſuperſtitione, & idolomanias in cultibus Eccleſiæ Pontificij abiicerent, & ad formam doctrinæ, ad cultum in verbo Dei traditam & præſcriptā redirent. Vnde eam plagam Papatus accepit, de qua adhuc fremens

*Indulgentiarum nūdinatio noſtra ætate occaſionem præbuit taxādi Idolomanias Papiſticas.*

*Tridentini concilij in tegendis indulgentiarum impoſturis, impudentia.*

*Controuerſiæ ſtatus.*

mens gemit, quæq; extremũ ipſi allatura eſt interitum illuſtri aduẽtu Domini noſtri Ieſu Chriſti, 2. Theſſa. 2. Cogitarunt itaq; homines fore, vt Tridentinum Concilium, ſi Pontificias illas indulgentias nõ prorſus damnare & abiicere vellet, earum tamen vel mentionem ſepeliret, vel approbationem ſuſpenderet, ſicut aſtutiores inter Pontificios Scriptores his temporibus facere cõſueuerunt. Sed ecce in vltima ſeſſione (ſicut iuxta Prouerbium, Diabolus ſolet relicto poſt ſe fœtore diſcedere) peculiare Decretum de indulgentiis retinendis & diſpenſandis fabricant. Vbi diſſimulare ſanè non audent abuſus, prauos quæſtus, corruptelas, ſuperſtitiones, &c. quorũ tamen omnium emendationem & correctionem ſummi Romani Pontificis voluntati ſubiiciunt & reſeruant. Ipſas verò indulgentias in Eccleſia retinendas præcipiunt, & docent, vſum earum populo Chriſtiano maximè ſalutaré, addunt etiam poteſtatem conferendi tales indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſam, antiquiſſimis etiam Eccleſiæ temporibus vſurpatã, & ſacrorum comitiorum autoritate probatam. Videndum itaque eſt, an hæc ita ſe habeant, & vera ſint. Vt autem eò commodius & rectius tota hæc de indulgentiis cõtrouerſia euolui & explicari poſſit, primò ponemus deſcriptionem indulgentiarũ Pontificiarum, quid ſcilicet ſub nomine indulgentiarũ in hac controuerſia intelligatur & comprehendatur, ita enim poſtea Hiſtoria de initiis & progreſſu harum nundinationum facilius colligi, Pontificiorũ argumenta rectius expẽdi, & veræ refutationes facilius opponi poterunt.

*De Vocabulis.*

Vſitata igitur in hac controuerſia & ſynonyma ſunt hæc vocabula: gratia, venia, relaxatio, remiſſio, & indulgentia. Ac notum eſt, quòd ſecundum Scripturę traditionem vocabula illa ſignificent remiſſionẽ peccatorum, quòd ſcilicet agentibus pœnitẽtiam fide gratis, propter Chriſtum, peccata non imputentur, ſed ita ſoluãtur, vt totum debitum remittatur, & debitor dimittatur, Rom. 3. & 4. Matth. 16. & 18. in hac etiam ſignificatione patres vocabulum Indulgentiæ accipiunt, & vſurpant. Vt, quãdo Ambroſius dicit: Nemo rectè egerit pœnitentiam, niſi à Deo per Chriſtum ſperauerit indulgentiam. Et quæ dicta Gratianus ex veteribus annotat: Indulgentia peccatorum fit per pœnitẽtiam. Item: Viſcera Domini aperta ſunt omni indulgentiam petenti. Et: Peccatori ad ſe conuertenti, Deus pręſtat indulgentiam.

*Definitio indulgentiarũ.*

*Franciſcus Maioranus.*

*Angelus.*

Pontificij verò non hanc Euangelicam remiſſionem peccatorum intelligunt, quando de indulgentiis ſuis dimicant, ſed eas ita definiunt. Franciſcus Maioranus dicit: Indulgentia eſt remiſſio peccatorum, quò ad illa, quæ poſt ſuſceptum pœnitentiæ Sacramentum remanent de peccatis. Angelus ita deſcribit: Indulgentia eſt quędam remiſſio pœnę debita pro peccato, poſt contritionem habitam de eo. Alij tradunt hanc definitionem: Indulgentia eſt pœnæ relaxatio, quam quis iuſtè pro culpis proprijs facere debuiſſet, de Theſauro Eccleſiæ, ad diuinam iuſtitiam perſoluendam, ſumpta.

*Summa commenti Pontificij de indulgentiis.*

*Pœna peccatorum.*

*Quid indulgentiæ remittant.*

*Quomodo redimantur indulgentiæ.*

*Theſaurus Eccleſiæ.*

*Claues Theſauri.*

Vt autem tota res planius intelligatur, commentum ita ſe habet. Fingunt in ſolutione, Deũ propter obedientian, & paſſionem Chriſti voce Euangelii tantùm culpam remittere, pœnam verò æternam culpis debitam, virtute clauium non plenè remitti: ſed commutari in pœnam temporalem, & hanc iuxta regulam iuſtitiæ diuinæ, Deut. 25. iuxta mẽſuram delicti erit & plagarum modus; maiorem eſſe, quàm vt à quoquã hominum in hac vita exolui poſſit. Sacerdotem igitur tanquam iudicem & arbitrum Eccleſiaſticum, in confeſſione taxare & imponere talem pœnarum modum, qui noſtræ infirmitati in hac vita proportionabilis & poſſibilis ſit, vt per tales pœnas Deo pro peccatis ſatisfaciamus. Iniunctas autem illas pœnas, ſi in hac vita non plenè exoluantur, luendas eſſe in purgatorio. Ac etiamſi canonica illa pœnitentia in hac vita plenè exoluatur, diuinam tamẽ iuſtitiam maiores pro peccatis pœnas exigere, quę in purgatorio luendæ ſint. Illas igitur pœnas, quas vel canones pœnitẽtiales, vel diuina iuſtitia pro peccatis exigit, dicunt per indulgentias, vel inſolidum, vel ex parte aliqua remitti, ſi certo & præſcripto modo redimantur, hoc eſt, ſi quis illud vel faciat, vel det, quod in forma indulgentiarum ponitur, Vt exempli gratia, ſi quis vrbis Romanæ Eccleſias, vel alias, certis temporibus largis oblationibus viſitarit, vel ſi quis manus adiutrices, largè contribuendo pecuniam, porrexerit, vel ad conſtructionem alicuius Baſilicæ, vel ad bellum contra infideles, &c. is tot vel dierum, vel annorum, vel plenariam habebit indulgentiam. Sæpius etiam dant indulgẽtias à culpa & à pœna. Illas autem indulgentias dicunt, non prorſus eſſe gratuitas, quia Deus nullũ peccatum dimittat impunitum, ſed ſolutionem illarum pœnarum quę pro peccatis debentur ſumi ex Theſauro Eccleſiæ, & per indulgentias applicari illis, qui eas vel pecunia, vel aliis operibus redimũt. Theſaurum verò Eccleſiæ hunc eſſe, quòd ſancti Dei in hac vita multò plura bona opera fecerint, quàm quę ipſis ad promerendam & conſequendã ſalutem neceſſaria fuerint, quæ vocant opera Supererogationis, plura etiam & grauiora ſint perpeſſi, quàm pro peccatis ſuis debuerint. Quæ igitur ſupererogarint, & ad ſalutem ſuam, ac pro peccatis ſuis nõ neceſſaria habuerint, illa tanquam in ciſtam quandam, admixtis etiam ſuperabundãtibus meritis paſſionis Chriſti, in theſaurum Eccleſiæ cõgeſta eſſe. Et eius theſauri claues tradita eſſe Romano Pontifici, vt is, vel per ſe, vel per ſuos delegatos, indulgentias indè, pro ſua authoritate & prudentia, licitantibus & redimẽtibus, diſpenſet & conferat.

*Quæ ſint capita huius cõtrouerſiæ.*

Hæc eſt ſumma commenti, quod in ſequentibus plenius explicabitur. Hoc loco verò ſummam eius breuiter recitare volui, vt, tãquam titulus controuerſiæ, ſemper in conſpectu ſit, ac ſemper cogitetur, quæ capita comprehendantur, & de quibus corruptelis certamen ſit, quando de indulgẽtiis dimicatur. Poſito autem hoc, quaſi ſtatu controuerſię, ordine iam oſtendemus, tales indulgentias nec in Scriptura traditas, nec in veteri Eccleſia vſurpatas, ſed recens eſſe commentum. Poſteà oſtendemus, vnde & quando, & quomodo initiũ ſumpſerint, & quales fecerint progreſſus, donec tandem ad ſummum impietatis & impudentiæ gradum euaſerunt.

## CAPVT II.

*QVOD ROMANAE ILLAE INDVLgentiæ nullum in ſacra Scriptura, vel fundamentum, vel teſtimonium habeant, imò quòd contra verbum Dei in ſummis ac præcipuis fidei articulis pugnent.*

*Scopus totius doctrinæ Chriſtianæ & Scripturæ.*

SVmma quidem, & quaſi ſcopus totius Scripturæ eſt, remiſſio peccatorum. De Prophetica enim veteris Teſtamenti ſcriptura Petrus inquit, Act. 10. Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. De Baptiſtæ etiam miniſterio ſcriptum eſt, Luc. 2. ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, quæ eſt in remiſſionem peccatorum eorum. Et Apoſtolorum miniſterium Chriſtus affirmat conſiſtere in prædicatione pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, ſiue in remittendis & retinendis peccatis, Luc. 24. Ioan. 20. Illam verò peccatorum remiſſionem Scriptura non definit pontificiis Romanenſium indulgentiarũ nundinationibus: ſed docet, cùm nos propter peccata eſſemus debitores Dei, iuxta legem obnoxij iudicio ipſius culpa & pœna ad cõdemnationem iuxta dictum, Rom. 2. Ira & indignatio, tribulatio & anguſtia, & in hac, & in futura vita: Chriſtum mediatorem noſtro loco factum ſub lege, ſuſcepiſſe in ſe omnia peccata noſtra, & plagas ſeu pœnas omnes, peccatis noſtris debitas, in ſe deriuaſſe. Eſa. 53. & præſtita ſeu exoluta ſatisfactione pleniſſima non ſolùm perfectiſſima obedientia pro culpis noſtris, verumetiam acerbiſſima paſſione ac morte, pro omnibus pœnis, peccatis noſtris debitis, acquiſiuiſſe iuſtitiam æternam, Dan. 9. Illam verò propitiationẽ Deum Patrem proponere per fidem, interueniente ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem peccatorum, Rom. 3. Dedit enim nobis miniſterium recõciliationis. 2. Cor. 3. Vt verbo & Sacramentis beneficium illud Chriſti gratis offeratur, & ſine operibus in pœnitentia non ſimulata vera fide applicetur credentibus, Roman. 4. Quando verò gratuita illa promiſſio Euangelij fide apprehenditur, accipitur & applicatur, tũc Scriptura pronunciat: Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittũtur eis, Ioa. 20. Et quicquid ſolueritis ſuper terram, ſolutum erit in cœlis, Matth. 16. & 18. Item, Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum, Rom. 5. Qui credit, non iudicatur, imò non veniet in iudicium, ſed habet vitam æternam, & à morte tranſiuit in vitam, Ioan. 3. & 5.

*Quomodo peccatorum remiſſionẽ Scriptura definiat.*

*Scriptura ignorat fundamenta indulgentiarũ.*

Nihil autem prorſus Scriptura dicit, quòd noſtris vel operibus, vel paſſionibus Deo pro parte aliqua peccatorũ noſtrorum, vel debeamus, vel poſſimus ſatisfacere. Non dicit, quòd Sacerdos in abſolutione ſoluens & remittens peccata, debeat imponere pœnas, tãquam vindictam & ſatisfactionem pro peccatis. Nihil dicit de pœnis purgatorij, nihil habet de theſauro ſupererogationũ, nihil tradit de claue ſoli Romano Põtifici tradita. Omnibus enim in genere, quib. datum eſt miniſteriũ reconciliationis, dictũ eſt, Quicquid ſolueritis, Matth. 18. quorumcunq; remiſeritis, Ioan. 20. nihil ſomniat de Bullis indulgentiarum, vt qui tantum dederit, habeat remiſſionem tot vel dierum vel annorum. Hæc adeò ſunt manifeſta, vt ipſi Pontificij diſſimulare hoc non poſſint. Durandus enim de ſancto Portiano qui ſcripſit circa annum Domini 300. lib. 4. diſt. 20. Quæſt. 3. dicit: De indulgentiis pauca dici poſſunt per certitudinem, quia Scriptura expreſsè de illis non loquitur. Quod enim dictum eſt Petro, Matt. 16. Tibi dabo claues, &c. intelligitur de poteſtate, ei data in foro pœnitentię. De collatione autem indulgentiarum, non eſt clarum, quomodo debeat intelligi. Ideò loquendo de indulgentiis, ſequendus eſt modus communis. Antoninus etiam prima parte ſummæ, Tit. 10. capit. 3. ſcribit: De indulgentiis nil expreſsè habemus ex ſacra Scriptura, quamuis ad hoc inducatur illud Apoſtoli, 2. Cor. 2. Si quid donaui vobis, propter vos in perſona Chriſti. Idem fatetur Roffenſis, & alij pleriq; Papiſtici ſcriptores. Et Syluester Prieras, Magiſter Palatij Leonis Decimi, qui primus cõtra Lutherum pro indulgentiis ſcripſit, expreſsè ponit hanc propoſitionem: indulgentiæ authoritate Scripturæ nõ innotuere nobis, ſed authoritate Eccleſiæ Romanæ, & Romanorum Pontificum, quæ maior eſt authoritas. Addit autem & hanc propoſitionẽ: Quicunq; non innititur doctrinæ Romanæ Eccleſiæ, ac Romani Pontificis, tanquam regulæ Dei infallibili, à qua etiam ſacra Scriptura robur trahit & authoritatem, hæreticus eſt, &c.

*Pontificij fatentur indulgentias non tradi in Scriptura.*

*Durandus.*

*Antoninus.*

*Roffenſis. Syluester Prieras.*

*Indulgentiæ cur non recipienda.*

Hæc autem cùm manifeſtè & certò ita ſe habeant, ipſe Lector iam ſecum cõſideret, quid ſit, pro articulo fidei Eccleſię obtrudere, & cõſcientiis indè laqueũ nectere, vel vana falſaq; eas ſpe lactare, de quo (ſicut manifeſtum eſt, & ipſi Põtificij fateri coguntur) nulla extant in Scriptura vel teſtimonia, vel fundamenta. Eccleſia verò illam ſuam libertatem, in quam filius Dei ab omnibus humanis traditionibus eam vindicauit, meritò ac neceſſario, pręcipuè in articulo remiſſionis peccatorum, retinet & vſurpat, Gala. 5. In libertate, qua Chriſtus nos liberauit, ſtate, & ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini. Coloſſ. 2. Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decretis oneramini, ſecundum præcepta & doctrinas hominum, quę ſpeciem habent ſapientię per ſuperſtitionem. Matth. 15. Fruſtrà colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Quia enim mandatum Chriſti eſt, Matth. 28. Docentes eos ſeruare, quæ ego præcepi vobis, ideò rectè vſurpamus illud, Deut. 12. Non faciatis ſinguli, quod vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio vobis, hoc tãtùm facias Domino Deo tuo, non addas aliquid, nec detrahas. Tota igitur indulgentiarum nundinatio, cùm fateãtur, ſe eam ex Scriptura non habere, vnica illa ſẽtẽtia Auguſtini contra Petiliani literas, lib. 3. cap. 6. profligari poteſt. Si quis, inquit, de quacunque re, quæ pertinet ad fidem, vitamque noſtram, ſi vel Angelus è cœlo vobis annunciauerit, præterquàm quod in Scripturis Legalibus & Euangelicis accepiſtis, anathema ſit.

Nec verò ſine Scripturæ tantùm teſtimoniis & fundamentis merces iſtæ indulgentiarum Romanenſium venales exponuntur, ſed doctrinæ, praxis, & vſus earum præcipuos & ſummos fidei noſtræ articulos inſidioſè conuellit, turpiter con-

*Indulgentiarũ nũdinatio præcipuos doctrinæ Chriſtianæ articulos euertit.*

*Quibus capitibus cœleſtis doctrinæ indulgentiæ repugnent.*

conſpurcat, & funditus euertit, id quod nõ Rhetoricis declamationibus exaggerabo, ſed nuda tantùm indicatione ſimpliciter per capita ſpectandum & conſiderandum proponam, quemadmodum indulgentiæ pugnent: I. Contra meritum & ſatisfactionem Chriſti. II. Contra gratuitam & plenariam remiſſionẽ Dei. III. Contra claues regni cœlorum. IIII. Contra fidem. V. Contra doctrinam de bonis operibus. Poſtremò quòd talis nundinatio in Scriptura iamdudum damnata ſit.

*Contra meritum Chriſti.*

Commentum enim illud de indulgentiis Romanenſibus, primò cõtra doctrinam Euangelij, de merito obedientiæ & paſſionis Chriſti tradit: Quòd Chriſtus Mediator, culpam quidem noſtram omnem, ſed nõ totam pœnam peccatorum noſtrorum in ſe ſuſceperit, cum Scriptura affirmet, ipſum percuſſum fuiſſe à Deo propter peccata noſtra, Eſaiæ 53. Et factum eſſe maledictum pro nobis, Galat. 3. Et maledictio certè complectitur omnes peccati pœnas, & æternas & temporales. Deut. 28. Fingit etiam opinio iſta, Chriſtum, obedientia, paſſione, & morte ſua, non pro vniuerſa pœna, peccatis noſtris debita, ſatisfeciſſe Patri, ſed tantùm promeruiſſe credentibus commutationem pœnæ æternæ in temporariam, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam, vt reſiduam illam pœnam credentes ipſi vel ſuis, vel aliorum ſatisfactionibus redimant, vel ſuppliciis ſuis exoluant, vel Pontificiis indulgentiis relaxent. Atq; ita noſtra, vel Sanctorũ ſatisfactio aſſuenda ſit ſatisfactioni Chriſti, tanquam ſemiplenæ, vt aſſumento humanarum ſatisfactionum perficiatur. Et noſtræ etiam, vel Sanctorum redemptiones, Chriſti redemptionem vt gradibus quibuſdam deficientem, abſoluant & perficiãt. Imò quæſtores indulgentiarii ſæpius non omnem culpæ remiſſionem ſolius Chriſti merito & ſatisfactioni tribuunt, ſed indulgentias vendunt, & à culpa & à pœna.

*Contra remiſſionem peccatorum, gratuitam & plenariam.*

Secundò, gratuita miſericordia Dei, conferentis propter Chriſtum, per promiſſionem Euangelii, plenariam remiſſionem peccatorum, in dulciſſimis illis dictis deſcribitur, Ioh. 3. & 5. Non iudicatur, non venit in iudicium. Ezech. 18. Peccatorum eius non recordabor amplius. Mich. 7. Omnia peccata noſtra proiecit in fundum maris. Pſalm. 103. Quantùm diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras. Iere. 18. Si egerit pœnitentiam, pœnitebit me mali, quod ei facere conſtitueram. Eſa. 53. Illi plaga, vt nos pacem haberemus. Rom. 5. Iuſtificati fide pacem habemus ad Deum. Commentum verò indulgentiarum fingit remiſſionem Dei eſſe ſemiplenam aut dimidiatam, quæ debitum quidem remittat, ſed debitorem nihilominus ad ſolutionem, ſiue ad pœnas obſtrictum detineat, atq; ita remittat quidem debitum, ſed nõ ex animo, ſicut ſeruus ille nequam, Matt. 18. Sed Scriptura expreſsè docet, miſericordiam ſimul & debitum remittere, & debitorem dimittere, Matt. 18. Paulus etiam dicit: Condonate vobis mutuò, ſicut & Chriſtus condonauit vobis. Item quotidie oramus: Dimitte nobis debita, ſicut & nos dimittimus. Certum autem & manifeſtum eſt, ſi quis priuatus ita dimitteret offenſam proximo, vt nihilominus vindictam aliquam expetere, & ſupplicium aliquod de ipſo ſumere vellet, talem, vt non ex corde remittentem peccata, grauiter à Chriſto reprehẽdi. Qua fide igitur talem remiſſionem ipſi Deo tribueremus? Certè ſi culpam, hoc eſt, debitum omne remiſit, non habet cauſam exquirendi pœnas.

*Contra doctrinam de clauibus regni cœlorum.*

Tertiò, claues Regni cœlorum opinione iſta de indulgentiis fœdè & perniciosè adulterantur & peruertuntur. Vbi enim Chriſtus dicit: Quicquid ſolueritis, erit ſolutum, quorum remiſeritis peccata, erunt remiſſa. Ibi Romanenſes indulgentiæ contradicunt: Quicquid Chriſti claues ſoluunt, hoc Pontifex Romanus ſuis pœnis retinet, & ligatum mittit ad pœnas, vel in hac vita, vel in purgatorio exoluendas. Et, earum indulgentiam non gratis à Chriſto per fidem in abſolutione quærendam, ſed precio à Romano Pontifice eſſe redimẽdam, docent.

*Contra doctrinam de fide.*

Quarto, indulgẽtiæ Romanenſes dicunt falſum teſtimonium contra fidem, quæ ſola eſt organum illud, diuinitus inſtitutum, quo remiſſio peccatorum, merito Chriſti parta, applicatur, apprehenditur & accipitur. Fingunt enim, indulgentias illas nõ gratis fide accipi, ſed qui tantùm dederit, ille licitando coemit ſibi tot, vel dierum vel annorum indulgentiam. Cumq; Scriptura etiam opera Legis, hoc eſt, quæ Deus ipſe mandauit, ab articulo iuſtificationis ſeu remiſſionis peccatorum excludat, Roma. 3. & 4. & 11. Epheſ. 2. Romanenſes indulgentiæ commentitiis operibus hoc tribuunt. Si quis ſuſcepta peregrinatione, hanc vel illam Eccleſiam viſitarit, is tot annorum indulgentiam conſequetur.

*Contra doctrinam de bonis operibus.*

Quintò, operibus & afflictionibus Sanctorum, Pontificiæ indulgentiæ affingunt opinionem, quam, quia Phariſaica eſt, & cõtra Scripturam pugnat, ipſi ſancti in vera ſua humilitate nunquã agnoſcere voluerunt. Chriſtus enim dicit, Luc. 17. Cùm omnia feceritis, dicite: Serui inutiles ſumus, quia quod debuimus, fecimus. Inde Eſaias dicit cap. 64. Facti ſumus velut immundum omnes nos, & quaſi pannus menſtruatus vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Et Dauid Pſa. 143. Si intraueris in iudicium cum ſeruo tuo, non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Pſal. 130. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſubſiſtet? Pſal. 32. Pro iniquitate orabit ad te omnis Sanctus. Omnium enim Sanctorum, ſub hoc corruptibilis carnis onere gementium, oratio eſt: Dimitte nobis debita noſtra, Matt. 6. Et 1. Ioh. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, nosipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus. Rom. 7. Volenti facere bonum, malum adiacet. Ideò Iob inquit, cap. 9. Verebar omnia opera mea. Et Paulus Rom. 8. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Hinc electi, Matth. 25. in Iudicio opera ſua nolunt agnoſcere. Et Apoc. 4. Coronas ſuas modeſtè & humiliter ante thronum deponunt. Indulgentiæ verò Pontificiæ fingunt, opera & afflictiones Sanctorum eſſe ſupererogationes, quæ in precium ad ſoluendum reatum peccati, ſicut Bonauentura loquitur, alii communicari, & data pecunia diuendi poſſunt, cùm prudentes virgines, Matth. 25. fateantur, ſe de oleo ſuo non poſſe dare aliis, ne vtrisq; deſit.

*Bonauentura.*

*Spiritus ſanctus in Scriptura indulgentias damnauit.*

Poſtremò ſcriptura nundinationes illas indulgentiarum prophetico Spiritu, quaſi intento digito, antè & notauit & damnauit. Nam 2. Pet. 2. vbi de falſis Doctoribus agit, qui introducturi ſunt ſectas perditio-

nis, & abnegaturi Dominum, quiipſos mercatus eſt, inquit, ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται, per auaritiã fictis verbis de vobis negotiabuntur. Item libertatem aliis pollicentur, cùm ipſi ſint ſerui corruptionis. Et Actor. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniis parari. Et hoc eſt ipſiſſimum iudicium Spiritus ſancti, de indulgentiis pontificiis.

Et hæc capita quomodo indulgentiæ Romanenſium, contra ſummos ac præcipuos fidei noſtræ articulos pugnent, ideò in frontiſpicio huius tractationis, tanquam in tabella ſeu σωόψει, ſpectanda & expendenda propoſui, vt Lector moneatur, non de lana (quod dicitur) caprina contentionem eſſe, quando de Pontificiis indulgentiis diſputatur, ſed hoc agi, vt Doctrina de præcipuis, neceſſariis, & ſummis illis fidei noſtræ articulis, complectentibus iuſtificationem & ſalutem noſtram, pura, ſincera, integra, & ſalua à Pontificiis iſtis contaminationibus & deprauationibus Dei beneficio conſeruari poſſit. Ex hac etiam conſideratione intelligi poteſt, qua ratione factum ſit, quòd certamẽ Lutheri, quod contra effrænem quæſtorum Romanenſium impudentiam, de indulgentiis, primùm mouit, occaſionem dederit repurgationi doctrinæ de merito Chriſti, de gratuita gratia Dei, de remiſſione peccatorum, de pœnitentia, de abſolutione, de clauibus regni cœlorũ, de fide, de operibus, &c. Et ex hac breui commonefactiũcula, cuius veritas adeò manifeſta eſt, vt vel cæcutientium oculos perſtringat, Lector iudicare poteſt, non veritatis, ſed erroris & ſeductionis ſpiritum eſſe, qui in Tridentino decreto fingit, poteſtatem conferendi tales indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſam eſſe, cùm nulla ſyllaba ex Scripturis hoc probari poſſit, imò cùm tota illa indulgẽtiarum cauponatio præcipuis doctrinæ cœleſtis capitibus aduerſa quaſi fronte repugnet.

*Quid Lutherum impulerit indulgentiarum nundinationi ſe opponere.*

## CAPVT III.

### *QVA FRAVDE DICTA QVAEDAM SCRIPTVRAE Pontificij ad nundinationes iſtas indulgentiarum detorquere conentur.*

Oſtendemus Sententiarios olim, & recentiores etiam pontificios Scriptores, in principio certaminis de indulgentiis, ante annos 50. liberè confeſſos eſſe, doctrinam de Põtificiis indulgentiis non poſſe ex certo aliquo Scripturæ fundamento expreſsè & perſpicuè probari. Et licet quidam conati fuerint, ſpeciem aliquam probationis prætendere ex dictis illis Scripturæ: Tibi dabo claues, Matth. 16. Item: Si quid donaui, &c. 2. Cor. 2. Alij tamen Scholaſtici Scriptores dicunt, tutius eſſe dicere: Ideò valere indulgentias, quia Eccleſia illas diſpenſet & probet, & Eccleſia errare non poſſit. Dicunt autem, Romanum Pontificem eſſe Eccleſiam virtualiter: & de illo ſcriptum eſſe, Luc. 22. Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Sed conductitij Rhetores, qui his temporibus Pontificiis indulgentiis patrocinari conantur, animaduertunt, teſtimonium propriæ turpitudinis illam confeſſionem eſſe, quòd ſine documentis & firmamentis ſacræ Scripturæ indulgentiæ inuectæ & receptæ ſint, Ideò, vt rudibus ſpecie aliqua oculos perſtringant, quaſi non prorſus Scripturæ autoritate deſtituantur Pontificiæ indulgentiæ, aliquot dicta Scripturæ huc pertrahere conãtur, de quibus pauca quædam dicemus, vt planum fiat, dicta illa Scripturæ nihil minus, quàm Pontificias indulgentias probare, imò iſtis fortiter reclamare. Vtq; videat Lector, quàm timidè & ſuſpenſo gradu progrediantur Pontificij, quando argumentando, iuxta Tridentinum Decretum fingere volunt, poteſtatẽ conferendi indulgentias Eccleſiæ à Chriſto in Scripturis conceſſam: addam quod Roffenſis ſcribit, cùm videret ſibi obſtare, ſi dicantur indulgentiæ in ſacra Scriptura traditæ & fundatæ, quomodo Apoſtolica, primitiua, & vetus Eccleſia, cuius in tractatione Scripturarum multò maior fuit diligentia & religio, indulgentias illas in Scriptura non viderit aut animaduerterit. Reſpondet autẽ, poſterioribus ingeniis multa nunc eſſe excuſſa luculẽtius, & intellecta perſpicacius, quàm fuerant olim. Nimirũ, aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neq; ſufficiebat illorum ætas, totum illud Scripturarum pelagus, ad amuſſim expendere, aut quia ſemper in ampliſſimo Scripturarum campo poſt meſſores, quantumuis exquiſitiſſimos, ſpicas adhuc intactas licebit colligere. Multa, enim, inquit, ſunt, de quibus in primitiua Eccleſia nulla quæſtio facta fuerat, quæ tamen poſteriorum diligentia, ſubortis dubitationibus, iam euaſerunt perſpicua, vt purgatorium & indulgentiæ. Cumq; multa Scripturæ dicta cumulaſſet, tandem inquit, ſed iis omnibus Lutheri pertinacia non permouebitur. Hæc Roffenſis. Et Iacobus Angularis Decanus, diſputans contra VVeſſelum, de indulgentiis, inquit: Non intendo te rationibus oppugnare, quæ enim ſpes mihi eſſe poſſet, durum illud atque inexpugnabile tuum caput rationibus expugnare, quod nec malleo communis credulitatis omnium valet emolliri. Sed pro magna tibi ratione, imò magis quàm pro ratione debet eſſe, nedum Papæ, ſed & omnium, tàm Prælatorum quàm Doctorum authoritas, qui omnes indulgentias aut largiuntur, aut largiendas eſſe ſcribunt, &c. Sed ordine recitabimus præcipuas ſententias, quas ex Scriptura ad ſuas indulgentias detorquere conantur Pontificij. Et breues quãtum opus erit, addemus explicationes.

*Quomodo an te 50. annos indulgentias defenderint Pontificij.*

*Quomodo nũc ex Scriptura eas probare conentur.*

*Roffenſis de indulgentiis, quomodo veteri Eccleſiæ ignota.*

*Iacobus Angularis quòd indulgentiæ irrationales.*

### PRIMVM ARGVMENTVM.

Pleriq; omnes finxerunt, poteſtatem conferendi indulgentias Romano Pontifici à Chriſto conceſſam, quando Petro dicit, Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Sed ipſi Sententiarij huic fundamento non multum fidunt, ſicut ex Durando paulò antè oſtendimus, & res manifeſta eſt. Illa enim Chriſti ſententia prorſus nihil habet de illis, quibus pontificias indulgentias definiri ſuprà diximus, ſed ſoluere & ligare peccata, Matth. 16. eſt ea vel remittere vel retinere, Iohan. 20. quod fit prædicatione pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, ſiue publicè ſiue priuatim, Lucæ 24. Et fit ab illis, quibus

*An Matt. 16. fundatæ indulgentiæ.*

*Refutatio.*

Deus

Deus commendauit miniſterium reconciliationis poſito in ipſis verbo reconciliationis, 2. Cor. 5. Atque illa clauis miniſterij ſoluens peccata, exercetur in foro pœnitentiæ & abſolutionis, vt cũ Scholaſticis loquar. Sed Põtificij ipſi ſuas indulgentias à foro pœnitentiæ & abſolutionis, ſicut loquuntur, longè lateq; diſiungũt. Præterea ſoluere & ligare ita opponuntur, vt quod ſolutum eſt, non ſit amplius ligatum. Pontifex verò contra fingit, quod in abſolutione ſolutum eſt ſuper terram, illud in foro Pontificio manere ex parte ligatum, & ſoluendum eſſe non claue miniſterij, ſed Pontificiis indulgentiarum nundinationibus. Item, miniſterium reconciliationis ita ſoluit peccata, vt pœnitentibus & credentibus annunciet condonata omnia delicta, Coloſ. 2. Peccata non amplius imputari, Rom. 4. & 5. & per Chriſtum redemptos ipſos eſſe à maledictione Legis, Galat. 3. quæ & æterna, temporalis eſt, Deut. 28. Pontificiæ verò indulgentiæ fingunt, peccata etiam poſt remiſſionem imputari, & Chriſtum credentes non à tota maledictione Legis redemiſſe, ſed partem eius ex Pontificio theſauro redimendam eſſe. Manifeſtum itaque eſt, Pontificias indulgentias prorſus ex diametro pugnare contra ſententiam illam Chriſti, de claue Abſolutionis, tantùm abeſt, vt illa ſententia probentur aut ſtabiliantur.

*Quomodo cõmẽtum de indulgentiis huic dicto Chriſti repugnet.*

Quòd verò excipiunt, ſoli Petro peculiare priuilegium ſoluendi peccata, ſupra & præter reliquos Apoſtolos, hoc eſt, præter communem Abſolutionem, in illa ſententia à Chriſto datum eſſe, Quia inquit: Tibi dabo claues, &c. rectè & ſolidè ex collatione locorum Scripturæ explicatur. Quas enim claues Chriſtus Matth. 16. promittit, illas præbet & exhibet, quando poſt reſurrectionem dat & confert poteſtatem remittendi & retinendi peccata, Ioan. 20. Sed illam poteſtatem confert non vni aut ſoli Petro, ſed omnibus in commune Apoſtolis, Ioan. 20. Et ante illam collationem dicit Chriſtus: Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos. Chriſtus verò, quando tempore miniſterij ſui remiſit peccata, debitum remiſit, & debitorem liberum dimiſit, Matth. 18. Hæc enim ſunt verba Abſolutionis eius: Confide, remittuntur tibi peccata. Vade in pace, & noli amplius peccare, Matt. 9. Luc. 7. Ioan. 5. Imò cùm adulteræ, Ioan. 8. non eſſet ciuilis pœna impoſita, nec ipſe ei, poſt remiſſionem ſeu ſolutionem peccatorum, pœnam aliquam imponere voluit. Inquit enim: Nec ego te condemnabo, vade, & noli amplius peccare. Quòd autem Chriſtus tales vnquam vel docuerit vel dederit indulgentias, ſicut ex Pontificiorum placitis ſuprà deſcripſimus, nulla oratione, nulla dictione, nulla ſyllaba, nulla litera ex Scriptura probari poteſt. Et ſicut me miſit Pater, ità & ego mitto vos, inquit Chriſtus. Eadem ratio etiam eſt de Petro, cui traditæ fuerunt claues regni cælorum. Quomodo enim illas vſurparint, ex Scriptura conſtat. De indulgentiis verò ipſius nihil. Imò Simoni Mago Petrus reſpondit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum DEI exiſtimaſti pecuniis comparari. Et quod Matth. 16. Chriſtus Petro dicit, hoc iiſdẽ verbis, cap. 18. expreſſè Eccleſiæ dicit: Quicquid ſolueritis, quicquid ligaueritis, &c. Eccleſia verò, imò ipſius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, claues illas ab initio & habuerunt, & vſurparunt, & tamen per annos mille & amplius indulgentias iſtas ignorarunt.

*Exceptio Põtificiorum de peculiari priuilegio Petri.*

*Indulgentiæ mille aut amplius poſt Chriſtum annis in Eccleſia ignotæ fuerunt.*

Ligare enim ſeu retinere peccata, non eſt pœnitentiam agentibus & credentibus, poſt abſolutionem ſeu remiſſionem peccatorum, partem aliquam ligatam reſeruare, vel ad proprias ſatisfactiones, vel ad redemptiones per Pontificias indulgentias, ſed impœnitentibus & incredulis peccata ſunt liganda, denunciata ipſis hac DEI ſententia, quòd peccata ipſorum maneant, Ioannis 9. & ira Dei maneat ſuper ipſis, Ioannis 5. quodq; perituri ſint, niſi pœnitentiam egerint. Quòd verò indocti quidam aſini dicunt: Reliquis Apoſtolis datam eſſe poteſtatem remittendi peccata: Petro autẽ ſoluendi, falſum eſt. Nam Matth. 18. Eccleſię dicit: Quicquid ſolueritis, &c. Quod verò interpretantur talem ſolutionem, quæ fit numerato precio, eiuſdem elegantiæ eſt, cuius illud, quod de Aſina Hieroſolymitana poſtillator quidam ſcribit: Soluite, id eſt, numerate pecuniam pro ea, & tunc adducite.

*Elegans & ſcitum.*

## SECVNDVM ARGVMENTVM ex Scriptura.

ANtoninus refert, olim pro indulgentiis confirmandis à quibuſdam inductum fuiſſe locum, 2. Corin. 2. Nã & ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti. Et Lindanus nunc illam ſententiam Pauli, tãquam Triumpho circumdúcit, perſuaſurus hominibus, Paulum authorem eſſe indulgentiarum Pontificiarum. Fingit enim Corinthio illi, qui inceſtum commiſerat, poſt acceptam culpæ remiſſionem & abſolutionem, impoſitas fuiſſe à Paulo multorum annorum rigidiſſimas pœnas ſeu afflictiones, quibus ſe excruciaret, vt pro inceſtu ſuo ita Deo ſatisfaceret. Cùm verò illarum pœnarum partem aliquam iam exoluiſſet, ac nimis aſpera ſe tantùm non excruciaret pœnitentia: Paulum ad commiſerationem commotum (non aliter, quàm ſicut nunc Romanus Pontifex facit) reſiduam pœnarum partem, quæ adhuc ipſi ad plenam pro inceſtu ſatisfactionem luenda fuiſſet, remiſiſſe ac relaxaſſe, hoc eſt, indulgentias ipſi conceſſiſſe, idq; non gratis, ſed propter Corinthiorum interceſſiones, hoc eſt, Paulum ex operibus & meritis ſupererogationis Corinthiorum ſumpſiſſe precium, ad perſoluendum inceſti illius reſiduum debitum (ſicut Bonauentura de indulgentiis loquitur) & forſan per Bullam aliquam indulgentiæ diſpenſaſſe excommunicato illi Corinthiaco. Quòd ita factum oportuit (ſi indulgentias Pontificias locus ille probare debet) quòd Corinthius ille data certa aliqua ſumma pecuniæ, ſeu ſuſcepta aliqua peregrinatione ad loca ſancta, indulgentias illas à Paulo redemerit. Quæ omnia ſi ex Pauli illo loco liquido oſtendi poſſunt, non infeliciter ſanè, pro ſtabiliendis Romanenſium indulgentiis, adducitur.

*Locus 2. Cor. 2.*

*Lindani impudentia & figmẽtum de loco 2. Cor. 2.*

Sed conſideratis pauliſper circumſtantiis manifeſtum euadet, Paulum nihil horum vel ſenſiſſe, vel feciſſe, & illum ipſum locum Pauli Pontificias indulgentias fortiter oppugnare. Quia verò, qualis fuerit diſciplina Eccleſiaſtica tempore Apoſtolorum, locus ille pulchrè oſtendit, ſingulas circumſtantias diligentius expẽdemus. Quidam igitur apud Corinthios, cũ nouerca ſua in-

*Refutatio ſophiſmatis Põtificij ex deprauatione loci 2. Cor. 2.*

*Summa & ſtatus cauſæ, de qua agitur 2. Cor. 2.*

ceſtum commiſerat, de quo peccato nec ipſe lugebat, nec Eccleſia Corinthiaca dolebat, tolerabant enim ipſum, licet non ageret pœnitentiam, in ſua communione, tãquam verum membrum Eccleſiæ. Hoc Paulus acriter reprehendit incuſans non tantùm ipſum, ſed oſtendens, ipſam etiam Eccleſiam hoc modo communicare peccatis alienis. Et docet, ſicut gaudium eſt coram Angelis in cœlo ſuper vno peccatore agente pœnitentiam, ita, quando talia flagitia in Eccleſia committuntur, & rei non agunt pœnitentiam, tunc debere Eccleſiam, & præcipuè miniſtros verbi, ſe coram Deo humiliare & lugere illa ſcãdala, ne participes fiant alienorum peccatorum. Digni enim morte ſunt, non tantùm qui faciunt, verumetiam qui συνευδοκοῦσι, qui comprobant vel certè non improbant talia, ſicut Ezech. 9. ſcriptum eſt, qui non gemunt, & dolent ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Ideò Paulus dicit 1. Corinth. 5. Vos inflati eſtis, & non potius luxiſtis. Et 2. Corinth. 12. Metuo ne fortè cõtentiones, æmulationes, iræ, concertationes, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones, inter vos ſint, ne iterũ cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeã multos ex iis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immundicia, & fornicatione, & impudicitia, quam patrarunt. Vt igitur Eccleſia oſtenderet, ſe talia non comprobare, nec illis delectari: ſed gemitum, dolorem ac luctum ſuum ipſo facto declararet, dicit Paulus, eum qui facinus hoc perpetrauerit, de medio Eccleſię tollendum, primùm ideò, vt coram Deo & hominibus oſtenderent, ſe non eſſe συνευδοκοῦντες. Secundò, ne modicum fermenti totam Eccleſiæ maſſam corrumperet, ſed vt cæteri timorem haberent. Ideò talia hoc modo coram omnibus vult argui, 1. Tim. 5. Tertiò, cor ſecurũ & impœnitens hoc modo ad veram peccati agnitionem & deteſtationem, ad ſeriam offenſæ & irę diuinæ conſiderationem, atque ita ad veram pœnitentiam adduceretur, vt ardenti fide ex animo peteret & quæreret remiſſionem & reconciliationem. Et ſicut tunc reliquæ doctrinę cœleſtis partes miraculis confirmabantur, ita Deus etiam Apoſtolorum tempore miraculis oſtendebat, talem diſciplinam ſibi probari. Excommunicati enim in corpore affligebantur à Satana, vt carne afflicti pœnitentiam agerent. Hoc enim Paulus vocat Satanæ tradere ad interitum carnis, vt Spiritus ſaluus fiat, 1. Cor. 5. & 1. Tim. 1. Quos tradidi Satanæ, hoc eſt denunciaui ipſis, quòd non ſint Chriſti, ſed Satanæ membra, vt diſcant non blaſphemare. Eccleſia verò, ſicut Paulus oſtendit, 2. Cor. 7. in tali excommunicatione magno ſtudio oſtendebat ἀπολογίαν, hoc eſt purgationem ſeu excuſationem, quòd puri & incontaminati eſſent, quoad commiſſum illud flagitium, oſtẽdebat φόβον, ſe timere Deum, ne rea fieret participatione peccati alieni, oſtendebat magno zelo ἀγανάκτησιν, ſe non tantùm gemere & dolere de admiſſo flagitio, ſed iuſta indignatione ſe illud publicè deteſtari, oſtendebat ἐκδίκησιν, ſe nõ impunita relinquere talia, ſed externa mulcta notare in impœnitẽtibus, oſtendebat ἐπιπάθησιν, ſe nihil aliud quęrere, & deſiderare, quàm vt lapſus reſipiſceret, & Deo reconciliaretur. Finem enim hunc debere eſſe, Paulus oſtendit, vt & lapſi, & qui alienis peccatis communicarunt, cõtriſtentur ſecundum Deum, & dolor ſecundum Deum pariat pœnitentiam ad ſalutẽ non pœnitendam, 2. Cor. 7. Et quia hic finis eſt diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vt fratres lucretur ad pœnitentiam, ideò Chriſtus inſtituit talem proceſſum, Matth. 18. vt vel priuatim, vel in præſentia teſtium, vel in facie Eccleſiæ, 1. Tim. 5. lapſi arguantur. Et ſi correptionem acceperunt ad reſipiſcentiam, Chriſtus non vult aliquid aliud imponi, ſed dicit: Lucratus es fratrem tuum. Atq; ita 2. Tim. 2. Paulus dicit: Seruum Domini oportet placidum eſſe erga omnes, paratum ad docendum, tolerãtem malos, cum manſuetudine corripientem eos, qui obſiſtunt veritati, ſi quando det ipſis Deus pœnitentiam, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem. Si verò tales correptiones lapſi non audierunt, dic, inquit, Eccleſiæ, quæ & publicè & publico nomine tales lapſos grauiter & acriter increpabat, reprehendebat, corripiebat, redarguebat, & excõmunicabat. Hoc enim Paulus vocat ἐπιτιμίαν ὑπὸ τῶν πλειόνων. Quando verò poſtea ipſo facto animaduertebant, tales excommunicatos ſecundum Deum cõtriſtatos, peccati magnitudinem agnoſcere, iram Dei expaueſcere, ac ſeriò petere remiſſionem & reconciliationem cum Deo & cum Eccleſia, vt rurſus in Eccleſiæ communionem reciperentur. Tunc Eccleſia, videns ſe finẽ, quem diſciplina ſua quæſierat, aſſecutam, talem adhibebat moderationem, ne is, qui iam ſecundum Deum contriſtatus erat, nimia ſeueritate, vel in deſperationem, vel in dedolentiam, aut in ſenſum reprobum coniiceretur, hoc eſt, ſicut Paulus loquitur, ne immodica triſtitia abſorberetur, vel à Satana circumueniretur, 2. Corint. 2. Quia enim finis diſciplinæ Eccleſiaſticæ hic eſt, vt cor durum & impœnitẽs exaggeratione peccati & iræ diuinæ teneatur, vt in ſeria peccati agnitione, diſplicentia, deteſtatione, & reatus confeſſione, vera ac ardenti fide petat à Deo remiſſionem: Seueritas igitur ibi adhibenda eſt, vbi cor ſecurum, impœnitens, & durum eſt, & ideò adhibenda eſt, vt humilietur & conteratur ad pœnitentiam, ne impœnitentia & ſecuritas foueatur & augeatur, vel, ne audacia & petulantia peccandi, lenitate excitetur & confirmetur. Vbi verò pœnitentia adeſt, vel quando cor durum adductum eſt ad reſipiſcentiam, ibi opus eſt conſolatione, quæ promiſſione Euangelij, annunciante ex gratia Dei remiſſionem peccatorum propter Chriſtum credentibus offertur & applicatur. Calamus enim quaſſatus non eſt conterendus, nec linum fumigans extinguendum, Eſai. 42. ſed contriti corde ſanandi, captiuis prædicanda dimiſſio, vinctis ſolutio, id quod fit, quando pauperibus annunciatur Euangelium, Eſai. 61. Luc. 4.

*Diſciplina Eccleſiaſtica tẽpore Apoſtolorum.*

*Excommunicatio. Cauſæ excommunicationis.*

*Eccleſia quomodo erga excommunicatos.*

*Proceſſus in excommunicatione ſeruandus.*

*Excommunicatorum receptio in communionem Eccleſiæ.*

*Quando ſeueritate vtendum.*

*Quando lenitate.*

Quia igitur Eccleſia Corinthiaca erga inceſtum illum, eò, quòd cor ipſius fuerat ſecurum & impœnitens, ſeueritate diſciplinæ vſa fuerat, & videbat operatione Spiritus ſancti illud, quod per diſciplinam quæritur, apud ipſum effectum eſſe, quòd ſcilicet peccati ſui magnitudinem intelligebat, agnitione & ſenſu iræ Dei contriſtatus erat, ac ardenti fide humiliter & ſeriò quærebat, & petebat gratiam Dei, vt per miniſterium verbi à peccatis ſolueretur: Cogitabat igitur Eccleſia

cleſia lapſum illum rurſus eſſe recipiendum, annunciandã ipſi eſſe ex Euangelio remiſſionem, & per claues Regni cœlorum impertiendam ipſi ſolutionem peccatorum. Quia verò enorme erat commiſſum flagitium, & antea ab Apoſtolo, ob nimiam leuitatem, erga lapſum illum acriter fuerunt reprehenſi, cauſam retulerunt ad Apoſtolum: Quid in tali caſu eſſet faciendum. Et circumſtantiis ita, ſicut expoſuimus, ſe habentibus, Paulus approbans conſilium & ſententiam Corinthiorum, reſpõdit: Ei, qui huiuſmodi eſt, ſufficit increpatio illa, quæ facta eſt à pluribus, hoc eſt, à tota Eccleſia, adeò vt, ſicut antea, cùm ſecurus & impœnitens eſſet, ipſum accuſaſtis, redarguiſtis, retentione peccatorum ligaſtis, ita nunc cùm ad reſipiſcentiam adductus ſit, è diuerſo multò magis ipſum conſolari, & peccatũ ei condonare ſeu remittere debeatis, ne immodica triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt. Et poſtea addit aliam rationem: Ne circumueniamur à Satana, non enim ignoramus ipſius machinationes. Et pro ratificatione ſententię Corinthiorum addit Paulus hæc verba: Cui condonatis aliquid, & ego condono, & ſuum exemplum de recipiendis lapſis adducit, ſubiiciens: Nam & ego, ſi quid condonaui, cui cõdonaui, propter vos condonaui in perſona Chriſti, quia ſcilicet is promiſit. Matth. 18. Vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ. Quicquid ergo ſolueritis in terra, erit ſolutum in cœlo. Monet igitur Paulus, vt ſicut antea publico Eccleſiæ iudicio fuerat excommunicatus inceſtus ille, & traditus Satanæ, hoc eſt, communibus Eccleſiæ ſuffragiis declaratum fuerat, ipſum non eſſe Chriſti, ſed Satanæ membrum, vt ita nunc viciſſim receptionem & reconciliationem eius, publica Eccleſiæ authoritate, & communibus ſuffragiis, ratam habeant. Hoc enim volunt verba Pauli: Quapropter obſecro vos κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην, vt charitatem, qua reſipiſcentes complecti debetis, erga ipſum publicis ſuffragiis declaretis & confirmetis. Significat enim κυρῦν, communibus quaſi ſuffragiis & publica authoritate aliquid comprobare, confirmare, ratum facere & habere.

*Corinthij quid retulerint ad Paulum.*

*Reſponſio Pauli de recipiendo excommunicato.*

Hanc eſſe ſententiam illius loci Paulini, circunſtantiæ, contextus, & ipſa hiſtoria manifeſtè oſtendunt, quam ideò hoc loco fuſius aliquantò recenſere volui. Eſt enim ſedes materiæ (ſicut vulgò loquimur) de diſciplina Eccleſiaſtica, hoc eſt, de excommunicatione, de publica pœnitentia, & publica abſolutione & receptione lapſorum, qualis fuerit tempore Apoſtolorum, quo conſilio, qua ratione, quo fine, & qua moderatione illa inſtituta, obſeruata & vſurpata fuerit. Et debuiſſet concilium Tridentinum operam dare, vt talis Apoſtolica diſciplina, quæ Eccleſiæ vtilis ac ſalutaris, & hiſce temporibus omnino neceſſaria eſſet, reſtitueretur. Nunc verò omiſſa diſciplina ac neceſſaria conſolatione, quę illo loco traditur, de nundinationibus ſuarum indulgentiarũ fabulantur, de quibus Paulus, cùm illa ſcriberet, ne per ſomnium quidẽ cogitauit, quod non difficile nec obſcurum erit oſtẽdere. Reuocetur itaq; in memoriam deſcriptio indulgentiarum Papalium, & inter has atq; inter Paulinam ſententiam inſtituatur collatio, & res plana erit. Primò enim Pontificij dicunt, pœnitentiam agentibus & credentibus culpam remitti in abſolutione: poſt eius verò remiſſionem imponendas pœnas ſatisfactorias, quas per indulgentias redimi, & relaxari fingunt. Et idem factum fuiſſe in caſu illo, 2. Cor. 2. Sed Corinthiacus ille nequaquam antea fuerat à peccatis abſolutus, ſed fuerat ſecurus & impœnitens, atq; ideò traditus fuit Satanæ, vt afflictione carnis, publica correptione & contriſtatione, ad pœnitentiam adduceretur. Neq; enim Paulus ipſum Satanæ tradidiſſet, ſi pœnitens & credens à peccatis abſolutus fuiſſet. Secundò, Paulus nõ impoſuit Corinthio mulctam publicam, vt ſuis illis pœnis & afflictionibus Deo pro peccato inceſtus ſatisfaceret: nulla ſyllaba hoc ex Paulo probari poteſt: imò tota Pauli doctrina clamitat, Chriſtum ſua obedientia, paſſione & morte, pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, & factum eſſe noſtram redemptionẽ. Cauſam verò & finem illius contriſtationis Paulus ipſe ſcribit, hãc fuiſſe, vt ea operaretur pœnitentiam, & eſſet δοκιμὴ, an ſeria & vera eſſet pœnitentia. Tertiò condonatio, de qua Paulus 2. Cor. 2. loquitur, fuit ipſa abſolutio ſeu remiſſio peccatorum à culpa & pœna. Dicit enim, ſe loqui de tali condonatione, quę conſcientiis affert firmam conſolationem, vt non abſorbeantur triſtitia: ſed pacem habeant erga Deum, quod fit, quãdo fide iuſtificamur accepta remiſſione peccatorum, Rom. 4. & 5. Et verbum χαρίζεσθαι ſignificat gratuitam & donariam remiſſionem debiti, Lucæ 7. Cùm debitores non eſſent ſoluendo, condonauit vtriſq;. Epheſ. 4. Condonate vobis, ſicut & Deus in Chriſto vobis condonauit. Col. 3. ſicut Chriſtus condonauit vobis, ita & vos. Coloſ. 2. Cùm eſſetis mortui in delictis, conuiuificauit vos cum Chriſto, cõdonans vobis omnia delicta, deleto quod aduerſus nos erat, Chirographo. Nequaquam ergo de Pontificiis indulgentiis loquitur. Roffenſis argutatur: Corinthium illum ante hanc condonationem, de qua Paulus loquitur, habuiſſe remiſſionem culpæ, atq; ideo aliam eſſe condonationem, 2. Cor. 2. Idq; inde probare conatur, quia charitatem habuerit. Paulum enim dicere: Confirmate in illo charitatem. Sed Paulus loquitur de charitate Corinthiorum erga reſipiſcentes, quam vult erga ipſum declarari, non enim dicit, ἐν αὐτῷ, ſed εἰς αὐτὸν, erga ipſum. Quartò, falſum eſt, quòd Paulus precium pro ſoluendo debito inceſti ex operibus ſupererogationis Eccleſię Corinthiacæ ſumpſerit. Clamitat enim, ſanctam Chriſti paſſionem eſſe ἀντίλυτρον pro peccatis noſtris. Et magna vehementia inquit: Nunquid Paulus pro vobis paſſus & crucifixus eſt? Quintò, neq; hoc verum eſt, certum numerum, vel dierum, vel annorum publicæ eius pœnitentiæ fuiſſe à Paulo pręſcriptum, & ſi poſt acceptam abſolutionem, ante peractam ſine indulgentiis canonicam ſatisfactionẽ mortuus fuiſſet, in purgatorio ipſi ardendum fuiſſe: Nullam enim dictionem de huiuſmodi figmentis Paulus habet: ſed terminus ac meta illius caſtigationis fuit vera ac ſeria pœnitẽtia. Cùm igitur videret Paulus lapſum contriſtatum eſſe ad pœnitentiam, non dicit. Supereſt poſt Abſolutionem alia pœna: ſed inquit (ἱκανὸν) ſufficit ei, qui huiuſmodi eſt, talis correptio. Poſtremò non niſi impudentiſſimè fingi poteſt, Corinthium illum dediſſe pecuniam ad redimendas indulgentias.

*Sedes doctrinæ de diſciplina Eccleſiæ.*

*Accommodatio figmenti Pontificij de indulgentiis, ad quæſtionẽ & negotium Corinthiacũ 2. Cor. 2.*

*Roffenſis argutatio.*

*Pontificij ipſi diffidunt huic argumento Scripturæ.*

Manifeſtiſſimum igitur eſt, locum illum Pauli 2.Cor.2. nullo modo confirmare Pontificias indulgentias: ſed fundamenta earum prorſus ſubuerti ex illo loco. Atq; hæc fuit cauſa, quòd Antoninus & alij noluerunt cauſam indulgentiarum huic loco Pauli committere. Et tamen Lindanus ſperat, ſe hominibus in hac Euangelij luce affectata ſua eloquentia hoc perſuadere poſſe. Quod tamen ne ipſi quidem Romano Pontifici poſſet gratum accidere. Si enim huic loco inniterentur indulgentiæ, tunc ſequeretur, in conceſſione indulgentiarum non plus poſſe Paulum vel Papam, quàm reliqua membra Eccleſiæ. Paulus enim dicit: Cui condonatis aliquid, & ego condono. Atqui ærarium Eccleſiæ Romanæ nunquam concedet, in conferendis indulgentiis Papam non plus eſſe, quàm alios inferiores Sacerdotes. Ita enim tota negociatio indulgentiarum Romanenſium concideret. Huius loci Paulini circumſtantias ideo diligẽtius aliquantò expendere volui: Poſtea enim, vbi de Canonibus pœnitentialibus dicendum erit, huius explicationis vſus erit, vt rectè diiudicari poſſit, quatenus & quando Canonica illa pœnitentia conſentanea fuerit verbo Dei, quomodo verò & quando à norma & regula ſcripturæ cœperit deflectere.

## TERTIVM ARGVMENTVM.

*De reconciliatorum calamitatibus.*

EX locis ſcripturæ, vbi reconciliatis poſt remiſſionem peccatorum ſcribuntur pœnæ ſeu afflictiones à Deo impoſitæ, contexere conantur Põtificij ad ſtabiliẽdam doctrinam de indulgentiis, vt, 2. Reg. 12. Cùm Deus abſtuliſſet peccatum adulterij & homicidij Dauidis, tamen additur: Quia inimicos blaſphemare feciſti Dominum, ideo infans morte morietur. Item: Suſcitabo ſuper te malum de domo tua, tollã vxores, & dabo proximo. Ita 2. Reg. 24. cùm Dauid oraſſet pro remiſſione peccati numerati populi, & eam ſine dubio impetraſſet: tamen immittitur peſtis ſuper totum populum. Et Exod. 32. Cùm Moſes pro noxa populi deprecatus fuiſſet, Deus reſpondet: in die viſitationis viſitabo & hoc peccatum eorum. Nu. 14. Dimiſi peccatum populo: attamen nemo eorum videbit terram promiſſionis. Num. 12. Miriam lepra percutitur, licet Moſes oret pro dimiſſione. Et primi lapſus pœnas etiam poſt remiſſionem Adam inſtituit, Gen. 3. Ac peccati originalis, licet in Baptiſmo dimiſſi pœnas temporales etiam credentes per totam hanc vitam ſuſtinere coguntur, Rom. 8. Ex illis autem & ſimilibus ſcripturæ locis primò concludunt Pontificij, reconciliatos poſt remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ manere obligatos ad pœnam aliquam temporalem pro peccatis, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam, vt ſit pars aliqua ſatisfactionis vel expiationis peccatorum. Iuſtitiam illam Dei nullũ peccatum dimittere impunitum ſiue inultum: ſed, ſicut ſcriptum eſt, Deut. 25. iuxta menſuram delicti debere eſſe etiam plagarum modũ. Et Chriſtum quidem ſua obedientia & paſſione ſoluiſſe pro culpa & pro pœna æterna: pro pœna verò temporaria, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio luenda, nobis ipſis eſſe ſatisfaciendum. Quia verò Scripturę exempla teſtantur, pœnas temporarias aliquando vel mitigari, vel condonari, ſeu tolli agentibus pœnitentiam, ſicut de Niniuitis ſcriptũ eſt, Ionæ 3. & ſicut Daniel Regi conſuluit, vt peccata redimat eleemoſynis ſeu iuſtitia. Et Nu. 16. ſæuiente iam incẽdio diuino, cùm Aaron offerret thymiama, & ſtans inter viuos & mortuos deprecaretur Dominum, plaga ceſſauit. Ita 2. Reg. 24. Dauid humilians ſe & orans obtinuit, vt tempus peſtis abbreuiaretur. Inde Pontificij alteram faciunt concluſionem, obligationem ſcilicet illam ad pœnas temporarias poſſe vel noſtris propriis, vel aliorũ Sanctorum indebitis ſatisfactionum operibus, tanquam precio ad ſoluendum debitum ſufficienti, ſicut Bonauentura loquitur, compenſari, expiari, & tolli, aut Pontificiis indulgentiis poſſe redimi, relaxari, aut dimitti.

*Pœnæ Dauidis poſt adulterium & homicidium.* *Poſt peccatũ numerati populi.* *Exod. 32.* *Num. 14.* *Num. 12.* *Axioma Pontificiũ de pœnis temporalibus.* *Aliud.* *Aliud.*

Largę profectò ac valdè liberales ſunt iſtæ cõcluſiones. Sed videndum eſt, an allegata Scripturæ dicta hoc, quod ipſi volunt, ſentiant & efficiant. Tota autem hæc doctrina in ſecunda parte, cùm de Satiſfactione ageremus, explicata eſt, ideo hoc loco breuiores erimus.

*De cauſis calamitatum in reconciliatis.*

Certum igitur, atq; extra controuerſiam eſt, reconciliatos in hac vita, vel communibus calamitatibus ſubiici, vel quoſdam aliquando certis pœnis alleuari. Sed quæſtio, quæ in controuerſia eſt poſita, hæc eſt: propter quas cauſas, quo conſilio, & in quem finem, Deus reconciliatis poſt remiſſionem caſtigationes imponat? Veriſſimum ſanè eſt, Deum nullum peccatum remittere ſine æquiualente & ſufficiente precio, quo legi ſuæ pleniſſimè & perfectiſſimè ſatisfiat. Sed illud precium obedientia & paſſione Filij Dei Mediatoris plenè, perfectè, & ſufficiẽter pro nobis perſolutũ eſt. Et propter illud Deus credentes ita in gratiam recipit, vt totum debitum ipſis remittat, & debitores ſolutos pronũciet, vt peccata ipſis non velit imputare, imò iniquitatum non velit amplius recordari. Si itaq; cum Pontificiis diceremus, in reconciliatis poſt remiſſionem peccatorum remanere reatum, ſeu obligationem ad partem aliquam pœnæ pro peccatis, vel tanquam vindictam Dei, vel tanquam ſatisfactionem noſtram, tunc ſequeretur inde vel redemptionem, ſatisfactionem, & perſolutionem Chriſti pro peccatis noſtris præſtitam, eſſe dimidiatam, ſemiplenam, mutilam & mancam, ita vt noſtræ actiones & paſſiones vnà cum Chriſti obedientia, & paſſione ingrediantur articulũ redemptionis, expiationis & ſatisfactionis pro peccatis, & noſtra etiam opera partem aliquã redemptionis, expiationis, & ſatisfactionis ſibi vẽdicent, quaſi Chriſtus non maledictum, ſed tantùm pars quædam maledicti pro nobis factus ſit, & tantùm à parte quadam maledictionis legis nos liberarit, cuius reliqua pars, vel ipſis credentibus ſit exoluenda, vel aliunde redimenda: Vel ſequeretur, Deum non omnia peccata credentibus propter Chriſtum cõdonare, nec totum debitum remittere: ſed fallere, quando credentibus promittit, ſe iniquitatum ipſorum non velle amplius recordari, nec peccata ipſis imputare: vel ſequeretur falſum eſſe, quòd Chriſtus iuramento interpoſito affirmat: Quicquid in terra ſoluitur, in cœlis ſolutum eſſe, ſi partem vindictæ Deus ligatam retineret: vel ſequeretur, miniſtros Eccleſiæ fraudulenter, & non ex voluntate Domini, adminiſtrare claues Regni cœlorum,

*Negatiuè.*

rum, ſi Domino dimittente totum debitum, miniſter ſoluendo partem aliquam retineret. Sed manifeſte patet, & ſupra demonſtratum eſt, hæc pugnare contra præcipuos ac luculentos fidei noſtræ articulos.

Quando igitur reconciliatis poſt remiſſionem peccatorum imponuntur à Deo vel communes calamitates, vel peculiares caſtigationes, non ſunt pars aliqua offenſæ & vindictæ diuinæ ob peccata quę remiſſa ſunt. Neq; enim tali modo Deus vult fratribus nos dimittere peccata, vt partem aliquam offenſę & vindictæ nobis reſeruemus: cum tamen iubeamur ita nobis mutuo condonare, ſicut Deus nobis condonat. Et ex antitheſi ſeu collatione res planius intelligi poterit. *Alia cauſa calamitatum in impiis, alia in reconciliatis.* Quando enim reprobis à Deo in hac vita immittuntur calamitates, in illis ſunt ſigna, & teſtimonia ſecuturę æternę damnationis, & pars quædam maledictionis æternæ. Hanc certe rationem caſtigationes in reconciliatis non habent. Deinde quando ſecuris & impœnitētibus immittuntur à Deo calamitates, tunc ſunt conciones offenſæ diuinæ, & excitationes ad pœnitentiam, cum pœnæ clamitent, perſonam illam eſſe ſub ira Dei & perituram, niſi agat pœnitentiam, & Deo propter Chriſtum reconcilietur. In illis vero, qui agunt pœnitentiam, & fide propter Chriſtum Deo reconciliati ſunt, ac remiſſionem peccatorum acceperunt, calamitates, quę poſtea à Deo immittuntur, nequaquam ſunt ſatisfactiones pro menſura delicti. Dictum enim Deut. 25. loquitur de iudicio forenſi, & de mulctis politicis. Et tales caſtigationes non omnibus reconciliatis, nec ſemper, nec æqualiter à Deo imponuntur, ſicut exempla Publicani, Magdalenæ, Paralytici, &c. oſtendunt, & omnium temporum experientia docet. Nec ſunt caſtigationes illæ ſigna, Deum adhuc reconciliatis offenſum eſſe, & ipſos adhuc eſſe ſub ira Dei, ſi non in totum ſaltem ex parte aliqua. Hæc enim pugnant cum gratia, miſericordia, & reconciliatione diuina. *Cauſa caſtigationum piorum.* Sed caſtigationes illæ habent alias cauſas & alios fines, vt ſcilicet. I. Primo, caro peccati crucifigatur & mortificetur, vt remiſſo peccato etiam infirmitas in carne reliqua ſanari incipiat. Pſalm. 103. radices peccatorum euellantur, petulantia carnis reprimatur, ne denuo in alia flagitia præcipitentur reconciliati, & ad vomitum redeant. II. Secundo, vt ſint commonefactiones, ne obliuiſcamur purgationis peccatorum, 2. Pet. 1. ſed ſemper redigatur in memoriā, quam immenſum Dei beneficium ſit remiſſio peccatorum ſeu reconciliatio, vt ita fides ſolicite curet gratiam retinere, & in bonitate Dei permanere, Roman. 11. ne illam vel ſecuritate amittamus, vel petulantia excutiamus. III. Tertio, ne peccata ipſa per ſe, ideo, quia perſonæ credēti iam remiſſa ſunt, nec imputantur, extenuentur, excuſentur, aut defendantur: ſed vt conſpiciatur quanta ſit abominatio & atrocitas peccati per ſe, licet credenti ex gratia remiſſum ſit, & fidelibus non imputetur. *Auguſtinus.* Recte enim Auguſtinus dixit: Nullum ſcelus coram Deo tam abominabile eſſe, quàm de præteritis peccatis, quæ dimiſſa ſunt, reminiſcendo gaudere & inde exultare. Sunt igitur calamitates illæ piorum, & ipſis reconciliatis domeſticæ commonefactiones, & ſunt publica ſpectacula aliis etiam propoſita, ne ideo, quia peccata credentibus ex gratia remiſſa ſunt, vel ipſi, vel eadem, vel ſimilia peccata ſecure admittant, comminationes diuinas ſpernant, & iudicium Dei contemnant, ſicut ſcriptum eſt, 1. Pet. 4. Si iudicium à domo Dei incipit, quis finis eorum erit, qui non credit Euangelio? Quarto, vt reconciliati ſemper circumferant teſtimonium de peccato, in carne habitante, de pœnitentiæ, fidei, & emendationis ſqualida imperfectione, ac de multiplicibus infirmitatibus: vt ſubinde excitetur, accendatur, creſcat & augeatur pœnitentia, fides & charitas: & breuiter, vt caſtigationes ſint materia exercitiorum ſpiritualium, patientiæ, humilitatis, ſpei, conſolationis, perſeuerantiæ, &c. Ita Deus dicit, Ierem. 30. In omnibus gentibus faciam conſummationem, te autem non faciam in conſummationem, ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Quæ ſententia repetitur, cap. 46. & capit. 49. inquit: Quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibendo biberunt, & tu quaſi innocens relinqueris. Quinto, Imponuntur reconciliatis tales caſtigationes, vt præbeant ipſis materiam exercitiorū ſpiritualium, videlicet, patientiæ, humilitatis, ſpei, conſolationis, perſeuerātiæ, &c. Poſtremo, quia corpus propter peccatum mortuum eſt, Roma. 8. vt aboleatur, Roman. 6. & in cinerem redigatur, Geneſ. 3. vt conforme reddatur Chriſto, & reſuſcitetur ad vitam æternam, Philip. 3. Ideo calamitates huius vitæ piis ſunt commonefactiones de carnis reſurrectione & vita æterna, quo aſpirare, & capita eleuare per calamitates docentur. Et quæcunque tandem cauſæ calamitatum, quæ reconciliatis poſt acceptam remiſſionem peccatorum in hac vita à Deo imponuntur, ex Scriptura afferantur, non efficietur id quod Pontificij contendunt, quod ſcilicet poſt reconciliationem ſeu remiſſionem pars aliqua pœnæ pro peccatis reſtet ipſis credētibus, vel ſatisfactionibus exſoluenda, vel indulgentiis redimenda. Atque ita vnus neruus indulgentiarum Pontificiarum gladio ſpiritus inciſus eſt.

IIII. V. VI.

*Secundum indulgētiarum fundamentū ex mitigatione pœnarum.* Alterum neruum indulgentiis ſuis inde conficiunt Pontificij, quod ſupra quibuſdam Scripturæ exemplis oſtēſum eſt, temporales pœnas agentibus pœnitentiam, credentibus & orantibus aliquādo auferri, aliquando mitigari. Sed hæc nihil prorſus facere ad indulgentias Pontificias, luce clarius oſtendi poteſt, ſi adhibeatur *Lutheri diſtributio.* Lutheri diſtributio de iis, quę poſt acceptam remiſſionem peccatorum reconciliatis imponuntur. *Primo reconciliatis, imponit Deus Nouitatem vitæ.* Scriptura enim docet, Deum reconciliatis, poſt remiſſionem peccatorum, imponere ſeu iniungere. Primo, vt faciant fructus dignos pœnitentia, Matth. 3. Vade, & iam amplius noli peccare, Iohan. 8. Declina à malo, & fac bonum, Pſal. 34. Deponite veterem hominem, & induite nouum, Ephe. 4. Abiicite opera tenebrarum, & induite arma lucis, Rom. 13. Gratia enim Dei erudit nos, vt abnegata impietate pie viuamus in hoc ſeculo, Tit. 2. Sed hæc, quia à Deo mandata ſunt, & exiguntur tanquam neceſſarij fructus veræ pœnitentiæ, nec debent, nec poſſunt per vllas indulgentias, ne præſtentur, condonari, aut relaxari. Eſſet enim vere (quod dicitur) priuilegium turpitudinis, ſi quis fingeret, ſe

per indulgentias poſſe concedere, vt credentes libere & impune iam poſt recõciliationem poſſint eſſe, non tantum ſterilis & ocioſa, ſed mala arbor, ſiue, ſicut apud Paulum loquuntur Rom. 3. & 6. Manebimus in peccato, vt gratia abundet. Peccabimus, quoniam ſumus ſub gratia. Faciamus mala, vt bona veniant. Illorum enim damnatio iuſta eſt.

*Secundo, Mortificationem carnis imponit.*

Secundo, Scriptura iniungit recõciliatis poſt acceptam remiſſionem, vt carnem crucifigant cum affectibus & concupiſcentiis. Gal. 5. vt facta carnis ſpiritu mortificent, Rom. 9. ne radix amaritudinis ſuppullulet, & inquinet multos, Ebræ. 12. Sicut in ſecunda parte de ſatisfactionib. multas tales veterum ſententias annotauimus, quomodo in vera pœnitentia poſt reconciliationem radici, fomiti, reliquiis ſeu cauſis peccatorum, præſertim quando per diuturnam conſuetudinem, quaſi radices egerunt, opponẽda ſint contraria ad ſanandas infirmitates remedia, iuxta dictum Pauli Rom. 6. Sicut exhibuiſtis membra veſtra ad iniquitatem: ita nunc præbete membra veſtra ſerua iuſtitiæ ad Sãctificationem. Sed & hæc, quia ſunt à Deo mandata, tanquam fructus veræ pœnitentiæ, Pontifex ſuis indulgentiis nec debet nec poteſt remittere, ſeu relaxare. Neq; enim concedere reconciliatis, vel debet, vel poteſt, vt concupiſcentiis carnis liberè fręna laxent, ſecundum carnem viuant, & radicem amaritudinis nouos lapſus pullulare ſinant.

*Indulgentia non tollunt mortificationem carnis.*

*Tertio, imponit afflictiones piis.*

Tertio, Scriptura oſtendit, Deum recõciliatis aliquando poſt acceptam remiſſionem, in hac vita imponere afflictiones, ſeu caſtigationes tẽporarias. Quęſtio iam eſt, an Pontifex ſuis indulgentiis pœnas illas poſſit vel plenarie relaxare, vel earum partem aliquam tollere ſeu mitigare. Et quam beatus fuiſſet Adam, quamq; feliciter vniuerſæ ſuæ poſteritati proſpexiſſet, ſi poſt impoſitas pœnas, Geneſ. 3. redemiſſet indulgentias pro ſe & pro poſteris ſuis, ſex aut octo millium annorum. Ita enim nullus hominum in hac vita graue illud iugũ, ſub quo omnes gemimus, ferre opus habuiſſet. Et ſtulte, ne dicam impie, egiſſet Adam intermittendo talem indulgentiarum redemptionem, ſi tunc venales fuiſſent: facile enim, cum totum orbem terrarum ſolus tunc poſſideret, ampliſſimas potuiſſet redimere. Vel ſi hodie poſt Baptiſmum poſſent redimi tales indulgentiæ, vt nec mares, nec fœmellę quicquã eorum, quæ Geneſ. 3. imponuntur, per totam hãc vitam ferre cogerentur: Diuites certe ſemper poſſent redimere plenarias multorum millium annorum indulgentias, vt in tota hac vita nihil aduerſi, vel in valetudine, vel in fortuna experiri cogeretur. Quę omnia falſa eſſe, totius mundi hiſtoria & vniuerſalis experientia tãtum non clamitat. Hoc quidem verum eſt, pœnitentibus tales pœnas, pro Dei beneplacito, aliquando à Deo, vel relaxari, vel mitigari, iuxta dictum Iere. 18. Si gens egerit pœnitẽtiam, & me quoq; pœnitebit mali quod cogitãram, vt facerem ei. Et 1. Cor. 11. Si noſipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino, Luc. 15. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Et 1. Reg. 8. talia exempla multa recenſentur. Sicut etiam teſtatur exemplum Niniuitarum, Ionæ 3. & Ioelis 2. Intelligitur autem pœnitentia, non vel de indebitis ſupererogationum operibus, vel de Pontificiis indulgentiis (hæc enim monſtra ignota ſunt Scripturæ,) ſed intelligitur pœnitentia, quæ conſtat vera deteſtatione peccati, & ſeria agnitione iræ Dei, fide in Chriſtum petente & apprehendente remiſſionem peccatorum, quam pœnitentiam ſequuntur veri fructus pœnitentiæ, in mortificatione carnis, emendatione vitæ. Et tamen, quod diligenter notandum eſt, quia caſtigationes illas Deus paterno iudicio ita moderatur & diſpenſat, vel tollendo, ſeu mitigando, vel relinquendo ſeu exaſperando, prout cuique fidelium medicinam illam vtilem & ſalutarem eſſe ipſe omnium optimè nouit, & tamen fidelis Deus eſt, qui tentationi talem dat euentum, vt poſſimus ſufferre. Ideo ſancti ſub cruce, in vera pœnitentia, credentes & orantes, non præſcribũt Deo, quantum impoſitis pœnis auferre debeat: ſed vera animi humilitate, ſub potenti Dei manu, voluntati ipſius totos ſe ſubiiciunt, ſicut Dauid inquit: Si voluerit, poterit me reſtituere in Regnum, ſi dixerit, non places, faciat quod bonum eſt in oculis ſuis. In illis enim orationibus, quibus petimus, vt pœnæ vel auferantur, vel mitigentur, ſemper fides addit hanc petitionem: Fiat voluntas tua, Non quod ego volo, ſed quod tu vis. Sicut vetus quædam oratiuncula pie & eleganter orat, vt Deus à talibus pœnis vel liberet, vel eas mitiget, vel ſi paternæ ipſius bonitati aliud nobis vtile & ſalutare videbitur, vt donet patientiam, conſeruet fidem, & tandem clementer ſaluet. Sicut etiam Bernhardi Oratio inquit: Hîc vre, hîc ſeca, vt in æternum parcas. In hanc ſententiam Ioel dicit cap. 2. & Ionæ 3. Quis ſcit, ſi conuertatur & pœniteat, & auerſus à furore reddat benedictionem ne pereamus? Ita Paulus 2. Corinth. 12. ter rogauit Dominum, vt ſtimulum in carne & Angelum colaphizantem auferret: ſed Dominus reſpondit: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Et 2. Reg. 12. cum Deus percuſſiſſet infantem Dauidis, ex adulterio natum, ipſe per ſeptem dies ieiunans, & pernoctans in terra, deprecatus eſt Dominum pro paruulo, qui tamen ſeptimo die mortuus eſt.

*Nec afflictiones tolluntur per indulgentias.*

*Pœnitentia mitigantur pœna.*

*Diſpenſatio afflictionum penes Deum.*

*Bernhardus.*

*Afflictiones non ſubiecta clauibus.*

Cum itaque hæc ita ſe habeant, manifeſtum eſt, diſpenſationes talium temporalium pœnarum non eſſe ſubiectas clauibus Eccleſiæ: manifeſtum & hoc eſt, Pontificem ſuis indulgentiis non poſſe pro ſua voluntate & authoritate relaxare, ſiue plenarie, ſiue ex certa aliqua parte, vel in communi peſtem, famem, bellum: vel in ſingulis morbum, paupertatem, & alias aduerſitates. Filios enim quos Deus diligit, caſtigat, quas caſtigationes ſi Pontifex vellet ſua authoritate auferre, faceret, vt non amplius eſſemus filij, ſed ſpurij, Ebræo. 12.

*Argumentatio Pontificiorum.*

Ex tribus itaq; illis, quæ Deus iuxta Scripturę traditionem ſolet poſt remiſſionem reconciliatis imponere, Pontifex vniuerſis ſuis indulgentiis, ſicut oſtendimus, nihil poteſt remittere. Et perſpicit iam Lector, qualis ſit argumentatio Pontificiorum: Deus reconciliatis aliquando ſolet caſtigationes quaſdam imponere, quas pœnitentibus & orantibus aliquando ſolet vel tollere vel mitigare. Ergo Romanus Pontifex ſuis indulgentiis poteſt de temporariis illis pœnis plenitudine ſuæ poteſtatis, vel plenariè, vel

quantam

quantam partem voluerit, relaxare & remittere. Nam præter Scripturæ documenta res ipſa clamitat, hoc falſum eſſe.

*Canonicæ pœna Eccleſiæ.* Sed vt perſequamur Lutheri diſtributionem inter ea, quæ pœnitētibus poſt recōciliationem imponuntur, quartum eſt de pœnis quibuſdam canonicis, quæ olim diſciplinæ gratia à viris Eccleſiaſticis ſunt inſtitutę, & pœnitentibus impoſitæ, de quibus poſtea dicemus. Sed illarum vſus iamdudum exoleuit, vt in praxi pœnitētię prorſus ignotæ iam ſint. Illarū vero loco, quod quintum diſtributionis Lutheri membrum eſt, Pontificij commenti ſunt illas pœnas ſiue opera ſatisfactionis pœnalia, quæ ſine Scriptura fingunt vel in hac vita perſoluenda, vel in purgatorio pœnis luenda, de quibus in ſequētibus dicemus. *Pœnalia opera ſatisfactionis fictitia.* Illarum itaque poſtremarum pœnarum, quæ ad quartum & quintum diſtributionis membrum pertinent, Pontificiæ indulgentiæ relaxationē ſeu remiſſionē polliceri poſſunt. *Verum obiectum indulgentiarum Pontificiarū quod ſit.* Cùm vero pœnæ illæ non ex Scripturæ authoritate: ſed ex hominum traditionibus originem ſuam habeant, & alteræ iamdudum ſint apud ipſos etiam Pontificios obſoletæ: alteræ vero ſine Scriptura ſint fictitiæ ſeu commentitiæ: Erunt igitur Pontificiæ indulgentiæ reuera fallaces relaxationes talium pœnarum, quæ per traditiones humanas inſtitutæ, & vel iamdudum obſoletæ, vel ſine Scriptura recens confictę ſunt: quæ omnia poſtea clarius patefiēt. *Indulgentiæ remittunt pœnas vel obſoletas, vel fictitias.* Hoc vero loco occaſione argumenti, de caſtigationibus reconciliatorum volui repetere Lutheri partitionem, qua luculenter oſtendit, Pontificias indulgentias nihil eorum, quæ Deus reconciliatis imponit, remittere: ſed eſſe relaxationes humanarum traditionum, quæ partim obſoletæ, partim commentitiæ ſunt. Nequaquam igitur tanti ſunt, quanti venduntur.

## QVARTVM ARGVMENTVM.

*Quartū fundamentum indulgentiarum ex ſcriptura. Col. 1.* EX Scriptura deſumptum, quo Pontificij probare conantur, Theſaurum Eccleſię ex Sanctorum paſſionibus & operibus ſupererogatoriis congeſtū, vnde Romanus Pontifex pro plenitudine poteſtatis ſuę indulgentias diſpenſet, eſt locus Pauli Coloſ. 1. Adimpleo ea quę deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Hanc enim Pauli ſententiam ita & intelligunt, & intelligi volūt, quod paſſionibus Chriſti, quibus peccata noſtra expiauit, & ſtipendium peccati ſuſtulit, redimēs nos à maledicto legis, aliquid defuerit, quo minus plena, perfecta, conſummata, & ſufficiens ſatisfactio eſſe poſſit pro peccatis noſtris. *Horrenda dicti Paulini deprauatio.* Illum vero defectum paſſionis Chriſti ſupplendum eſſe paſſionibus Sanctorum. Et ſicut Chriſtus paſſus eſt pro nobis, hoc eſt, pro expiatione ac redemptione noſtra, ſatisfaciens paſſione ſua pro peccatis noſtris: ita Paulum & reliquos etiam pati pro Eccleſia, ſupplendo id, quod ſatisfactioni Chriſti defuit. Et illud ſuum ſupplementum voluiſſe Sanctos diſpenſari & applicari aliis, per Pontificias indulgentias ad ſatisfactionem aliquam, hoc eſt, ſicut Bonauentura loquitur, ad precium aliquod ſolutionis pro peccatis, ideo; quia precio Chriſti aliquid defuerit. Sed hæc explicatio adeo non eſt analoga fidei, vt piæ aures ex animi ſerio exhorreſcant, ſi quis dicat, paſſionibus Chriſti aliquid defuiſſe, quò minus plena, conſummata & ſufficiens fuerit ſatisfactio & expiatio pro peccatis noſtris. *Refutatio huius blaſphemi ſomnij.* Ideo enim perſonam Mediatoris oportuit Deum & hominem eſſe, vt obedientia & paſſio ipſius eſſet æquiualens, ſufficiens, imo ſuperabundans λύτρον pro peccatis noſtris. Et omnium noſtrûm peccata Pater concıecit in ipſum, percutiens ipſum propter peccata noſtra, ita vt voluerit ipſum conterere. Non enim partem iræ vel maledictionis: ſed totam iram ſuam cum vniuerſis fecibus maledictionis Pater effudit in calicem illum, quem filio Mediatori in paſſione bibendum propoſuit. Et Chriſtus in cruce traditurus Patri ſpiritum dicit: Conſummatum eſt, qua voce teſtatur, omnia ea, quæ ad expiationem peccatorum, & ad redemptionem à maledicto Legis neceſſaria erant, obedientia & paſſione ſua plene, ſufficienter, & abundanter cōſummata & perſoluta eſſe. Inde Ebræ. 10. ſcribitur, Legem non potuiſſe accedentes perfectos reddere. Chriſtum vero vna pro peccatis oblata victima, vnica illa oblatione conſummaſſe ſeu perfectos effeciſſe eos qui ſanctificantur. Et Ebr. 9. per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione parta. Contra ſummos hoſce articulos non tantum pugnat, verum manifeſte blaſphemat Pontificiorum explicatio. Nec Paulus poſt conuerſionem vnquam blaſphemiā illam vel in mentem vel ad aures admiſiſſet, ſe ita pati pro Eccleſia, ſicut Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vt qui ſuppleret defectum paſſionis Chriſti, Pauli enim vox eſt, Roman. 5. Per obedientiam vnius, iuſti conſtituuntur multi. Et qui exuberantiam gratiæ ac doni iuſtitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Et 2. Corin. 5. Vnus pro omnibus mortuus eſt. Imo 1. Corinth. 1. magna vehementia inquit: Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Et 1. Iohan. 1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtū. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. Et Sanctos de operibus ſuis coram iudicio Dei ad ſatisfactionem, expiationem ſeu redemptionē, nec velle, nec poſſe aliis aliquid commodato, ſeu vſui dare, manifeſtus textus eſt, Matth. 25. Et Pſal. 49. Nemo fratrem ſuum redimere poteſt, nec Deo precium redēptionis eius perſoluere. Hęc manifeſta ſunt. Cogitetur autem quale ſit dogma indulgentiarum, quod ex talibus mendaciis & blaſphemiis, contra ſummos & præcipuos fidei noſtræ articulos, conſtat.

*De Phraſi Paulina, Coloſ. 1.* Sed excipiunt, tamen textus dicit: Paulum adimplere ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti. Reſpondeo: Ne vetus quidem translatio dicit, paſſioni Chriſti aliquid deeſſe: ſed quæ deſunt paſſionum Chriſti. Et ὑςερήματα Paulus vocat, quæ ex paſſionibus Chriſti adhuc reliqua ſuperſunt. *ὑςερήματα Paſſionum Chriſti.* Nunquid vero Chriſto in ſua perſona amplius patiendum erit? Nequaquam. Paulus enim dicit Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis vltra non moritur, mors illi amplius non dominabitur: quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel. Sed quia fratrum ſuorum afflictiones ad ſe refert, tanquam membrorum ad caput, ſicut inquit: Saule quid me perſequeris? Omnium igitur Sanctorum afflictiones ſunt

ὑςερή-

ὑςερήματα, reliquiæ paſſionum Chriſti. Nam & totum corpus, hoc eſt, membra vnà cum capite appellatione Chriſti intelliguntur, 1. Corint. 12. Chriſtus igitur ſemel paſſus eſt in ſe pro redemptione mundi. Patitur autem adhuc quotidie in membris ſuis, quorum paſſiones ad ſe, quia caput eſt corporis, refert. Et afflictiones Sanctorũ vocantur παθήματα Chriſti, vt hac ipſa appellatione dulceſcat Crux piis. Nam dicimur Chriſto συμπάσχειν, vt conformes efficiamur imagini ipſius, Rom. 8. & ſequamur veſtigia eius, 1. Pet. 2. ita 2. Cor. 1. Paſſiones Chriſti abundāt in nobis, vt ita per Chriſtum abundet & conſolatio. Et 1. Pet. 4. Sicut communicatis paſſionibus Chriſti, ſeu conſortes eſtis afflictionum Chriſti, ita & in reuelatione gloriæ eius exultabitis. Paulus itaq; nihil aliud dicit, quàm ex iis afflictionibus, quæ reſiduæ adhuc reſtāt ſeu ſuperſunt, ferendę corpori Chriſti, ſe tanquam membrum illius corporis nō poſtremum menſuram ſuam implere.

*De formula loquendi, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας.*

Quod verò dicit, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, nequaquam intelligit, ſe ità pati pro Eccleſia, ſicut vnus Chriſtus paſſus eſt pro omnibus, 2. Cor. 5. Dicit enim 1. Cor. 1. Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? Sed quòd hoc loco dicit, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, hoc Philip. 1. planis verbis explicat: Quæ mihi acciderunt, ad profectum & confirmationem Euangelij euenerunt. Multi enim meo exemplo moti animoſius confitentur Euangelium. Et ea occaſione etiam in ipſo prætorio innotuit doctrina de Chriſto. Et hoc loco Col. 2. dicit, ſe pati pro Eccleſia, non vt redemptorem, ſed vt miniſtrum Eccleſiæ, diſpenſantem & implentem prædicationem Euangelij, in cuius veritatis teſtimonium & confirmationem tot afflictiones patiatur. Et quod ad Phraſin attinet, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, Paulus eadem Phraſi etiam alibi vtitur, addita certa explicatione, vt 2. Cor. 1. Si tribulamur, id fit pro veſtra conſolatione & ſalute: non quòd Pauli tribulationes mereantur Corinthiis ſalutem, ſed quia veſtra, inquit, ſalus efficax eſt in tolerantia earundem afflictionũ: certi enim ſumus, quòd ſicut participes eſtis paſſionum, ita futuri ſitis & cōſolationis. Et 2. Cor. 4. de ſuis afflictionibus inquit: Omnia hæc propter vos, nō ſicut Chriſtus propter vos incarnatus & paſſus eſt: ſed addit explicationem, vt gratia abundans (ſcilicet in patientia, perſeuerantia, & liberatione) per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. Manifeſtum igitur eſt, & ex vocabulis, & ex rebus ipſis, locum illum Pauli prorſus non ſuffragari commento indulgentiarum Pontificiarum.

## QVINTVM ARGVMENTVM.

*Quintum argumentum Pontificium ad ſtabiliendum dogma de indulgentiis. Lindanus. Locus 2. Cor. 8. an de indulgentiis loquatur.*

Quod ex Scriptura pro indulgentiis texunt, legeram antea apud Scholaſticos & riſeram, tàm impertinentia (ſicut vulgus loquitur) allegata. Sed video Lindanum etiam, & alios Pontificios ſcriptores, cùm melioribus deſtituantur, eodem argumento vti. Paulus enim 2. Cor. 8. exhortatione ad contribuendas Eleemoſynas pro pauperibus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, hac vtitur ſententia. In præſenti tempore veſtra abundātia illorum inopiam ſuppleat, vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Hanc verò Pauli ſententiam quæſtores indulgentiarum ita ad ſuam nundinationem torquent: Corinthij abundabant, inquiunt, pecunia, ſed inopes erant meritorum: Contra verò Sancti Hieroſolymitani abundabant meritis ſpiritualibus, à pecunia verò malè parati erant. Fingunt igitur Paulum inſtituiſſe talem permutationem ſiue nundinationem inter ipſos, vt Corinthij præberent manus adiutrices, cōferendo largè pecuniam, & pro illa pecunia Sancti ex operibus ſuis ſupererogationis ſupplementum inopiæ Corinthiorum venderent, quod ad ſatisfactionem pro peccatis attinet. Ita quidem quæſtores indulgentiarum.

*Refutatio.*

Sed Paulus ſeipſum, quid velit, explicat. Tractans enim eandem materiam, de contributione eleemoſynarũ pro pauperibus Hieroſolymitanis, Roman. 15. inquit: Gentes debitores ſunt Sanctorum, qui ſunt Hieroſolymis. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentes, debent & ipſi in carnalibus miniſtrare illis. Quid verò per ſpiritualia intelligi velit, ipſe diſertè explicat, 1. Corinth. 9. Loquens enim de prædicatione Euangelij, quæ prodiit ex Hieruſalem ab Apoſtolis, inquit: Si ſpiritualia vobis ſeminauimus, quid magni eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Vnde verò inopiæ noſtræ in ſpiritualibus, quod ad redemptionem, remiſſionem, ſatisfactionē, expiationem peccatorum, iuſtitiam, ſalutem, & vitam æternam attinet, ſupplementum petendum ſit, in eodem loco, 2. Corinth. 8. expreſsè explicat Paulus: Hæc, inquit, gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt, quod propter nos, cùm diues eſſet, pauper factus ſit, vt nos illius paupertate diteſceremus. Et ad Roman. 1. & 5. In vno Ieſu Chriſto eſt exuberantia gratiæ & iuſtitiæ ad vitam. Eſt enim plenus gratia & veritate, vt ex plenitudine eius omnes accipiamus gratiā pro gratia. Nequaquam igitur Paulus vult merita ſupererogationis vendenda eſt aliis pro pecunia, ſicut Pontificij quæſtores fingunt. Eſt enim Scripturæ ſententia: Pecunia tecum ſit in perditionem, quia ſpiritualia exiſtimaſti pecuniis comparari, Acto. 8. Sed hoc tantùm dicit Paulus in illa ſua ſententia: quia prędicationem Euangelij, quo antea caruiſtis, à Hieroſolymitanis accepiſtis, ergo debetis ipſis hanc gratitudinem, vt externam ipſorum inopiam veſtris eleemoſynis ſubleuetis.

## SEXTVM ARGVMENTVM.

*Sextum fundamentum indulgentiarum. Credo communionem Sanctorum.*

Poſtremò fingunt, diſpenſationem ſeu nundinationem indulgentiarum fundatam eſſe in articulo illo fidei, quo credimus communionem Sanctorum. Communionem enim largius & latiſſimè interpretantur de meritis operũ ſupererogationis, quę non ſolis factoribus propria, ſed communia ſint omnibus fidelibus collata, in cōmune quaſi Eccleſiæ ærarium, ad quod ſolus Papa claues habeat, & pro data pecunia inde cuilibet vendat, quantum viſum fuerit. Hæc profectò ampliſſima eſt conſequentia, quę ex quouis, quiduis audet cōficere. Falſum enim & Scripturę contrarium eſſe in prioribus partibus euidentiſſimè oſtendimus, credētes ſuis bonis operibus poſſe, non tantùm pro ſuis peccatis ſatisfacere, & ſibiipſis ſalutem & vitam æternam promereri: ſed poſſe propterea multa ſupererogare, quibus ad ſolutionem pro ſuis peccatis, & ad meritum vitę æternæ poſſint accommodari

modari & imputari. Solius enim Chriſti obedientia & paſſio, expiatio, ſolutio & ſatisfactio eſt pro peccatis noſtris & precium ſeu meritum vitæ æternę, & ſolius Chriſti obedientia credentibus imputatur ad iuſtitiam & ſalutem. Articulus igitur ille fidei, nequaquam loquitur de tali communione, qualem in ſuis indulgentiis Pontificij fingunt, quæ Scripturæ ignota eſt: Imò quæ contra Scripturam pugnat, & cõtumelioſa eſt in Chriſtum. Et etiamſi per impoſſibile fingeretur, articulum illum fidei tale quid cõtinere: qua quæſo conſequentia nundinationes & Bullæ Pontificiæ attexerentur? Certè articulus ille fidei Catholicus eſt omnium temporum. Sed Pontificias indulgentias tota vetuſtas, ſicut mox oſtendemus, ignorauit. Et Græca Eccleſia impoſturas iſtas nunquam recepit.

*Sentẽtia verborum Symboli, cõmunio Sanctorum.*

Conſideretur autem quę ſit iuxta Scripturam articuli illius ſententia: ita enim apparebit, quẽadmodum Pontificij commento ſuo, de indulgentiis, pręcipuos fidei articulos deprauent, neceſſarias conſolationes obruãt, & pro auro verbi Dei non carbones: ſed ſtercora, damna, fraudes, & impoſturas traditionum humanarum ſupponant. Veteres enim verba illa de communione Sanctorum, in explicatione ſymboli Apoſtolici vix habent: ſed addita fuerunt, non vt peculiarem articulum conſtituerent: ſed vt eſſent declaratio præcedentis articuli de Eccleſia Catholica, quòd ſcilicet ſit cœtus & cõgregatio, ſeu ſocietas illorum, qui Spiritu Chriſti ſanctificantur, & membra ſunt vnius myſtici corporis ſub capite Chriſto. Nam κοινωνία etiam pro ſocietate accipitur. vt Galat. 2. Luc. 5. & 2. Cor. 8.

*Eccleſia cur dicta ſanctorũ communio.*

I. Deinde quia Eccleſia, ſicut Irenęus loquitur, eſt tanquam diues repoſitorium, in quod omnia bona & beneficia ſpiritualia ſanguine Chriſti acquiſita, quæ ad remiſſionem peccatorum, & vitam æternam conſequendam neceſſaria ſunt, Deus depoſuit, vt verbo & Sacramentis credentibus diſpenſetur: Et quia vnus eſt Deus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Chriſtus, vna iuſtitia & vita æterna, quæ ex æquo omnibus credentibus in Eccleſia proponuntur & applicantur: Ita, vt credentes communiter omnes habeant communionem ſeu participationem eorum bonorum, quæ in ſequentibus articulis de remiſſione peccatorum, & de vita ęterna continentur. Inde conſolatione dulciſſima Eccleſia vocatur communio Sanctorum. Licet enim dona in ſanctis ſint differentia, tamen quod ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam attinet, communio eſt omnium Sanctorum, qui communiter, ſimiliter, & ex æquo omnes gratia Dei, propter meritum Chriſti, fide accipiunt remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Ideo enim in Symbolo coniuncti ſunt illi articuli, communio Sanctorum, remiſſio peccatorum, & vita æterna.

II.

III. Tertiò, quia Sancti membra ſunt vnius corporis, officia igitur charitatis inter ipſos communia ſunt & eſſe debent, ſicut exemplo membrorum in corpore humano Paulus illud oſtendere & explicare ſolet. Et hæc eſt Sanctorum communio iuxta Scripturæ interpretationem. Nequaquam autem, vel de meritis ſupererogationis, vel de Pontificiis indulgentiis articulus ille fidei loquitur: Paulus enim iuſtitiam, remiſſionem peccatorum, & vitam æternam docet à capite ſubminiſtrari membris Eccleſiæ. Ex eius enim plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Quàm inſigni igitur deprauatione Pontificiæ indulgentiæ in illum fidei articulum intendantur, manifeſtum eſt.

Hæc ſunt præcipua argumenta ex Scriptura, quibus Pontificij falsò, fraudulenter, & malitioſè conantur Romanenſes indulgentias probare, & ſtabilire. Quæ enim præterea afferre ſolẽt, vel ad hæc capita referri poſſunt, vel indigna ſunt, quibus reſpondeatur, vt quod quidam adducere ſolent ex Pſalmo 119. Particeps ſum ego omnium timentium te. Dauid enim hoc tantùm dicit, quòd nõ priuatim apud ſe tantùm credat, confeſſionem verò metu periculi fugiat: ſed quòd diſiungat ſe ab impiis, (ſicut inquit, Funes impiorum circumplexi ſunt me, ſed legis tuæ non ſum oblitus) quodq; publica confeſſione oſtendat, ſe ſocium eſſe omnium, qui timent Dominum, & cuſtodiunt mandata eius (חבר enim ſocium ſignificat) & Græci reddiderunt κοινωνὸν, quod ſocium ſignificat, Luc. 5. 2. Cor. 8. Inde verò indocti fecerunt Pontificiale Participium, capiens in nundinationibus indulgentiarum partem à populo, partem à clero, partem ab vtroq;.

*Ineptæ allegationes Scripturæ.*

Lindanus pro ærario indulgentiarum Pontificiarum allegat illud Pſal. 121. Cuius participatio eius in idipſum, cùm non ignoret Pſalmum hoc dicere: Ieruſalem ædificatam eſſe, vt ſit ciuitas, in qua ſit coniunctio ſeu conſociatio talis, ſicut mox declaratur, vt illuc aſcendant tribus Domini ad teſtimonium Domini & ad iudicia. Præterea non defuerunt, qui ad negocium indulgentiarum detorſerunt illud Pſalm. 149. Ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manibus ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Sed hoc modo etiam Alcorani commenta ex Scriptura probari poterunt. Deſino igitur ſimilia deliramenta recitare.

*Lindani teſtimonium pro indulgentiarũm aſſertione.*

## CAPVT IIII.

*QVOD INDVLGENTIAE PONTIFICIæ, ſicut ſuprà eas deſcripſimus, primæ & veteri Eccleſiæ, hoc eſt, vniuerſæ, veræ, eruditæ, puriori antiquitati, per annos fermè mille & ducentos prorſus ignotæ fuerint.*

IN cæteris controuerſiis Pontificij veterum quorundam Scriptorum ſeu Patrum ſententias, & antiquitatis conſuetudines quaſdam producere ſolent. In hac verò de indulgentiis diſputatione, non poſſunt, vel vlla Patrum teſtimonia, vel vlla veteris Eccleſię exempla proferre, quòd talis vel doctrina, vel vſus talium indulgentiarum vllo vnquam tempore, vſq; ad annos poſt natum Chriſtum mille ducentos in veteri Eccleſia fuerit, ſicut Italica Pontificiorum practica habet: & ad huius rei probationem nullũ certius & efficacius argumentum eſt, quàm propria ipſorum aduerſariorum confeſſio. Durandus enim diſertè hoc fatetur hiſce verbis: De indulgentiis pauca dici poſſunt per certitudinem, quia nec Scriptura expreſsè de eis loquitur, ſancti etiam Patres, Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus minimè loquun-

*Indulgentiæ deſtituuntur omni vetuſtatis teſtimonio.*

*Fatentur hoc ipſi Pontificij: Durandus.*

*Antoninus.*

loquuntur de Indulgentiis. Antoninus etiam hoc fatetur illis verbis: De indulgentiis nihil expreſſè habemus ex ſacra Scriptura: nec etiam ex dictis antiquorum Doctorum, ſed Modernorũ. Addunt quidem, quod vulgò dicatur, Gregorium circa annum Domini 600. in Romanis ſtationibus dediſſe ſeptennes indulgentias. Sed audi quid Magiſter Angularis ad VVeſſelum ſcribat, circa annum Domini 1470. Verum eſt, inquit, de indulgentiis nihil expreſſè ex ſacra Scriptura haberi, nihil de his veteres ſcripſiſſe Doctores, quanquam Gregorius dicatur, quod tamen nuſquam legi, ſeptennes Romanis in ſtationibus indulgentias collocaſſe. Audis ipſos Pontificios fateri illud, quod dicatur de Gregorij indulgentiis, nuſquam legi. Nam nec ex Gregorij ſcriptis, nec ex vllis hiſtoriis oſtẽdi hoc poteſt: ſed fabulæ, vel, ſicut Terentius loquitur, λόγοι ſunt. Et poſt patrum etiam tempora, ſi ordine recenſeantur Scriptores Eccleſiaſtici, in nullo deprehenduntur veſtigia vel doctrinæ, vel praxeos de indulgentiis, ne apud poſteriores quidem, qui ante annum Domini 1200. ſcripſerunt, vt ſunt, Rupertus Tutienſis, Anshelmus, Bernhardus: imò nec apud Magiſtrum Sententiarum, nec in Decreto Gratiani quicquam habetur de Pontificiis indulgẽtiis. Hęc manifeſtiſſima ſunt. Et Roffenſis hoc non diſſimulat. Inquit enim: Multos fortaſſe mouet, indulgentiis iſtis non vſque adeò fidere, quòd earum vſus in Eccleſia videatur fuiſſe recentior, & admodum ſerò repertus apud Chriſtianos. Et poſtea reſpondet: In primitiua Eccleſia non tàm neceſſariam fuiſſe, ſiue Purgatorij, ſiue indulgentiarum fidem, atq; nunc ſit. Item inquit: Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæſiuit indulgentias: Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum exiſtimatio. Si tollas purgatorium, quorſum indulgentiis opus erit? Cum itaque purgatorium tàm ſerò cognitum ac receptum Eccleſiæ fuerit vniuerſæ: quis de indulgentiis mirari poteſt, quod in principio naſcentis Eccleſiæ nullus fuerit earum vſus? Cœperunt itaq; indulgentiæ, poſtquam ad purgatorij cruciatus aliquandiu trepidatum fuerat. Hæc Roffenſis.

*Magiſter Angularis.*

*Gregorij indulgentia fabuloſa.*

*Nec in Lombardo, nec in Gratiano extant indulgentia.*

*Roffenſis teſtimonium.*

*Cur veterib. ignota indulgentia.*

*Veteres doctores repugnãt indulgentiarum cõmento.*

*Petrus Lombardus.*

*Auguſtinus.*

Nec verò tantùm deſtituuntur veterum teſtimoniis Pontificiæ indulgentiæ: ſed contrarium prorſus docent veteres. Longobardus enim lib. 4. diſt. 17. dicit: Deum tunc tegere pœnitentium peccata, quando ad pœnam nõ reſeruat, ſed debitum pœnæ remittit. Idq; probat Auguſtini ſententia, qui locum Pſal. 32. Beati quorum tecta ſunt peccata, ita exponit: Tecta peccata, id eſt, cooperta & abolita. Si enim texit Deus peccatũ, noluit aduertere, ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, hoc eſt, punire ſed ignoſcere. Et addit: Deum videre peccata, eſt ea ad pœnam imputare: Auertere autem faciem à peccatis, eſt ea ad pœnam non reſeruare. Et Chryſoſt. Hom. 1. in Epiſt. ad Phylem. expreſſè dicit: Ad impetrandam peccatis noſtris veniam, non opus eſſe, vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca longinqua tranſire: Verba ipſa Chryſoſtomi adſcribam: ὁδὸς γὰρ ἐστὶ λύσεως τῶν ἁμαρτημάτων, οὐδὲ πόνων δεομένη, οὐδὲ δαπάνης χρημάτων, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλου οὐθενὸς, ἀλλ' ἁπλῶς προαιρέσεως; οὐκ ἀποδημίαν χρὴ στείλασθαι, οὐκ εἰς τὴν ὑπερορίαν ἐλθεῖν, οὐ κινδύνους ὑποστῆναι. hoc eſt, via ſolutionis ſeu remiſſionis peccatorum, nec laboribus indiget, nec pecuniarũ expenſa: ſeu vlla aliqua alia re: ſed ſimpliciter tantùm bono propoſito. Nõ opus eſt peregrinationem ſuſcipere, nec vltra montana aut externa loca petere, aut pericula adire & ſuſtinere, &c. Eandem ſentẽtiam habet Auguſtinus Sermone de Martyribus: Non dixit Deus, Vade in Orientem, & quære Iuſtitiam: nauiga vſq; ad Occidentem, vt accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi. Indulge, & indulgebitur tibi. Non opus habes inquirere peccatorum tuorum indulgentiam, ſi vis, intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Bernhardus etiã Sermone primo de Aduentu: Non te oportet ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis tibi oſtenditur via, vſq; ad temetipſum, Occurre Deo tuo: prope enim eſt verbũ in ore tuo, & in corde tuo. Chryſoſtomus Hom. 38. in Matt. Templum Dei ſpeluncam facit latronum, qui lucra terrena ſectatur, cultusque religionis eo modo, non tàm cultus eſt Dei, quàm iniquæ negociationis occaſio. Nam quotidie Ieſus ingreditur templum, & eiicit omnes vendentes gratiã Dei. Suprà etiam cùm de reliquiis Sanctorũ diſputaremus, oſtendimus, Gregorium Nyſſenum integram orationem oppoſuiſſe perſuaſioni de peregrinationib. ad loca Hieroſolymitana. Atqui pecunia & peregrinationes ſunt nerui indulgentiarum Pontificiarum, quos oſtendimus non tantùm deſtitui, verumetiam oppugnari & refutari teſtimoniis veteris Eccleſiæ. Quale igitur dogma ſit de Pontificiis indulgentiis, inde æſtimari poteſt, quòd I. Scripturæ documentis & exemplis prorſus deſtituitur. II. quòd repugnat præcipuis & manifeſtis fidei noſtræ articulis. III. quòd veteris & veræ antiquitatis in Eccleſia nulla habet, vel teſtimonia vel exempla. IIII. cuius fundamenta veterum ſententiis improbata, reiecta & refutata ſunt. Et tamen Tridentini Concilij impudentia non veretur fingere, poteſtatem conferendi indulgentias, quales in Pontificia Eccleſia vſitatę fuerunt, à Chriſto Eccleſiæ conceſſam, qua antiquiſſimis etiam temporibus Eccleſia vſa fuerit: cùm manifeſtiſſimum ſit, ad probandas Pontificias indulgentias, ſicut ſuprà deſcriptæ ſunt, ne vnum quidem certum & idoneum veteris Eccleſiæ ſeu teſtimonium ſeu Exemplum afferri poſſe. Quod enim ex ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia quidam ſubſidia Pontificiis indulgentiis conſcribere conantur: oſtendemus prorſus alienum & peregrinum eſſe.

*Chryſoſt. contra indulgentias.*

*Bernhardus.*

*Chryſoſtomus*

*Nerui Pontificij indulgentiarum pecunia & peregrinationes.*

*Concluſio de fundamentis indulgentiarum.*

*Tridentinorũ impudentia.*

### HISTORIA DE INDVLGENTIIS, *hoc eſt, quomodo ex ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia, ex mulctarum Canonicarum relaxatione, commutatione, ſeu redemptione, poſteris temporibus nouum genus indulgentiarum extructum ſit.*

Lindanus, animaduertens quàm inuidioſum & pudendum ſit, tàm recens eſſe commentum Pontificiarum indulgentiarum, vt nullo probato & idoneo vel teſtimonio vel exemplo veteris Eccleſiæ, per annos à nato Chriſto fermè 1200. pbari poſſit: conatur Lectoribus fucum

*Lindanus ex ritibus canonicarum ſatiſfactionum conatur indulgentias probare.*

fucum facere ex hiſtoria canonicarum ſatiſfactionum veteris Eccleſiæ. Quia enim illæ ſæpius leguntur imminutæ, decurtatæ, & relaxatæ, quando pœnitentium animus ſatis videbatur exploratus: contendit eandem etiam eſſe rationem indulgentiarum Pontificiarum, & eodem illas fundamento niti, cùm non ignoret, ritus illos veteris Eccleſiæ longè diuerſos eſſe à nundinatione Pontificiarum indulgentiarum, id quod ad oculum (quod dicitur) oſtendi poteſt, ſi deſcriptio Pontificiarum indulgentiarum, ſuprà expoſita, ad ritus publicæ pœnitentiæ veteris Eccleſiæ conferatur. Ne itaq; Lector fuco illo turbetur, de iſto Lindani argumento quædã dicenda ſunt. Vtq; refutatio ſine Lectoris tædio cum aliquo fructu fieri poſſit, hiſtorica obſeruatione oſtendemus, qui fuerint ritus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia, propter quas cauſas, & quo fine canonicæ illæ mulctæ lapſis fuerint vel impoſitæ, vel relaxatæ, quomodo progreſſu temporis in rigorem & auſteritatem non tolerandam euaſerint, vt de commutationibus earum fuerit cogitandum, quæ prauæ, ſuperſtitioſæ, & impiæ opiniones, ritibus illis ſenſim acceſſerint: & quomodo tandem aliæ Satiſfactiones, & nouæ Indulgentiæ, excogitatis aliis cauſis & finibus, excogitatæ fuerint, quæ in turpiſſimum quæſtum exierunt. Cuius nundinationis menſas, gratiam Dei turpiter cauponãtes, cùm Chriſtus verbo ſuo per Miniſterium Reuerendi viri Dn. D. Martini Lutheri potenter euertiſſet, & ex templo ſuo profligaſſet, ita, vt impudentes & profligatæ iſtæ Romanenſium Trapezitarum quæſturæ, toti iam mundo fœteant: Tàm bonus tamen lucri odor eſt ex re qualibet, vt Tridentinum Concilium nundinationes iſtas ſub interminatione Anathematis Eccleſiæ rurſus obtrudere non vereatur. Hæc hiſtorica obſeruatio multas diſputationes illuſtrabit, veram originem Pontificiarum indulgentiarum oſtendet, & monebit, quàm periculoſum ſit, humanis traditionibus, bona licet intentione inſtitutis & ſuſceptis, Eccleſiam obligare, & conſcientias onerare.

*Hiſtoria de publica veteris Eccleſiæ pœnitentia & ſatiſfactionibus canonicis.*

## *DE RITIBVS PVBLICAE POENITENTIÆ, ſiue quales fuerint canonicæ Satiſfactiones in veteri Eccleſia.*

*Quibus publica pœnitẽtia impoſita fuerit.*

HOc igitur conſtat, veterem Eccleſiam eos qui in perſecutione, vel fidẽ Chriſti abnegaſſent, vel Idolis ſacrificaſſent, vel in hæreſin incidiſſent, vel in alia grauia & manifeſta flagitia lapſi eſſent, non leuiter aut ſtatim ad primam pœnitentiæ ſignificationem, in Eccleſiam recepiſſe, & ad communionem admiſiſſe: ſed ꝓ publicis criminibus publicam etiam, ſiue in publico, agi volebant pœnitentiam. Et ad publicam illam pœnitentiam adhibebant varios externos ritus: partim vt Eccleſia ſuam ſolicitudinem, purgationem, indignationem, timorem, deſiderium, æmulationem, & vindictam erga publica, notoria, & grauia crimina oſtenderet: partim vt & ipſi pœnitẽtes publicis, manifeſtis, externis & viſibilibus ſignis ac teſtimoniis, dolorem animi ſui de peccato fidem ſuam ſeriò quærẽtem reconciliationem, ac propoſitum & ſtudium emendationis, toti Eccleſiæ oſtenderent & teſtatam facerent.

*Publicæ pœnitentiæ rituum cauſa.*

*Appellationes rituum.*

Ritus illos publicæ pœnitentiæ Græci, ſicut eſt apud Sozomenum lib.7.cap.16. vocarunt ἐπιτίμια καὶ τιμωρίας, hoc eſt caſtigationes, pœnas ſeu mulctas Eccleſiaſticas vel canonicas, Et in Baſilii regulis talia ἐπιτίμια pro lapſuum diuerſitate varia extant deſcripta. Latini vocarunt ſatisfactiones, inde & ideo, ſicut inquit Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. Quia enim dolor alterius cordis plerunque occultus eſt alteri, conſtituuntur tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata. Et quia Latina lingua, alicui ſatisfacere, intelligit ſtudium ſuum alicui declarare & probare, in ea ſignificatione Cyprianus & Auguſtinus opera illa pœnitentiæ aliquando dicunt ſatisfacere Deo. Illis enim pœnitentes declarant & approbant ſe Deo, quòd non ſimulent aut fingãt, ſed ſeriò agant pœnitentiam, ſicut ſcriptum eſt, Ionæ 3. Vidit Deus opera Niniuitarum, quòd conuerſi eſſent à viis ſuis malis. Quia verò verbum Satisfacere Latinis, ſicut Aſconius annotauit, vulgò ſignificat tantum facere, quantum irato homini ad vindictam ſatis eſt, ad obedientiam & paſſionem Chriſti rectè accommodatur vocabulum Satisfactionis. Incommodius verò & arrogantius eſt, ſi operibus pœnitentiæ tribuatur, præſertim cùm euentus oſtenderit, ex vulgari ſignificatione vocabuli Satisfactionis, honorem expiationis, propitiationis, perſolutionis, & compẽſationis pro culpa & pro pœna peccatorum noſtrorum, à Chriſto ad noſtra opera tranſlatum, vel certè inter Chriſtum & inter nos diuiſum. Et appellationem Satisfactionis iuxta vulgarem ſignificationem ſtatim ſub initium aliquid incommodi rebus ipſis attuliſſe, ex Cypriani diſputationibus apparet. Aſtexanus certè in Summa ſua dicit, ſatisfactionem culpam præteritam recompenſando curare: Et ſatisfactionem eſſe iniuriæ illatæ recompenſationem, ſecundum iuſtitiæ æqualitatem. Græcorum verò appellationes magis propriæ & ſignificantes ſunt, quæ cum Paulinis vocabulis, 2. Cor. 7. pulchrè conueniunt: quod enim Paulus vocat ἐκδίκησιν, hoc Sozomenus vocat δίκην ἐπιτιμίας καὶ τιμωρίας. Sed de rebus ipſis iam quædam annotabimus.

*Satiſfactionis vocabulũ vnde natum ſit.*

*Satiſfactionis vocabulũ incõmodius.*

*Aſtexanus de ſatiſfactionibus.*

*Græcorum appellationes.*

*Origo publicæ pœnitentiæ ab Apoſtolis.*

Prima igitur publicæ pœnitentiæ origo ex Apoſtolicę Eccleſię conſuetudine ſumpta eſt, quę qualis fuerit, ſuprà in explicatione loci Paulini, 2. Cor. 2. & 7. oſtendimus, & exemplum peccatricis, Luc. 7. idem oſtendere videtur. Quæ ideo diligentius obſeruanda ſunt, ex eorum enim conſideratione & collatione intelligi poteſt, quomodo poſteris temporibus ſubinde alia acceſſerint, & quomodo ab Apoſtolica origine paulatim longius diſceſſum ſit. Euſeb. lib. 3. cap. 17. ex Clemẽte deſcribit narrationem, quæ licet canonica non ſit, quædam tamen veſtigia monſtrat Apoſtolicæ cõſuetudinis, quædam verò addit, quæ quomodo Apoſtolorum ſcriptis & exemplis conſentanea ſint, Lector iudicet. Cùm enim Adoleſcens, quem Ioannes apud Epiſcopum quendam educari, & ad miniſterium Eccleſiæ inſtitutione formari voluerat, latronum dux factus fuiſſet: Ioannes ad ipſum profectus, ita eum reuocaſſe ad pœnitentiam ſcribitur: Ne formides, adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt. Ego Chriſto pro te rationem reddam, & ſi opus ſit,

*Exemplum publicæ pœnitentiæ tempore Apoſtolorum.*

*Hiſtoria de adoleſcente Ioannis Euangeliſtæ.*

tuam mortem lubens in me deriuabo, ſicut Chriſtus mortem pro nobis oppetiit: Conſiſte, crede, Chriſtus me ad te miſit. Ille, abiectis armis, oculis humi defixis conſtitit, poſtea tremēs amarè fleuit: Ioannem deinde ad ſe accedētem, cōplexus eſt gemitibus & vlulatibus, quoad poterat ἀπολογούμενος, quod recens Pontificius interpres Chriſtophorſomus ita reddit: pro culpa ſatisfecit. Vt enim Satisfactiones ſuas ſpecie aliqua vetuſtatis circūdent Pontificij, ſicut 2. Cor. 7. ἀπολογίαν reddiderūt ſatisfactionem: ita huic loco Euſebij Satisfactionem interpres infarſit, & quidem pro culpa dicit Latronem iſtum ſatisfeciſſe, quod ne Scholaſtici quidem dicere audent. Significat autem ἀπολογεῖσθαι, crimen vel excuſare, vel diluere, vel ratione reddita aliquid defendere, quę ſignificationes huic loco conuenire non poſſunt: neque enim pœnitentis eſt, peccata vel excuſare vel defendere. Significat autem pręterea ἀπολογεῖσθαι, reum eſſe, & culpam ſeu crimen deprecari, quę ſignificatio huic loco pulchrè conuenit, quod ſcilicet latro iſte lamētis oſtenderit, ſe reatum ſuum agnoſcere, & culpam ſeriò deprecari. Quales igitur fuerint veterum Satisfactiones (ſi ita loqui libeat) ex hoc loco patet. Addit autem Clemens, Ioannem interpoſito iuramento ſpopondiſſe, ſe ipſi, cùm dexteram homicidij ream occultaret, à Seruatore veniam ſeu remiſſionem precibus ſuis inuenturam. Atq; ita, inquit Clemens, ipſum ad Eccleſiam reduxit, crebris orationibus ἐξαιτούμενος rei culpam deprecans, cōtinuis ieiuniis συναγωνιζόμενος, vnà cum reo concertans, animumq; eius conſolationibus verbi diuini erigens & confirmans, nec prius inde diſceſſit, quam ipſum Eccleſiæ reſtituiſſet. Et hanc pœnitentiā Clemens vocat ἀνάστασιν βλεπομένην, reſurrectionē à peccatis viſibilem, publicam, ſeu externam, in qua publicas ſeu communes preces Eccleſia meritò adiunxit. De illis enim ſcriptum eſt, Iaco. 5. Si in peccatis fuerit, remittētur ei. Et 1. Ioan. 5. Si quis viderit fratrem ſuum peccare, petet, & dabit ei vitam. Quod verò narratio Clementis dicit, latronem illum conuerſum, lachrymarum vnda ſecundò baptizatum, interpretatione & mitigatione valde commoda opus habet, ſicut, quod Ioannes ſcribitur dixiſſe, ſe Latronis iſtius mortem ſuſcepturum, ſicut Chriſtus noſtram.

*Chriſtophorſomus interpres Euſebij. Apologia quid.*

*Incommodè dictum.*

Ad hanc formam reliqua etiam exempla publicæ pœnitentiæ, quæ in hiſtoriis extant, congruunt, niſi quòd ſubinde noua quædam additamenta acceſſerunt: vt quod Euſe. lib. 5. cap. 27. ſcribit de Natalio, reuerſo ab hæreſi Theodoti, quę Chriſtum ſolum hominem eſſe blaſphemabat, quod ſacco indutus & cinerib. aſperſus, cū magno mœrore & lachrymis ad pedes Zepherini Epiſcopi ſe proſtrauerit aduoluēs ſe pedibus, non modò clericorum, ſed & laicorum, ita vt Eccleſia Chriſti commiſerata & condolens, lamentis vnà ſe dederet. Cumq; multis precibus vſus fuiſſet, & vibices plagarum, quos in viſione ab Angelis accepiſſet, oſtendiſſet, vix tandem in communionem Eccleſię receptus fuit: Ita lib. 6. cap. 35. Sidonius & Celerinus à Nouato ad Eccleſiam reuerſi ἀποδυράμενοι καὶ μεταγινώσκοντες, lachrymis, dolore & pœnitentia deplorarunt, quòd ab Eccleſia deſciuiſſent, ac præſente tota Eccleſia, maleficia Nouati denunciarunt. Et ibidem alius à Nouato ad Eccleſiam reuerſus, peccatum ſuum publicè confitetur & deplorat, ac poſtea recipitur. Et cap. 27. ſcribit, quod Epiſcopus Philippum Imperatorem Chriſtianum, propter multa ab ipſo commiſſa, non prius admiſerit ad communionem piorum in Eccleſia, quàm exomologeſin feciſſet, & ſe collocaſſet inter eos, qui propter lapſus (ἐξεταζομένους) publicè explorabantur ſeu examinabantur, & locum pœnitētium occupabant. Vbi verbū ἐξετάζεσθαι, quod inquiſitionem ſeu examinationem alicuius ſignificat, de publica pœnitentia vſurpatum obſeruetur, inde enim vſus ſeu finis illorum rituum colligi poteſt.

*Natalius quomodo egerit publicam pœnitentiam.*

*Sidonius & Celerinus quomodo.*

*Philip. Imp. pœnitentia.*

Eodem modo Irenæus lib. 1. cap. 9. de mulieribus quibuſdam à Marco hęretico ad Eccleſiam reuerſis ſcribit: quòd in publico exomologeſin fecerint, plangentes, & lamentantes. Quid verò fuerit ἐξομολόγησις veterum, Tertullianus explicat in libro de pœnitentia. Is, inquit, actus confeſſionis, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur: nō quidem, vt ignaro, ſed ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaq; Exomologeſis proſternēdi & humiliandi hominis diſciplina eſt, conuerſionem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoq; habitu & victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animū mœroribus deiicere. Cæterùm paſtum & potum pura noſſe non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa, plerunq; verò ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. Hæc omnia dicit Exomologeſin continere.

*Irenæus de pub. pœnit.*

*Exomologeſis veterum & eius ritus ex Tertull.*

Ambroſius etiam lib. 1. de pœnitentia, cap. 16. ritus publicę pœnitentiæ ita deſcribit: Volo veniam reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoſcatur obſecret, & cùm ſecūdò ac tertiò fuerit dilata eius cōmunio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabiliter, poſtea reuertatur, pedes teneat brachiis, oſculetur oſculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt dicat Dominus Ieſus: Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniā dilexit multum. Cognoui, inquit, quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lachrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtrauiſſe corpus ſuum calcandum omnibus, ieiuno ore ſemper & pallido, mortis ſpeciem ſpiranti, in corpore prætuliſſe.

*Ambroſius de pub. pœnit.*

Et ne opus ſit ſingula percenſere, adſcribam locum Sozomeni ex lib. 7. cap. 16. vbi ritus publicæ pœnitentiæ, qui in occidentalibus Eccleſiis, & maximè in Romana vſitati fuerunt, ita deſcribit: In loco manifeſto & peculiari ſtant pœnitentes, mœſti, & veluti lugentes. Ac finita liturgia, cùm myſteriorum participes non fiant, cum planctu & lamentatione ſemetipſos in terram pronos abiiciunt: Tum ex aduerſo Epiſcopus lamentabundus accurrens, conſimiliter humi cum eiulatu collabitur, ac tota deniq; Eccleſiæ multitudo lachrymis ſuffunditur. Poſt hæc Epiſcopus primus exurgit, ac iacentes erigit, & quantum conuenit, pro peccatoribus pœnitentibus precatus, eos dimittit. Priuatim verò ſpōte ſua,

*Ritus publicæ pœnitentiæ in Eccleſiis occidentalibus ex Sozomeno.*

te ſua, vel ieiuniis, vel lotionum ciborumq; abſtinentia, vel aliis ſibi iniunctis, ſemetipſum affligens tempus expectat, in quantum Epiſcopus præſtituit. Præfinito autem die pœna iam quaſi debito quopiam exoluta, à peccatis abſoluitur, & in communionem recipitur.

*Gradus obſeruati in publica pœnitentia.*

Ad talem publicam pœnitentiam Patres olim diligenter lapſos inuitabant & exhortabantur. Ac gradus hoſce ſeruarunt: Primò, quãdo ſponte ſe offerebant, ac competebant pœnitentiam ſibi dari, ſeu ſatisfactionẽ iniungi, maximè laudabantur. Secundò, qui verò lapſi hoc ſponte non faciebant, illos Epiſcopus publicè coram omnibus arguebat. Tertiò, quòd ſi nec tunc publicam confeſſionem ſeu pœnitentiam ſuſcipere vellent, publicè excommunicabantur, nec prius recipiebantur, quàm publicam egiſſent pœnitentiam. Quartò, vſitata etiam erat via denunciationis, vt ſi qui noſſent aliquem crimen non multis notum commiſiſſe, illum ad ſuſcipiendam publicam pœnitentiam exhortarentur. Si nollet, denunciabant hoc Epiſcopis. Et videntur hi gradus ex Scriptura primitus ſumpti fuiſſe, vt primus gradus, ex hiſtoria peccatricis, Lucæ ſeptimo. Secundus, ex Paulo, 1. Timoth. 5. Tertius, ab excommunicatione Pauli, 1. Cor. 5. Quartus, ex Regula Chriſti, Matt. 18. Fuit autem publica pœnitentia, aliquando ſolennis, cuius ritus, ſed recentiores, deſcribuntur apud Gratianum, diſt. 50. Can. 1. in capit. Quadrageſimæ. Antiquiores verò deſcribuntur in Carthag. concilio 3. Can. 32. In Agathenſi, Can. 11. & 37. Et cauſa 11. Quæſt. 3. Ex concilio Auraſicano citatur hic canon: Cùm aliquis excommunicatus, pœnitẽtia ductus veniam poſtulat, & emendationem promittit, Epiſcopus, qui eum excommunicauit, ante ianuas Eccleſiæ venire debet, & duodecim presbyteri cum eo, & ſi ille terræ proſtratus, veniam poſtulat, & de futuris cautelam ſpondet, tunc Epiſcopus apprehenſa manu eius dextera, in Eccleſiam illum introducat, & communioni Chriſtianæ reddat. Illa verò ſolennis pœnitentia olim ſemel tantùm dabatur in Eccleſia, nec reiterabatur. Quòd ſi tales rurſus lapſi ſeria confeſſione reuertebantur ad Eccleſiam, non dabatur ipſis locus publicæ pœnitentiæ, nec tamen omnino repellebantur, ſed permittebantur quidem intereſſe prædicationi, orationi, & myſteriorum celebrationi, ſed communio ipſis non dabatur, niſi in extremis. Auguſtin. tamen poſtea talibus rurſus permiſit locum publicæ pœnitentiæ, Epiſt. 54. Alia verò fuit ſine ſolennitate publica pœnitentia, pro criminibus, non tàm grauibus, vel occultis ſolùm. Illa poterat ſæpius iterari. Hæc paucula de ritibus publicæ pœnitentiæ hoc loco annotare volui, vt oſtenderem ſatisfactiones, de quibus Pontificij in materia indulgentiarum diſputãt, longè alias & diuerſas eſſe à canonicis veteris Eccleſiæ ſatisfactionibus: Has enim veteres pro publicis criminibus in publica pœnitentia imponebant. Pontificij verò pro priuatis, occultis, & quibuslibet peccatis volunt iniungi ſatisfactiones. Cumq; veterum ſatisfactiones vnà cum publica pœnitentia prorſus exoleuerint & abolitæ ſint, in Pontificia Eccleſia de inani titulo, & de vmbra rei, non amplius exiſtentis, diſputant, ac talium ſatisfactionum indulgentias vendunt, quæ nullibi iam in rerum natura extant. Potius operam dare debebant, vt vtiliſſima illa veteris Eccleſiæ diſciplina, quæ hiſce profligatis temporibus ſummoperè neceſſaria eſſet, Eccleſiæ ſine conſcientiarum laqueis reſtitueretur, quatenus ea Apoſtolicis ſcriptis conſentanea eſt, & ad ædificationem Eccleſiæ, pro ratione horum temporum, ſeruire poſſet. De talibus neceſſariis & vtilibus rebus non ſunt ſoliciti Pontificii, tantùm pro receptis ſatisfactionum ſuarum ſuperſtitionibus, & pro quæſtibus indulgentiariis dimicant. Iudicaui etiam annotationem hanc de ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia ideo hoc loco repetendam eſſe, vt eò commodius oſtendi poſſet inclinatio ad traditiones inextricabiles, & quomodo tandem, cùm conſcientiæ eas amplius tolerare non poſſent, indulgentiarum fraudes inde extrui cœperint.

*Origo horum graduum.*

*Ritus pœnitentia publica ſolennis & non reiterabilis.*

*Publica pœnitentia vulgaris & reiterabilis. Diſcrimen inter veteres ſatisfactiones & pótificias.*

### *QVALIS FVERIT RATIO POENITENtiæ pro occultis criminibus. Item pro quotidianis delictis in veteri Eccleſia.*

ILli verò ſatisfactionum ritus, ſeu publica Eccleſiaſticarum caſtigationum ſpectacula, non omnibus, qui in exercitiis Chriſtianæ pœnitentiæ veniam peccatorum ſuorum apud Deum quærebant, imponebantur: ſed tantùm pro publicis & grauiſſimis criminibus, quibus vniuerſa Eccleſia offenſa fuerat. Ita enim dicit Canon 32. Concilij Carthaginenſis tertij: Cuius pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſam Eccleſiam commouerit, ante atrium Eccleſiæ manus ei imponatur. Et Auguſtinus in Enchiridio cap. 65. inquit: Sed neq; de ipſis criminibus, quamlibet magnis, remittendis, in Eccleſia Dei deſperanda eſt miſericordia agentibus pœnitentiam, ſecundum modum ſui cuiuſque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commiſſum eſt, vt is, qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, nõ tàm conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Verùm, quia plerunq; dolor alterius cordis occultus eſt alteri, rectè conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ.

*In publicis criminibus pœna.*

Et inter veteres quidem Origenes & Cyprianus cohortationibus ſuis apud populum inſtiterunt, pro occultis etiam, item pro paruis & modicis peccatis, publicam exomologeſin, & vſitatas tunc ſatisfactiones, in ſe reciperent: ſicut Cyprianus Sermo. 5. de lapſis inquit: Qui fide maiore & timore meliore, quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam, paruis licet & modicis vulneribus, inquirunt. Et Origenes in Pſalmo 37. inquit: Oportet peccatum non celare intrinſecus, fortaſsis enim ſicut hi, qui habent intus clauſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho grauiter imminentia, ſi vomuerint releuantur: Ita etiam hi, qui peccauerunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus vrgentur & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator

*Origenes, Cyprianus, de occultis peccatis.*

 fiat,

fiat, dum accuſat ſeipſum & confitetur, ſimul euomit delictum, atque omnem morbi digerit cauſam.

*De occultis pub. pœnis.*

Et ita quidem illi lapſos exhortati ſunt, quorum lapſus in enormibus criminibus vel occulti erant, vel intra conatum & attentationẽ conſtiterant. Quidam etiam exhortationibus illis moti, ſpontè ſicut ex Cypriano oſtendimus, ſe detulerunt, & publicam exomolegeſin ſuſceperunt. Et Origenes addidit vtilem admonitionem in Pſalm. 37. Circumſpice, inquit, diligentius, cui debeas confiteri peccatum, proba prius medicum, cùm debeas languoris cauſas exponere, vt ſi is intellexerit & præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multi hac deliberatione & ſatis periti medici illius conſilio procurandum eſt.

*Presbyter pœnitentiarius in Eccleſiis orientalibus.*

In Græca verò Eccleſia, ſicut ſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 16. odioſum viſum fuit crimina occulta, tanquam in Theatro audiente Eccleſiæ multitudine, patefacere. Conſtituerunt itaq; presbyterum ſecretorum tenacem, ad quem lapſi accedentes lapſus ſuos confitebantur. Ille verò lapſus illos occultos non proferebat in publicum: ſed lapſis imponebat ἐπιτίμιον, mulctam ſeu caſtigationem Eccleſiaſticam, quam oporteret ipſos publicè exoluere, vt lapſus quidem non proderentur in publicum, ex publicis tamen mulctis ſeu ſatisfactionibus Eccleſia intelligeret ipſos grauiter deliquiſſe. Et hæc in libello, qui Auguſtini titulo fertur, de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap. 53.

*Secreta ſatisfactio.*

vocatur ſecreta Satisfactio, quæ fiebat mutato habitu ſeculari. Verba hæc ſunt: Quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premũt, hortor, prius publica pœnitentia ſatisfacere, ac ita ſacerdotis iudicio reconciliatum communioni ſociari. Sed & ſecreta ſatisfactione ſolui mortalia crimina, non negamus, ſed mutato prius ſeculari habitu, &c.

*Abrogatio pœnitentiarij qualis.*

Sed & hic ritus in Græca Eccleſia, ante tempora Chryſoſtomi ſub Nectario, circa annum Domini 400. publicè abrogatus eſt, & quiſque ſuæ conſcientiæ permiſſus, vt, prout conſideret, ad myſteriorum communionem accederet. Quod de criminibus occultis intelligendum eſt: In publicis enim, manifeſtis & notoriis criminibus manſit ſeueritas diſciplinæ, & excommunicationis, etiam in Græca Eccleſia.

Diximus hactenus de criminibus enormibus, quando vel publica erant vel occulta, qualis ratio publicæ pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis fuerit in veteri Eccleſia. Cùm verò tota vita credentium in hoc ſeculo ſit perpetua pœnitẽtia, & quotidiana debeãt eſſe Chriſtianę pœnitentię exercitia, veniam enim & remiſſionem peccatorum petimus quotidiè, quando oramus: Dimitte nobis debita noſtra, & quando cõmunionem corporis & ſanguinis Chriſti accipimus. Veteres in quotidianis lapſibus ſeu peccatis non impoſuerunt pœnitentib. peculiares mulctas, caſtigationes, ſeu ſatisfactiones, ſicut in criminibus enormibus. Veterum enim diſtinctio eſt, quam aliquoties repetit Auguſtinus, vt ad Seleucianum,

*Triplex ratio Veterum agendi pœnitentiam.*

& de vtilitate pœnitẽtiæ, & in Enchiridio: Triplicem ſcilicet eſſe rationẽ agendæ pœnitentiæ: Primam competentium, ſiue ad Baptiſmum venire ſitientium, quibus nulla imponebatur ſatisfactio.

*Prima ante Baptiſ.*

*Secunda in delictis quotidianis.*

*Tertia in criminibus.*

Secundam prope quotidianam, quæ omniũ bonorum & fidentium eſt, in qua nõ imponebatur ſatisfactio: ſed tũdimus, inq̃t, pectora noſtra, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra. Tertiam vocat pœnitentiam grauiorem & luctuoſiorem, in qua propriè vocantur pœnitentes pro criminibus ingentibus ſeu nefandis, vbi congrua imponebatur ſatisfactio. Et de Symbolo lib. 1. cap. 6. inquit: Semel abluimur Baptiſmate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, ꝓ quibus neceſſe eſt, vt à corpore Chriſti ſeparemur, quod abſit à nobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiã, ſcelera commiſerunt aut adulteria, aut aliqua facta immania, inde agunt pœnitentiam. Nam ſi leuia peccata ipſorum eſſent, hæc quotidiana oratio delendo ſufficeret. Ergo, inquit, tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, in Baptiſmate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ. Et in Enchiridio cap. 71. de quotidianis peccatis quotidiana oratio fideliũ ſatisfecit: Dimitte eis, &c.

*Origenes.*

Origenes etiam in Leuit. cap. 15. inquit: Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quę non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei: ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio cõſiſtat, huiuſmodi culpa ſemper reparari poteſt, nec aliquãdo tibi interdicitur, de commiſſis huiuſmodi pœnitudinem gerere. In grauioribus enim criminibus ſemel tantùm vel raró pœnitentię conceditur locus. Iſta verò cõmunia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.

*Hieronymus.*

Idem etiam indicat vulgatum Hieronymi dictum, in quo dicit, Euangelicam eſſe ſatisfactionem, qui deponit veterem hominem cum actibus ſuis denegat ſemetipſum, & mundo crucifigitur. Item qui expoliat veterem hominem, & mortificat membra, quæ ſunt ſuper terram, iuxta dictum Chriſti: Vade, & noli amplius peccare. Addit autem: Interea fateor, longè aliam eſſe rationẽ de criminum pœnitẽtia, & ſatisfactione, de qua Eccleſia, quãdo læſionem accepit & offenſa eſt, publicè ſuum iudicium interponit, indicens ſatisfactionem publicam & grauiorẽ, vt innoteſcat omnibus verè pœnitere, qui prompto animo ſuſcipiant, quicquid Eccleſia decreuerit.

*Vtilitas præcedentis diſtinctionis prima.*

Hanc diſtinctionem ex hiſtoria antiquitatis ideo hoc loco indicare volui, vt, ſicut in præcedenti capite oſtendi, Pontificios prorſus iam nõ habere in ſua Eccleſia veteris Eccleſię ſatisfactiones, & longè alias fuiſſe ſatisfactiones in publica pœnitentia veteris Eccleſiæ, quàm ſint illæ, de quibus Pontificii nunc dimicant: Ita ex hac nunc indicatione Lector perſpiceret, vanum eſſe Pontificiorum commentum, quo fingunt, pro omnibus & quibuſcunque peccatis imponendas eſſe ſatisfactiones, quæ vel in hac vita, vel in purgatorio exoluendæ ſint. Oſtendimus enim, veterem Eccleſiam tantùm pro enormibus, ingentibus, ſeu nefandis, ſicut loquuntur, criminibus, ſuas ſatisfactiones impoſuiſſe pœnitẽtibus: pro reliquis quotidianis delictis quotidiana fidelium oratione, Dimitte nobis, &c. ſatisfactum fuiſſe.

Addit & hæc diſtinctio aliquid lucis, quòd veteris Eccleſiæ ſatisfactiones, quæ propriè ita vocabantur, pro criminibus grauioribus, & impo-

*Ante abſolutionem.*

nebantur & exoluebantur ante Abſolutionem & communionem. Quando verò tales pœnitentes Eccleſię iam reconciliati erant, admonebantur, vt iam reconciliati non amplius peccarent, ſed facerent fructus dignos pœnitentia, vt ſcilicet in futurum eſſent cautiores & vigilantiores, ad cauenda peccata & coercendam carnē, vt peccati reliquias contrariis pharmacis curarent, & vitioſos habitus, malè viuendo comparatos, contrariis virtutum exercitiis tollerent & abolerent. Quas admonitiones reliquis etiam fidelibus in quotidianis & leuioribus peccatis poſt Abſolutionem & communionem diligenter & ſeriò proponebant, ſicut in ſecunda parte huius examinis de ſatisfactionibus tales veterū ſententias quaſdam adſcripſimus, & Scripturæ conſentaneas eſſe oſtendimus.

*Poſt abſolutionem.*

*Fructus pœnitentiæ à Veteribus dicti ſatisfactiones.*

Et ſcio veteres, tales fructus veræ pœnitentiæ aliquando ſatisfactiones vocaſſe, vt cū Auguſtinus dicit: Satisfactionem pœnitentiæ eſſe cauſas peccatorum excindere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum præbere. Item, ſatisfactio pœnitentiæ eſt: Vade, & amplius noli peccare. De pœnitent. diſtinct. 5. Quales ſatisfactiones nec pecunia redimi, nec indulgentiis remitti debere aut poſſe certū eſt: ſunt enim mandata diuina. Sed Pontificij de hiſce vtilibus & neceſſariis commonefactionibus, ad emendationem vitæ facientibus, non admodum ſunt ſoliciti: tantùm nugantur de ſatisfactionibus indebitis, quas pecunia in indulgentiis redimi, aut ſuppliciis purgatorij lui oportere fingunt. Falsò itaq; Pontificij antiquitatis titulū ſuis prætexunt ſatisfactionibus, vt illæ data pecunia redimantur & indulgentiis remittantur. Appellatio ſanè ſatisfactionum antiqua eſt: ſed res longè alię fuerūt in veteri Eccleſia, quàm nunc ſunt apud Pontificios, quod ex indicationibus hiſtoriarū veteris Eccleſiæ manifeſtū eſt.

### *QVAS CAVSAS ET RATIONES VETVS Eccleſia habuerit, propter quas, & quo fine canonicas ſatisfactiones publicè lapſis impoſuerit.*

*Satisfactiones Veterum & recentes Pontificiorū finibus differunt.*

NEc verò, quoad ſubſtantiam ſeu materiam tantùm diuerſæ ſunt Pontificiorum ſatisfactiones à veteris Eccleſiæ ritibus, ſicut iam oſtendimus, ſed fines etiam prorſus alij & diuerſi fuerunt. Pontificij enim fingunt, ſuas ſatisfactiones eſſe compenſationes, vel pro peccatis, vel pro pœnis peccatorum, adeo ad remiſſionem peccatorum quorumcunque neceſſarias, vt ſi non in hac vita, vel opere exoluantur, vel data Pontificibus pecunia redimantur, luendas eſſe poſt hanc vitā in igne purgatorij. Hac enim hedera ſuſpenſa, indulgentias ſuas vendibiles faciunt. Sed quia ſatisfactiones ſunt traditiones humanæ, non mandatæ diuinitus, planum de illis iudicium eſt iuxta ſcripturam, Coloſ. 2.

*Satisfactiones Eccleſiæ Veteris non pertinuerunt ad remiſſionē peccatorum.*

Et quod vetus Eccleſia non iudicarit, illas ſuas ſatisfactiones ad remiſſionem peccatorum neceſſarias eſſe, inde manifeſtum eſt: Primò, quòd non eædem vel ſimiles fuerint in omnibus Eccleſijs, ſicut indicat Sozomenus. Secundò, quòd non pro omnibus peccatis, ſed tantùm pro grauiſſimis criminibus eas impoſuerunt, pro quotidianis enim delictis dixerunt ſatisfieri quotidiana oratione: Dimitte nobis debita noſtra. Item ſatisfactionem eſſe: Vade, & noli amplius peccare. Tertiò, quia manente miniſterio & conſolatione remiſſionis peccatorum, veterum illæ ſatisfactiones ſenſim cœperunt in Orientali primùm Eccleſia obſoleſcere, & tandem in Occidentali etiam Eccleſia prorſus interciderunt & abolitæ ſunt. Quartò, quia in periculo mortis, ſiue in caſu deſperato, etiamſi nondum peracta eſſet canonica ſatisfactio, decreuerunt remiſſionem peccatorum pœnitentibus impertiendam, & eos ad cōmunionem admittendos, Euſeb. lib. 6. cap. 36. Imò iis, qui toto vitæ tempore pœnitentiam auerſati, in extremo vitæ ſuæ eam peterent, reconciliationem ſeu remiſſionem peccatorum, & viaticum Euchariſtię impertiebant, ſicut decreuit quarta Synodus Carthaginenſis. Et licet adderetur illa conditio, vt ſi ſuperuixiſſent ſtatutis pœnitentiæ legibus poſtea ſubderentur, tamen ſi contingeret eos mori, de remiſſione & reconciliatione eos nequaquā volebant dubitare, nec purgatorii ignis horroribus & ſuppliciis eos deſtinabant: ſed ſicut Dionyſius Alexandrinus ſcribit, hæc ipſis conſolatio proponebatur, vt accepta remiſſione peccatorū, ἐυέλπιδες ἀπαλλάττωνται, bona ſpe confirmati ſeu freti, ex hac vita decederēt. Quibus omnibus contraria & docentur & aguntur in Pontificia Eccleſia, aliàs enim merces indulgentiarum ſuarum non poſſent extrudere. Vetus igitur Eccleſia non docuit ſatisfactiones ſuas ad ipſam remiſſionem peccatorum neceſſarias eſſe, nec ſenſit ſatisfactiones illas, ſi in hac vita non exoluerentur, in purgatorij igne luendas eſſe. Quæ duo ſi Pontificiis auferantur, menſæ numulariorum, & Cathedræ vendentium indulgentias ſubuerſæ erunt.

Alias verò cauſas & rationes habuerunt veteres, ob quas publicè lapſis impoſuerūt ſuas ſatisfactiones, alios etiam fines ſuis ſatisfactionibus propoſitos habuerunt: quæ omnia ex hiſtoria antiquitatis manifeſtè hoc modo colligi poſſunt. Quædam enim ipſum Eccleſiæ corpus, quædam Eccleſię membra, quædam eos, qui foris ſunt, quædam ipſos pœnitentes concernunt

& reſpiciunt. Primò enim pro publicis & enormibus criminibus impoſitæ fuerunt tales ſatisfactiones, ſeu mulctę potius, vt Eccleſia publico Teſtimonio oſtenderet, ſicut Paulus inquit 2. Cor. 7. ſuam ſolicitudinē, apologiam, indignationem, timorem, æmulationem, vindictam, aduerſus talia crimina, ne propter tales lapſus & crimina verbū Dei malè audiret, & nomen Domini blaſphemaretur inter gentes, quaſi Eccleſia eſſet colluuies quædam ſceleratorum hominum, vbi libertas ſeu impunitas traderetur & concederetur quęuis ſcelera perpetrādi. Et quia Magiſtratus tunc plerunq; erat Ethnicus, multa non puniens, quæ tamen in Eccleſia pro criminibus habentur, Eccleſia in hunc vſum peculiare Presbyterium conſtituit, vt publicę Eccleſiaſticæ mulctę imponerētur pro illis etiam criminibus quæ à magiſtratu Ethnico non puniebantur, ſicut Tertullianus in Apologetico oſtē-

*I. Cur enormiter & publicè peccantibus, Satisfactiones Canonicæ fuerint impoſitæ.*

dit. II. Vt Eccleſia ipſo facto oſtenderet, ſe non cōmunicare peccatis ſeu operibus infructuoſis aliorum, Epheſ. 5. Sed vt teſtatum faceret, ſe incontaminatam, puram, & innocentem eſſe, quod ad illa crimina attinet, ſicut Paulus 2. Cor. *II.*

III. 7. inquit. III. Vt Eccleſiæ ſcandalis criminum offenſæ & læſæ, tali externa pœnitentia Satisfactione rurſus ſatisfieret, ſicut Auguſtinus inquit:
IV. IV. Ne modicum fermenti totã maſſam corrũperet, 1. Cor. 5. Sed vt huiuſmodi ſeuerioribus mulctis ſeu caſtigationibus reliqui admoniti, à leuitate delinquendi abſterriti, maiori diligen-
V. tia lapſus cauerent & vitarent. V. Quia multi, ſimulatione pœnitẽtiæ recepti, poſtea nouis ſceleribus maiora excitabãt ſcandala, vel alias turbas in Eccleſia mouebãt: Eccleſia igitur illis ritibus pœnitentiũ animos ꝓbabat & explorabat, an ſeriò ipſos delicti pœniteret, & an ſerium haberent emendationis propoſitũ, ſeu, vt Hieronymus inquit, vt innoteſceret omnibus verè pœnitere, qui prompto animo ſuſcipiant quicquid Eccleſia decreuerit. Ideò Euſebius verbum ἐξετάζεσθαι, ritibus illis publicæ pœnitentiæ tri-
VI. buit. VI. Quia experientia oſtendit, multos grauiter lapſos, plerumq; non ſatis conſiderare lapſuum grauitatem, atq; adeo ea, quæ ad veram pœnitentiam ſeu conuerſionem pertinent, leuiter, frigidè & perfunctoriè curare & agere, ita vt dolor cõtritionis ſit frigidus, & fides perfunctoria. Veteres igitur impoſuerũt publicè lapſis ſuas mulctas canonicas, vt illa diſciplina lapſis eſſet commonefactio, oſtendens magnitudinẽ & abominationẽ lapſus, & eſſet incitamentum, eliciens & excitans ſerium & non ſimulatũ animi de peccatis dolorem, timorem iræ diuinæ, ac veram peccati deteſtationẽ: vtq; fides non obiter & perfunctoriè, ſed ſeriò & ex animo peteret, quæreret, & ambiret miſericordiã Dei propter Chriſtum. Et hoc eſt quod Tertullianus dicit, Exomologeſin iniungere conuerſionem mi-
VII. ſericordiæ illicem. VII. Quia lapſus criminum efficiunt, & poſt ſe relinquunt in animis veſtigia quædam ſeu radices, tanquam affectationes & fomites ad alios nouos lapſus: Vt igitur pœnitentibus ſemper obuerſaretur fœditas, grauitas, & abominatio prioris lapſus: vtq; in poſterum cautiores & vigilantiores aduerſus peccata redderentur, & à nouis lapſibus, quaſi fræno quodam reuocarentur & coercerẽtur, & aſſuefierent occaſiones lapſuum vitare, publicas illas mulctas pœnitentibus impoſuerũt, vt reliquias prauarum affectionum animi ex peccandi conſuetudine, petulantia, ſeu enormitate cõtractarum, ita curarent, ſanarent, purgarent, & radices illas oppoſitis contrariis remediis extirparent, ne inde alia & noua lapſuum germina pullularẽt, ſed vt ad virtutes, prioribus vitiis oppoſitas, ſe aſſuefacerẽt. Et hoc eſt quod Euſeb. lib. 6. cap. 35. dicit: Romæ in magno Concilio decretum fuiſſe contra Nouatum, fratres lapſos ἰᾶσθαι καὶ θεραπεύειν τοῖς τῆς μετανοίας φαρμάκοις, pœnitentiæ
IIX. medicamentis curandos & ſaluandos eſſe. IIX. Quia atrocia delicta plerumq; comitantur atroces pœnæ, quæ ſæpè etiam alios ſimul inuoluũt, Et ſcriptura teſtatur tales pœnas tota, vera, & ſeria pœnitẽtia, pro bona Dei voluntate, ſæpe vel tolli, vel mitigari. Vt igitur lapſi ad ſeriam & veram pœnitentiam ac deprecationem pœnarum commonerentur & excitarentur, diſciplinam illam inſtituerunt, vt eſſet commonefactio eius, quod Paulus dicit: Si nos ipſos iudicaremus, non diiudicaremur à Domino. Et Eccleſia ſimul pœnam deprecabatur. Non autem humanis illis ritibus tribuerunt placationem iræ diuinæ: ſed, ſicut Tertullianus inquit: Quia ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Item: Exomologeſis diſciplina eſt proſternendi & humiliandi hominis, iniungens conuerſionem, miſericordiæ illicem.

Has cauſas & hos fines, cùm ad excitandam veram & ſeriam pœnitentiam vtiles fuerint, nec Scripturæ repugnent, ſi non aſſuantur aliæ impiæ & ſuperſtitioſæ opiniones ſeu conſcientiarũ laquei, nemo ſanus improbat. Et in hoc laborare debebãt Pontificii, vt quantum his temporibus fieri poſſet, talis vtilis diſciplina, ſine laqueis conſcientiarum, & ſine impiis opinionibus, Eccleſiæ reſtitueretur. Sed boni iſti Patres de quæſtu indulgentiarum ſuarum tantùm ſunt ſoliciti, quas niſi per nouas & ſuperſtitioſas de Satisfactionibus ſuis opiniones, ſ hominibus obtrudere non poſſe vident. Et quia illis titulum veteris Eccleſiæ circundare conantur, hunc prætextum ipſis ex hiſtorica obſeruatione detrahere volui. Si enim ea, quę de Pontificiarũ Satisfactionum & indulgentiarũ deſcriptione ſuprà expoſuimus, ad haſce hiſtoricas obſeruationes cõferãtur, res plana erit. Nec verò neſcius ſum, veteres aliquando nimis largiter, & verbis nimiũ magnificis diſciplinam illam canonicam commendare: Vt, quod Tertullianus dicit, Satisfactionibus illis peccata expiari: Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, ſanari, & Iudicem placari: Ambroſius pœnas Gehennæ illis compenſari: Auguſtinus, Deum illis de peccatis præteritis propitiari. Ea talia ſunt, quę ſalua fide nec poſſunt nec debent ſicut ſonant accipi & intelligi, id quod Gropperus ipſe fatetur. Expiatio enim, propitiatio, abſolutio, purgatio, redemptio & reconciliatio pro peccatis, ſolius Chriſti meritum eſt, quod iuxta Scripturam verbo & Sacramentis offertur & fide accipitur. Gropperus igitur tales veterum Hyperbolas non malè mitigat hoc tropo: quòd ſcilicet talis diſciplina fuerit incitamentum ad veram pœnitentiam, in qua fide propter Chriſti meritum peccata expiantur & abluuntur, & Deus credentibus placatur. Radices etiam peccatorũ expurgandas eſſe pœnitentia, & tota pœnitentia pœnas peccatorum aliquando vel tolli, vel mitigari, iam in præcedentibus oſtendimus. Et quia externa illa Eccleſiaſtica diſciplina excitamentũ & fomentum iudicabatur veræ & ſeriæ pœnitentiæ: tropo quodam talia veterum dicta excuſanda cenſet Gropperus Pontificius, cùm quidem ipſe Tertullianus talem interpretationem non obſcurè oſtendat in illo, quod modò citauimus, dicto: Quia ſcilicet Satisfactione confeſſio diſponatur, confeſſione pœnitentia naſcatur, & pœnitentia Deus mitigetur. Quòd ſi reliqui Pontificii illam Gropperi interpretationem ſeu mitigationẽ recipere noluerint, ſed τὸ ῥητὸν in veterũ dictis contra Chriſti Satisfactionem & meritum vrgere perrexerint, prouocabimus ad locum illum communem, in quo ipſi Patres pronunciant, quid de hominum ſcriptis, ſicubi à norma & Regula Scripturæ declinare videntur, iudicandum & ſentiendum ſit, ſicut in prima parte multis patrum ſententiis hoc oſtendimus.

*Immodicæ & incommodæ laudes canonicæ diſciplinæ apud veteres.*

*Tertullianus. Cyprianus. Ambroſius. Auguſtinus.*

*Gropperus quomodo mitiget veterum Hyperbolas.*

Sicut verò, quando humanæ traditiones nimium

*Superſtitiones ritib. publica pœnitẽtia aſſutæ. Cypriani error de Satisfactione canonica.*

mium vrgentur, fieri ſolet, ſubinde aliquid ſuperſtitionis illis etiam ritibus publicę pœnitentiæ adhæſit, quæ opiniones aliquando ab aliis reiectæ, aliquando verò ſtabilitæ ſunt. Vt Cyprianus diſciplinam illam, quaſi ad remiſſionem peccatorum neceſſariam ita vrgere videbatur, vt contenderet, ante Satisfactiones illas ritè ac plenè peractas, neminem abſoluendũ aut communicandũ, & abſolutionem datam ante completam Satisfactionem non valere. Item qui lapſi, dum ſani eſſent, non egiſſent pœnitentiam, etiamſi poſtea in morbo eam peterent, eos tamen omnino à ſpe communicationis & pacis prohibendos. Alij verò tunc, & quidem ipſius Cypriani ſacerdotes & Martyres illius temporis, contrarium & ſenſerunt & fecerunt, ſicut ipſe Cyprianus conqueritur. Dionyſius etiam Alexandrinus apud Euſebium libro 6. capite 36. contrarium ſtatuit. Nicenus enim Canon 12. & Carthaginenſis quarti Concilij Canon 76. & 77. diuerſum decreuerunt, ſicut in præcedentibus oſtendimus. Poſtea verò ſuperſtitioſæ opiniones, de meritis ſatisfactionum ſtabiliri & exaſperari cœptæ ſunt, donec tandem veteri illa diſciplina Eccleſiaſtica prorſus collapſa, & penitus abolita, ſuperſtitioſæ tamen illæ opiniones manſerunt, & aliis nouis Satisfactionibus ac indulgentiis adhæſerunt, ſicut in ſequentibus oſtendemus.

*Contradictũ Cypriano.*

Hæc de veteris Eccleſiæ Satisfactionibus in ſecunda parte, in loco de pœnitentia, explicata ſunt. Hoc loco verò plenius aliquantò repetenda fuerunt, vt explicatio & refutatio illius argumenti, quo Pontificij indulgentiis ſuis ex veteris Eccleſiæ ſatisfactionibus ſpeciem aliquam circumdare moliuntur, ex ipſis fundamentis monſtraretur. Et ad integram hiſtoriam, de origine indulgentiarum omninò etiam hæc hiſtorica narratio pertinet.

## DE CANONIBVS POENITENTIALIBUS.

*Indulgentiæ quid primitus in eccleſia fuerint.*

HActenus in genere diximus de diſciplina veteris Eccleſiæ, in publica pœnitentia, quia verò olim ſingulis criminibus publicis ſeu lapſibus grauioribus certæ mulctæ pœnitentiariæ conſtitutæ & decretæ fuerunt. Et illarum mulctarum relaxationes ſeu remiſſiones primitus appellatæ fuerunt indulgentiæ. De illis igitur etiam quædam dicenda ſunt. Et Euſebius quidem lib. 6. cap. vlt. refert: Dionyſium Alexandrinum ſcripſiſſe ad Ægyptios Epiſtolam de pœnitentia, in qua expoſuerit, quæ ſibi de lapſis ſtatuenda viderentur, τάξεις παραπτωμάτων διαγράψας, deſcribens gradus criminum. Poſtea verò certis Canonibus, quos pœnitentiales vocarunt res illa comprehenſa fuit in Cõcilio Ancyrano ac Niceno, & in aliis ſequentibus Conciliis. Et in Baſilio deſcribuntur talia aliquot capita τῶν ἐπιτιμίων, tanquam Canones, pro quibus delictis, quæ mulctæ imponendæ, quæ capita huc referri poſſunt. Extant autem Canones illi pœnitentiales ſparſim in diuerſis multorum libris prolixè deſcripti & collecti à Burchardo ac Gratiano. Sed nos præcipuos, quàm fieri poterit breuiſſimè hoc loco annotabimus, vt in vna quaſi tabella veteres pœnitentiales canones expoſiti hiſtoricam illam obſeruationem, quomodo Satisfactiones illæ primò nimium cumulatæ & exaſperatæ, poſtea verò ſenſim collapſæ, & tandem prorſus abolitæ ſint, facilius Lectori declarare poſſint. Nam & inde veterum indulgentiarum origo, mutatio, & nouarum nundinatio manifeſtè oſtendi poterit.

*Origo & cauſa canonum pœnitentialium.*

## CANONES POENITENTIALES *ex Concilio Ancyrano.*

QVi ſacrificarunt idolis, & in templis idolorum habitu cultiori cœnarũt, vno anno conſtituantur inter audientes, tribus inter pœnitentes. Poſtea per biennium communicent orationi, & reconcilientur Sacramentis.

*Qui idolis ſacrificarunt, &c.*

Si manducauerunt flentes, poſt triennij pœnitentiam ſuſcipiantur ad communionem, ſed ſine oblatione, hoc eſt, vt ipſi oblationem non offerant.

Si perducti ad templa idolorum, non manducarunt, biennio maneant in pœnitentia, tertio anno communicent.

*Adducti ad idolorum templa.*

Qui minis territi ſacrificarunt, primò inter audientes conſtituantur, poſtea per triennium peragant pœnitentiam, & poſt biennium communicẽt, ſed ſine oblatione, vt ita demum poſt ſexennium plenè reſtituantur.

*Sacrificantes idolis minis fracti.*

Qui vi coacti aliquoties ſacrificarunt, quatuor annis pœniteant, duobus annis ſine oblatione communicent, & ſeptimo demum anno reſtituantur.

*Coacti vi ſacrificare.*

Qui aliis cauſa fuerunt defectionis, per triennium inter catechumenos habeantur, per aliud ſexennium pœniteant, vt ita poſt decennium reſtituantur.

*Defectionis autores.*

Qui cum beſtiis rem habuerũt, 25. annis pœniteant, poſt per quinquennium orationi communicent, vt poſt annos triginta demum Sacramentis communicent.

Adulteri poſt ſeptem annorum pœnitentiam reſtituantur.

*Adulteri.*

Mulieres partum abigentes, per decennium pœniteant.

Homicidium voluntarium vſque ad exitum vitæ pœnitentiæ ſubijciatur. Quod caſu cõmiſſum eſt, quinquennij pœnitentiam habeat.

*Homicidium voluntariũ.*

Qui diuinationibus vtuntur, quinquennio agant pœnitentiam.

*Diuinatores & pythonici.*

## EX CANONE NICENO.

QVi præter neceſſitatem metu periculi abnegarũt fidem, tribus annis inter audientes habeantur, & ſeptem aliis annis ſint inter pœnitentes, poſt per biennium ſola oratione communicent.

*Metu periculi fidem abnegantes.*

Qui conuerſi redierunt ad vomitum per triennium ſint inter audientes, poſtea per decennium inter pœnitentes.

*Poſt pœnitentiam relapſi.*

## EX BVRCHARDO LIB. XIX.

SI homicidium feciſti voluntariè, 40. dies continuos, quod vulgus teutonicè carrinam vocat, in pane & aqua ieiunes, & ſeptem annos ſequentes pœnitentiam agas.

*Voluntarius homicida.*

Si homicidium feciſti in bello, tres quadrageſimas pœniteas.

*Homicidiũ in bello.*

*Cædes fortuita.* Si caſu aliquem occidiſti, ieiunes carrinam, & quinquennio pœniteas.

*Parricidium.* Si occidiſti vel parentes, vel vxorem, vel ſeniorem tuum, per totam vitam pœniteas, & in vltimo tandem vitæ termino viaticum tibi conceditur.

Si truncaſti membrum alicuius, per annum pœniteas. Si vulneraſti, carrinam ieiunes.

*Occidēs preſbyterum.* Qui Presbyterum interfecerit, ita debet pœnitere, quaſi octo homicidia commiſiſſet.

*Periurium.* Periurium habet ieiunium carrinæ, & pœnitentiam ſeptem annorum.

*Iuramenta leuia.* Ocioſa vel leuia iuramenta, partim ſeptem, partim 15. partim 40. dierum pœnitentiam habent.

*Sacrilegium.* Si furatus es aliquid ex Eccleſia, ieiunabis tres carrinas, & ſeptem annis pœnitebis.

*Furtum è domo Chriſtiani.* Si domum Chriſtiani furando perfregiſti, per vnum annum pœniteas.

*Adulterium ſi alter ſit ſolutus.* Adulterium, vbi vna perſona ſoluta eſt, habet vnam carrinam & ſeptem annos. Si vtraque perſona coniugata eſt, duæ ſunt carrinæ, & quatuordecim anni.

*Fornicatio.* Fornicatio habet pœnitentiam decem dierum.

*Cum ſanctimoniali.* Fornicatio cum ſanctimoniali habet pœnitentiam carrinæ & ſeptem annorum.

*Corrumpens virginem & ducens eam.* Si corrupiſti virginem, & duxiſti, annum vnum pœniteas: Si non duxiſti, pœniteas per biennium.

*Raptus.* Raptus mulieris punitur carrina & ſeptem annis.

*Falſum teſtimonium.* Falſum teſtimonium punitur vt adulterium, furtum, & homicidium.

*Magia.* Vſus artis magicæ habet pœnitentiam biennij *Superſtitio.* Superſtitio 40. dierum.

Soluiſti ieiunium, pœniteas vel viginti, vel quadraginta dies.

*Ebrietas.* Ebrietas habet pœnitentiam decem dierum.

*Detractio.* Detractio & maledictum ſeptem dierum ieiunium habet.

*Inceſtus.* Inceſtus habet pœnitentiam vſque ad mortem.

*Sodomia.* Sodomia decennij pœnitentiam habet.

*Communicās cum excommunicato.* Habuiſti communionem cum excommunicato, ieiunes carrinam, & pœniteas ſeptennium.

Coitus præter naturam tres quadrageſimas habet.

*Burchardus fuit Vuormacienſis Epiſcopus an. 1020.* Hæc quę præcipua eſſe iudico, ex Burchardo, qui circa annum Domini 1020. VVormacienſis Epiſcopus fuit, annotare volui. Inde enim vocabula, quæ in Bullis quibuſdam indulgentiarum vſitata ſunt, intelligi poterunt de carrenis, quadragenis, & ſeptenis. *Carrina forenſe vocabulum eſt.* Burchardus ſcribit, carrinam, & dicit eſſe teutonicum vocabulum, cuius etymologia germanica, ſi qua eſt, eadē, vt arbitror, fuit, ſicut ſeptimana & dies paſſionis Chriſti, Germanis vocantur Die Carwochen vnd der Karfreytag. Quando enim in foro reus mulctam à iudice impoſitam, vt læſo pro iniuria, vel pro damno ſatisfiat, perſoluit: Germani dicunt, abtrag/karr vnd wandel thun. Mulctas igitur pœnitentiales forenſi vocabulo nominarūt Carrinas. *Carena à carendo.* Alij ſcribunt carenam, & à carēdo deducunt. *Carena quid.* Fuit autem Carena ieiunium quadraginta dierum in pane & aqua, quibus diebus à templo & congreſſu hominum abſtinere cogebantur. *Quadragena.* Quadragenam appellarunt, quantum ex Burchardo colligi poteſt, tres carenas, ſeu tres quadrageſimas, quarum prima fuit cōmunis illa ante Paſcha, altera ante feſtum Ioannis, tertia ante natiuitatem Domini. *Septena.* Septenam appellarunt pœnitentiam ſeptem annorū, quam Burchardus ita deſcribit: Primo anno, exceptis feſtis, in totum abſtinebant à vino, medone, ceruiſia, carne, ſanguine, à caſeo, & ab omni pingui piſce. In ſecundo & tertio anno ieiunium feriæ tertiæ, quintæ, & ſabbati poterat redimi. In quatuor poſtremis annis, ieiunabāt tantùm tres dictas quadrageſimas: Feria verò tertia, quinta, & ſabbato edebant quicquid vellent. *Ritus publicæ pœnitentiæ.* Portò publica pœnitētia ita dabatur, ſicut ex Concilio Agathenſi citat Burchardus in c. quadrageſimæ. Ante fores Eccleſiæ pœnitentes ſe repræſentabant Epiſcopo ciuitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, ipſo habitu & vultu reos ſe proclamātes. Ibi ſecundum modum culpæ pœnitentia per præfixos gradus iniungebatur. Poſtea in Eccleſiā introductis, manus imponebantur, miſſo cinere, caput cilicio operiebatur, coma deponebatur, veſtimenta mutabantur, & cum gemitu ac ſuſpiriis denunciabatur ipſis, quod, ſicut Adam proiectus eſt de Paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis abijcerentur: & miniſtris mandabatur, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellerent, &c.

## CANONES POENITENTIALES *ex Gratiano.*

EXtant & in Decretis Gratiani ſparſim varij canones pœnitentiales, quos in vnum collectos, breuiter hoc loco adſcribemus, vt collatio inſtitui poſſit.

*Presbyter ſcortator.* Si Presbyter fornicatus fuerit, pœnitentiam decem annorum facere debet, hoc modo, vt in loco remoto incluſus, ſacco indutus, & humi proſtratus, tribus primis menſibus continuis à veſpera in veſperam pane & aqua vtatur, exceptis diebus feſtis. Poſtea vnum annum & dimidium in alio loco pane & aqua expleat. Deinde ad pacem admittatur, & vſque ad expletionem ſeptimi anni feriam ſecundam, quartam, & ſextam, in pane & aqua ieiunet. Tribus vltimis annis omni ſexta feria in pane & aqua ieiunet. Hæc deſcribuntur Diſtinct. 82. cap. Presbyter.

Qui duas ſorores vel cognatas cognouit, ſeptem annis pœniteat, 35. quæſtione vltima. Si quis.

*Pollutam à ſe ducens vxorem.* Qui ducit in matrimonium illam, quam polluit per adulterium, quinque annis pœniteat, 31.

*Inceſtus.* Qui cum brutis coierit, vel inceſtum commiſerit, plus quàm ſeptenis annis pœniteat, q. 2. Hoc ipſum, &c.

*Votum violans.* Violans votum pœniteat tribus annis, Diſt. 27. Si vir, &c.

*Homicida voluntarius.* Homicida voluntarius pœniteat ſeptem annis, caſualis quinque annis, Diſt. 50. cap. Miror, Et eos. *Fortuitus.* Qui ex neceſſitate fecerit homicidium, duobus annis pœniteat, Diſt. 50.

*Matricida.* Matricida decem annis pœniteat, ita vt per annum integrum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ ſtet orans. Deinde in

Eccleſia ſtet inter audientes, poſt trienniũ communicet. Omnibus his annis carnem non manducet, vinum non bibat, vehiculo non vehatur. Ieiunet tribus diebus per ſeptimanam, vſque ad veſperam 33. quæſt. 2. cap. Latorem.

*Occidens clericum.*

Eius, qui clericum occiderit, variȩ deſcribuntur pœnitentiæ, 17. quæſt. 4. Vel enim ſeptem annis pœnitere cogitur, vel viginti annis, vel cogitur exire de ſeculo, vel vſq; ad mortem non abſoluitur.

*Periurus & falſo accuſans ad mortem.*

Periurus, & qui aliquem iniuſtè ad mortem accuſat, 40. diebus in pane & aqua ieiunet, & ſeptem annis pœniteat, 6. quæſt. 1. & 22. quæſt. 5.

*Pœnitentiam violans.*

Qui frangunt pœnitentiam ſolennem, pœnitere debent annis 10. & in fine vitæ communicentur, 33. quæſt. 2.

*Sacrilegium.*

Sacrilegium habet pœnitentiam ſeptem annorum, 12. quæſt. 2.

*Communicãs cũ hæreticis.*

Qui cum hæreticis communicarit, pœniteat annis decem, 24. quæſt. 1.

*Magia vſus.*

Magiæ vſus habet pœnitentiam quinque annorum, 16. quæſt. 5.

*Irreconciliabilis.*

Qui non vult cum proximo pacem facere, vno anno pœniteat, & ad pacem redeat, 22. quæſtione 2.

Qui vxorem adulteram non pœnitentem agnoſcit, tribus annis pœniteat, 21. quæſt. 1.

Qui filiam ſpiritualem, quam vel baptizauit, vel de baptiſmo ſuſcepit, cognouerit, pœniteat duodecim annis, 30. quæſt. 1.

Poſſent autem plures Canones pœnitentiales addi ex Decretalibus, & ex aliorum Decretis vel ſcriptis, vt de pœnitentia eorum, qui in quadrageſima non abſtinebant ab vxoribus & à carnibus. Item, qui comedebant animalia morticina, vel aues ſtrangulatas, vel piſces mortuos, vel ſanguinem. Item, qui non dicebãt horas Canonicas, &c. Sed noſtrum inſtitutum non eſt omnia recentiora illa colligere. Nam & Burchardus fatetur pœnitentiali Bedæ & recentiorum, plura eſſe ab aliis inſerta, quæ antiquis canonibus non conueniant. Hos verò præcipuos vetuſtatis canones ideo hoc loco adſcripſimus, vt conſideretur, quemadmodum cumulati & exaſperati ſint canones illi, vtque ex collatione eò planius intelligatur, quemadmodum in Pontificia Eccleſia collapſi, nũc & aboliti prorſus ſint veteres illi ritus publicæ pœnitentiæ: & quemadmodum ſenſim nouæ ſeu aliæ Satisfactiones & indulgentiæ ſurrogatæ ſint. Inde enim vera origo indulgentiarum rectè monſtrari & intelligi poterit.

## DEMONSTRATIO HISTORICA, QVOD *Indulgentiæ olim aliud nihil fuerint quàm moderationes, relaxationes, ſeu remiſſiones illarum mulctarum canonicarum, quæ in publica pœnitentia vſitatæ tunc erant.*

*Quæ veteris Eccleſiæ fuerint indulgentia.*

Hiſtoria itaque antiquitatis, multis exemplis oſtendit, veterem Eccleſiam in mulctis illis ſeu caſtigationibus Eccleſiaſticis ſeu canonibus quæſiuiſſe & adhibuiſſe varias moderationes, relaxationes & remiſſiones, pro circumſtantiis temporum, perſonarum & lapſuum, & prout pœnitentes vel citius vel euidentius oſtenderent & probarent ſeriam reſipiſcentiam. Quando enim fines illos, propter quos diſciplinam Eccleſiaſticam inſtitutam fuiſſe diximus, caſtigatione vel moderatiore vel breuiore ſe aſſequi poſſe videbant, nolebant rigorem canonum pœnitentialium nimis duriter vrgere, ſed aliquid, vel de rigore mulctarum relaxabant, vel de temporis diuturnitate remittebant, & ante expletum tempus Canonicarum ſatisfactionum pœnitentes ſæpius ad communionem admittebant. Et vocabulum quidem indulgentiarum in hac materia apud veteres illos vſurpatum non facilè inuenitur, vocarunt enim mitigationes, moderationes, relaxationes & remiſſiones. Poſtea tamen indulgentias vocarunt, quando de iniunctis & ſuſceptis illis publicæ pœnitentiæ ſatisfactionibus aliquid, vel quo ad rigorem diſciplinæ, vel quo ad temporis prolixitatem, vel relaxabatur, vel remittebatur. Aliquot autem exemplis veteris Eccleſię oſtendemus, quomodo moderationes ſeu relaxationes illæ factæ ſint. Inde enim manifeſtum euadet, quid & quales veteris Eccleſiæ indulgentiæ fuerint.

*Indulgentia vocabulũ veteribus ignotum.*

*Indulgentia quid, & in quibus.*

*Exempla & teſtimonia relaxationum ſatisfactionis Canon. pœnitentibus impoſita.*

Primò igitur aſperitatem canonum pœnitentialium ſæpius coacti fuerũt relaxare & moderari, vt vel breuiores, vel pauciores, vel mitiores conſtituerent ſatisfactiones in publica pœnitentia. Ita Nicenus Canon 11. dicit, eos qui præter neceſſitatem fidem abnegarant, olim nulla miſericordia dignos habitos, tunc verò aliquid humanitatis circa ipſos oſtenſum, conſtituta ipſis pœnitẽtia duodecim annorum. Et Canõ Ancyranus 21. dicit, antiquam definitionem fuiſſe, vt mulieres, quæ vel cõceptus excutiunt, vel partus necant, vſque ad exitum vitæ ab Eccleſia remoueantur. Nunc verò, inquit Canon, humanius diffinimus, vt eis decem annorum pœnitentia tribuatur. Et Canon 22. inquit: Qui caſu homicidium fecerint, iis prior quidem regula ſeptem annorum pœnitentiam imponit. Hæc verò humanior definitio quinquénij tempus tribuit. Ita Agathenſe Concilium Canone 37. inquit: Lapſis à fide grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas, quibus nos annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij imponimus. Hoc ſi preſcripto modo facere voluerint, vetus obſeruatio relaxetur, &c. vbi vocabulum Relaxationis obſeruetur. Huc pertinet etiam, quòd ſuprà diximus, quemadmodum Cypriani & aliorum aſperitas mitigata fuerit, de pace & communione danda illis, qui in exitu vitæ conſtituti, vel tunc primum pœnitentiam petebant, vel ſatisfactiones impoſitas nondum compleuerant. Et hoc fuit vnum genus relaxationum ſeu indulgentiarum veteris Eccleſiæ.

*Canon Nicenus. I. Leuiter fidẽ abnegantes.*

*Ancyranus. II. Abigentes fœtum, vel necantes partũ.*

*III. Fortuitum homicidium.*

*IIII. A fide lapſi.*

*Vocabulũ relaxationis.*

Secundò etiam poſtquam iuxta Canones iniunctæ & ſuſceptæ iam erant ſolennes publicæ pœnitẽtiæ ſatisfactiones, exhibitis tamẽ & perſpectis ſufficientibus veri doloris & ſeriæ reſipiſcentię documentis, ad interceſſionem, vel fidelis populi, vel Martyrum ſæpius, vel de iniunctis mulctis aliquid remittebatur, vel ante completum publicæ pœnitentiæ tempus in canonibus præſcriptum reconciliabantur. Ita apud Euſebium libro ſexto, capite 35. Epiſcopus quidam à Nouato ad Eccleſiam flebiliter lamentans, & crimen apertè confitens, reuerſus populo vniuerſo pro eo rogante, in communionem recipitur.

*Secundũ genus mitigationis, eſt ſatisfactionũ iã impoſitarũ.*

*Exemplum Euſebij.*

*Cyprianus.*

cipitur. Et apud Cyprianum, Martyres diligenter inſpecta pœnitentium vita, cùm viderét pœnitentiam ſatisfactioni proximam, ſuis interceſſionib. apud Eccleſiæ præſides impetrabant, vt de pœnis Canonicis, quæ pœnitentibus iniunctæ erant, aliquid minueretur & relaxaretur, vt ſatisfactionibus nõdum impletis, reconciliarentur. Martyres enim illi ſiue confeſſores libello de Catasta miſſo, ſuis manibus ad Eccleſiæ præſides ſcribebant, vt in ſui gratiam hi aut illi ad communionem reciperentur, Cyp. lib. 3. Epiſt. 15. 16. & 18.

*Tertia ratio relaxationũ authoritate Epiſcoporum.*

Tertiò, ipſi etiam Epiſcopi cùm viderent, pœnitentes ſufficiẽtia doloris ſui reſipiſcentiæ, conuerſionis, & emendationis ſigna declaraſſe, ne nimia auſteritate, vel in deſperationem, vel in dedolentiam proturbarentur, de iniunctis pœnis aliquid relaxabãt, & ante completum publicæ pœnitentiæ tempus lapſos recipiebant. Cùm enim ſe hoc, quod ritibus illis quærebant, veram ſcilicet contritionem, & ſerium emendationis propoſitum in pœnitentib. aſſecutos viderent, iudicarunt conſcientiis non eſſe laqueos inijciendos.

*Ancyranus canon.*

Ita Ancyranus Canon 5. dicit Epiſcopum hãc habere licentiam oportet, vt perſpecta ſingulorum pœnitentium conuerſatione humanius agens, tempus pœnitẽtiæ alicui, vel prolixius, quoad correctioni neceſſarium viderit, addat. Item, diſcutiatur horum & præcedẽs vita & poſterior, & ita circa eos ſacerdotalis humanitas moderetur. Et 5. Canon Nicenus dicit: Habeantur excommunicati, quouſque vel in communi, vel ipſi Epiſcopo ſuo viſum fuerit, humaniorem circa eos ferre ſententiam.

*Burchardus.*

Burchardus etiam ex dictis Hieronymi citat: Quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia ciborum tantum, quantum mortificatio vitiorum: Ideò tempora pœnitentiæ, fide, & cõuerſatione pœnitentium abbreuianda præcipiuntur, & negligentia protelanda exiſtimantur.

Hæ fuerunt veteris Eccleſiæ, ſiue relaxationes ſiue indulgentiæ, à quibus, quemadmodum Pontificiæ indulgentiæ per omnia genera cauſarum diuerſæ ſint, ex hac narratione, & ex deſcriptione indulgentiarum, in principio expoſita, ſi fiat collatio, manifeſtum eſt. Atque ideo nudam tantùm pono recitationem, relinquens Lectori collationem diuerſitatis.

### *QVOMODO POSTEA SVCCESſerint redemptiones, ſeu commutationes publicarum ſatisfactionum.*

POſt veræ & primæ antiquitatis tempora ſucceſſerunt redemptiones, ſeu commutationes publicarum ſatisfactionum, vnde ſenſim inclinatio facta fuit ad alias & nouas indulgentias.

*Finis ſatisfactionum Canon. alius factus.*

Cùm enim veterum ſatisfactiones non amplius, ob illam cauſam & in hunc finem vſurparentur, vt lapſis eſſent excitamenta, & fomenta veræ contritionis & ſeriæ emendationis, ſed acceſſiſſet opinio operis operati, & tamen ex Scriptura oſtendi non poſſet, neceſſarias illas eſſe ad remiſſionem peccatorum, & ad reconciliationem cum Deo, facta itaque fuerunt onera illa publicarum ſatisfactionum, ſicut cumulata & exaſperata erant, intolerabilia. Atque ideo cùm veteres ſatisfactiones in totum retinere non poſſent, alia enim fuerat ratio temporum patrum ætate.

*Cauſa commutationis & redemptionis ſatisfactionum. Canon.*

Ne igitur ſubitò in vniuerſum conciderent, redemptiones ſeu commutationes introduxerunt, vt aliquas retinerent, aliquas commutarent.

*Burchardus. Commutatio ieiunij vnius diei in pane & aqua. Pſalmorum ignoratio.*

Ita Burchardus ex pœnitentiali Romano multa de redemptionibus ſatisfactionum tranſcribit, vt pro vno die, quem in pane & aqua quis ieiunare debet, quinquaginta Pſalmos genibus flexis, vel ſeptuaginta ſtando dicat, & vnum pauperem paſcat. Qui Pſalmos non nouit, diues vnum diem tribus denariis, pauper vno redimat vel tres pauperes paſcat.

*Hebdomada. Menſis. Annus.*

Vna hebdomada redimitur trecentis Pſalmis. Vnus menſis Pſalmis mille ducentis. Pro vno anno det pauperibus in eleemoſynam viginti duos ſolidos, pro quadragenis computet precium cibi & potus ſui, ac medietatem eius diſtribuat in eleemoſynam pauperibus.

*Peregrinationibus redempta ſatisfactiones.*

Fuerunt & peregrinationib. ſatisfactiones publicæ redemptæ ſeu commutatæ, 33. quæſt. 1. Plures verò aliæ tales redẽptiones ſeu permutationes apud Burchardum diſtribuuntur, nos exempli tantùm gratia has adſcripſimus.

*Damna ex his redẽptionibus & commutationib. ſecuta. Epicureiſmus. Perſuaſio operis operati.*

Sed ex illis redemptionibus ſeu commutationibus, cùm leuius & facilius fieri poſſent, mox ſubſecuta fuit languefactio veræ contritionis, ſeriæ emendationis euerſio, & perſuaſio impunitatis in delictis. Perſuaſio enim cœperat adhęreſcere illis permutationibus, tanquam opere operato Deo pro peccatis ſatisfieri. Burchardus enim ex Concilio Cabilonenſi, quod tempore Caroli Magni celebratum fuit, deſcribit canonem contra illos, qui ex induſtria peccantes, propter eleemoſynarum largitionem, quandam ſibi promittebant impunitatem, videbantur enim Deum quaſi mercede conducere, vt eis impunè peccare liceret.

*Clerici.*

Citat ex eodem Concilio & alium Canonem: Sunt Clerici, qui negligenter viuentes, in eo purgari ſe à peccatis putant, ſi Romam, Turonum, & alia quædã loca, ſub prætextu orationis, peragrent.

*Laici. Potentes. Pauperes.*

Sunt & Laici, inquit, qui putant, impunè ſe peccare aut peccaſſe, quia loca illa oraturi frequentent. Sunt potentes, qui acquirendi cenſus gratia id faciunt. Sunt pauperes, qui ideo id faciũt, vt maiorem habeant materiam mendicandi, vel quia tantùm ſunt vecordes, vt putent, ſe ſanctorum locorũ ſola viſione à peccatis purgari, non attendentes, quod ait Hieronymus:

*Hieronymus.*

Non Hieroſolymam vidiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe, laudandũ eſt. Et circa eadem tempora Claudius etiam Caroli Magni Presbyter ſcripſit contra illorum perſuaſionem, qui pœnitentiæ cauſa Romam pergebant.

### *QVOMODO PER COMMVTATIOnes veteres ſatisfactiones ſenſim collapſæ ſint, & tandem prorſus interciderint: Earum verò loco aliæ nouæ ſatisfactiones nouis opinionibus ſubſtitutæ, vnde nouæ etiam indulgentiæ ortæ ſunt.*

*Canones pœnitentiales partim mitigati, partim retenti.*

ITa ergo cùm rigor canonũ pœnitentialium amplius tolerari nõ poſſet, primùm per commutationes in opera leuiora conati fuerunt Canones illos partim mitigare, partim verò retinere. Ex Burchardi enim canonibus colligitur, ſolitas nunc quidem, iuxta canones, pro publicis delictis veteres ſatisfactiones imponi: ſed pœniten-

pœnitentibus licentiam conceſſam, vt partem earum commutatione, ſicut dictum eſt, redimerent, quaſdam verò dicebant redimi non poſſe, ſed abſque commutatione complendas eſſe, vt cùm dicunt, ieiunium ſextæ feriæ redimi non poſſe, ſed ſine commutatione ſeruandum eſſe.

*Pœnitentes ante completam ſatiſfactionem ad communionẽ admiſſi.*

Oſtendunt & hoc Burchardi Canones, cœptum tunc fuiſſe, vt pœnitentes ante exactum totum publicæ pœnitentiæ tempus ad abſolutionem & cõmunionem admitterentur, & poſtea quod reliquum erat ſatiſfactionum, perſoluerent. Vt exempli gratia: Cui impoſita erat ſeptem vel decem annorum pœnitentia, is poſt biennium vel quadriennium admittebatur ad cõmunionem, & poſt communionem reliquum tempus complebat.

*Abſolutio & communio data ante inchoatam perſolutionem impoſitæ ſatiſfactionis, poſt abſolutionem impoſita.*

Inde ſecutum eſt poſtea, quòd poſt iniunctas ſatiſfactiones, abſolutio & communio data fuit, priuſquam executio ſatiſfactionum inchoaretur, imò tandem poſt acceptam abſolutionem impoſitę primùm fuerunt ſatiſfactiones, ſicut nunc in papatu fit. Ita laxatis primùm canonibus pœnitentialibus, vſus eorum ſenſim collapſus fuit, & tandem prorſus intercidit.

*Ritus iocularius loco publicæ pœnitentiæ in Eccleſiis Põtificiis.*

De illis enim ſpectaculis publicæ pœnitentiæ nihil iam reliquum eſt in Eccleſia Pontificia, niſi vmbra quædam, ſiue, vt verius dicam, ludus & iocus. In capite quadrageſimæ aſpergunt capitibus cineres, & poſtea canunt ea, quę olim in publica pœnitentia pſallebantur, cùm nullos publicè pœnitentes habent.

*Flagelliferi.*

Romæ aliquãdo ſpectaculum editur quorundam conductitiorum, qui ſeipſos flagellant.

*Adam Halberſtatẽſis in Saxonia.*

In Templo Halberſtadiano quotannis agitur talis ludus ſeu fabula: Conducunt certum quendam Raubaucum, quem Adamum nuncupant, ſordidè veſtitum, quem in capite quadrageſimæ templo ſolenniter eijciunt, cumque liberaliter ipſum paſcant, iubent eum, quaſi ieiuniis confectum, triſtem per quadrageſimum cum ſilentio foribus templi obſeruari, donec in die cœnæ rurſus in Templum introducatur. Ita, vetus pœnitentia in ludos tandem ſeu fabulas deſiit in Eccleſia Pontificia.

*Reſpub. pœnitentiæ abolita retentis ſolis vocabulis.*

Nomina verò ſiue appellationes Carenatũ, ſeptenarum, quadragenarum, poſtea in formis indulgentiarum remanſerunt. Formam enim veteris pœnitentiæ, quæ olim in publicis criminibus tantùm vſitata fuerat, inſcitè ad quæuis peccata, & ad omnes pœnitentes transferre & applicare tentauerunt, imponentes ſingulis pœnitentibus, vel carenas, vel ſeptenas, vel quadragenas. Quia verò rigorem & auſteritatem veterum illarum ſatiſfactionum, cùm pro omnibus & quibuſuis peccatis iniungerentur, homines tolerare, vel non poterant, vel non volebant, inuentum fuit hoc ſophiſma, vt nominarẽtur quidem in impoſitione ſatiſfactionum, vel carenæ, vel quadragenæ, vel ſeptenæ, ſed illę docerentur vel per commutationes Burchardi, vel per nouas, de quibus mox dicemus, indulgentias redimi poſſe.

*Nouã ſatiſfactionũ forma veteribus ignota.*

Ex commutationibus verò Burchardi poſtea fecerunt nouas ſatiſfactiones. Docere enim cœperunt, in Sacerdotis arbitrio poſitum eſſe, loco veterum ſatiſfactionum quot & quales ex illis, quæ apud Burchardum commutationes ſeu redemptiones vocantur, pœnitentibus poſt abſolutionem imponere vellet, vt ſunt ieiunium, oratio, eleemoſynæ, quas partes ſatiſfactionis poſtea dixerunt. Et illas nouas etiam iniunctas pœnitentias nouis, vt mox oſtendemus, indulgentiis redimi poſſe docuerunt: vtque merces nouarum iſtarum & ſatiſfactionum & indulgentiarum, & facilius extrudi & obtrudi poſſent, commenti ſunt, ſatiſfactionibus iſtis tanquam compẽſatione æquiualente, per opera alias indebita, redimi & expiari partem, vel culpæ vel pœnæ æternæ, vel certè partem pœnę temporalis.

*Merita nouarum commentitiarum ſatiſfactionum.*

Etſi enim Scholaſtici diſputent, ſatiſfactiones noſtras propriè non eſſe expiatorias ſeu compẽſatorias, pro culpa & pœna æterna, ſed tantum pro pœna temporali, tamen oſtendunt non paucos fuiſſe, qui ſenſerint & diſputarint etiam de compenſationibus & expiationibus pro culpa & pœna gehennæ per ſatiſfactiones. Simul verò tunc omnes nouum cõmentum excogitarunt, niſi ſatiſfactiones in hac vita, vel opere complerentur, vel pecunia redimantur, luendas eſſe poſt hanc vitam pœnis acerbiſſimis in Purgatorio.

*Purgatorij origo.*

Et de ſatiſfactionibus quidem diximus in ſecunda parte huius examinis: de indulgentiarum igitur, quæ recentes & vetuſtati ignotæ ſunt, origine & progreſſu iam quædam annotabimus.

## *ORIGO ET PROGRESSVS NOVARVM indulgentiarum, de quibus Pontificij nunc dimicant ex Decretalibus Gregorij IX. & Bonifacij VIII.*

Ex illis, quæ breuiter hactenus annotauimus, manifeſtum eſt, magnam eſſe diſſimilitudinem, & luculentum diſcrimen inter indulgentias veteris Eccleſiæ, & inter nouas illas, quas poſt ſubſecutas eſſe oſtendimus, & in principio huius loci deſcripſimus. Harum origo cùm in hiſtoriis non ſatis luculenter annotata ſit, veſtigia, quantum fieri poterit, ex certis ſcriptis nobis inquirenda erunt. Quòd enim fingunt, Gregorium Magnum ſuo tempore ad certas in Eccleſiis Romanis ſtationes tales dediſſe indulgentias, fabuloſum & falſum eſt. Nihil enim tale, vel in Gregorij ſcriptis, vel in certis illorum temporum hiſtoriis extat. Occaſio verò fabulæ inde videtur arrepta eſſe.

*Fabula de Gregorij indulgentijs.*

Poſteriores Pontifices Romani ad ſtationes in certis vrbis Romæ Eccleſiæ multas & magnas profuderunt indulgentias, ſicut poſtea indicabimus. Et quia Gregorius Magnus etiam ſtationum mentionem facit, mox effingunt Pontificij ſuas indulgentias, ſed ſine vllo prorſus documento ex Gregorij ſcriptis.

*De Stationib.*

Nam & Tertullianus aliquot in locis de ſtationibus in Eccleſia ſui temporis ſcribit, nec tamen inde ſequitur, Tertullianum vel autorem, vel approbatorem fuiſſe Pontificiarum indulgentiarum.

*Stationes tẽpore Tertulliani.*

Fuerunt autem Stationes, quaſi ſtatæ feriæ, quibus populus in certis templis conueniebat ad auditum verbi, ad communionem myſteriorum & adorationem.

*Stationes quid fuerint.*

Et quia ſtantes verbum audiebant, & orationes faciebant, dictæ fuerunt Stationes.

*Vnde dictæ.*

Atque in Gregorio extant quidem homiliæ habitæ ad populum in illis ſtationibus, ſed de indulgentiis verbum nullum. Et tempore Burchardi quidem, qui circa annum Domini 1020. ſcripſit, ac Gratiani etiam tẽpore, cuius Decretum circa annum Domini 1150. editũ eſſe, Gloſ. 2. quæſt. 6. teſtatur, commutationes ſatiſfactionum cœpiſſe, ſuprà oſtẽdimus.

*Indulgentiæ nec Burchardi tempore, nec Gratiani.*

De indulgentiis

verò, de quibus nunc agimus, nulla in ipſorum ſcriptis extant, vel teſtimonia, vel exempla. Nec in Longobardo etiam. Ergo non longè ante annum Domini 1200. videtur originem ſuam cœpiſſe nouæ hæ indulgentiæ, idque hoc modo. Aſtexanus in ſua Summa ſcribit: Quòd pœnitens, ſi ſentiat ſatisfactionem ſibi iniunctam nimis eſſe grauem aut ad ſeruādum periculoſam, poſſet ad eundem ſuum confeſſorem vel alium recurrere, & petere vel cōmutationem vel relaxationem & remiſſionem ſeu indulgentiā iniunctæ ſatisfactionis: & ſacerdotem habere poteſtatem, vel commutādi vel etiam relaxandi ſatisfactionem prius iniunctam. Et hæc de Sacerdotum ſeu cōfeſſorum indulgentiis in foro pœnitētiali, ex multis Canoniſtis probat Bernhardinus. Poſtea diſputari cœptum fuit, à quo poſſent fieri tales relaxationes ſeu remiſſiones, an à proprio Sacerdote, an ab æquali, an à ſuperiore. Poſtremò ad ſolos Epiſcopos & Archiepiſcopos diſpenſatio illa tranſlata fuit. Et tandem de plenariis Romani Pontificis indulgentiis magnificè diſputari cœptum fuit. Cumque primùm, ſicut Aſtexanus oſtendit, relaxationes illæ fierent ad petitionem pœnitentium, ſi imbecillitatem ſuam ad ferēdas ſatisfactiones ſatis probaſſent, poſtea ad corrogationes eleemoſynarum, ad dedicationes templorum, ad peregrinationes, & tandem ad tinnitum munerum, in genere cœperunt variæ indulgentiæ concedi, id quod ordine oſtendemus.

*Nec Longobardi. Quando indulgentiæ nouæ cœperunt. Aſtexanus.*

*Bernhardinus. Quis relaxare ſatisfactiones Canon. poſſit.*

*Indulgentiæ ad eleemoſynarum corrogationes conceſſæ.*

In Decretalibus itaq; Gregorij IX. lib. 5. titulo de pœnitentiis & remiſſionibus, extant quædam, vnde origo illarum indulgentiarum aliquo modo deprehendi poteſt. Cùm enim cœptum fuiſſet veteres Satisfactiones ſicut ex Burchardo oſtendimus, eleemoſynis commutare & redimere: illi, qui publicas pro hoſpitalibus (vt vocant) eleemoſynas colligebant, quos quæſtores eleemoſynarum vocarunt, vt hominum liberalitatem promptiorem haberent, cœperunt largas in ſuis prędicationibus proponere indulgentias. Illa enim abuſio in Lateranenſi concilio circa annum Domini 1215. reprehenſa fuit, & in capitul. Cùm ex eo, ponitur forma literarum, quæ à ſede Romana ſolita tunc fuerit dari quæſtoribus illis: Quia ſcilicet ſcriptum eſt: Qui parcè ſeminat, parcè & metet, qui verò ſeminant in benedictionibus, de benedictionibus metēt vitam æternam. Cùm igitur ad ſuſtentationem fratrum & egenorum ad hoſpitale confluentium propriæ non ſuppetant facultates, vniuerſitatem veſtram monemus, atq; in remiſſionem vobis iniungimus peccatorum, vt de bonis vobis à Deo collatis, pias eleemoſynas eis erogetis, vt per ſubuentionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur, & vos per hæc bona & alia ad æterna poſſitis gaudia peruenire.

*Indulgentiarum impudētia taxata.*

In eodem titulo, Alexāder Tertius, circa annum 1170. loquitur de remiſſionibus, quæ fiebant in dedicationibus Eccleſiarum, aut conferentibus aliquid ad ædificationem pontium. In Lateranenſi verò concilio circa annum 1215. facta fuit hæc conſtitutio. Quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidem Eccleſiarum prælati facere nō verentur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis Satisfactio eneruatur: decernimus, vt, cùm dedicatur Baſilica, non extendatur indulgentia vltra annum, ac deinde in anniuerſario dedicationis tempore 40. dies de iniunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caſib. aliquoties conceduntur, cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare.

*Conſtitutio Lateranenſis Concilij, contra immodicas indulgentias.*

Et in ſexto Decretalium lib. 5. tit. 10. Innocentius Quartus, circa annum 1244. pro fabrica Eccleſię Remenſis permittit concedere indulgentias, vel vnius anni, vel 40. dierum.

Nouæ igitur illæ indulgentiæ cœperunt circa annum Domini 1200. & vſq; ad annum 1250. fuerunt remiſſionis partis alicuius de iniunctis pœnitentiis, ſcilicet vel 40. dierum, vel vnius anni tantùm. Et caſus pro quibus tunc dederint indulgentias, hi fuerunt: Subleuatio hoſpitalium, ædificatio pontium, ſeu viarum, & fabrica Eccleſiæ alicuius.

*Initiū nouarum indulgētiarū, & quid fuerint, & quorſum datæ.*

## QVID DOCTORES ECCLESIAE *illius temporis de nouis indulgentiis ſenſerint, & quomodo Scholaſtici ſuis diſputationibus cœptas illas indulgentias ornare & amplificare ſtuduerint.*

CVm itaq; illis temporibus prælati Eccleſiæ, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & ipſi etiam Romani Pōtifices, nouo hoc aucupio delectarentur, & quæſtores magna liberalitate indulgentias iſtas erogarent: Populus etiam pro ſua leuitate & curioſitate auidè illas acceptaret: Variè inde inter doctos motæ fuerunt diſputationes & diuerſa ſecuta iudicia, quæ qualia fuerint, ex Scholaſticorum & Canoniſtarum ſcriptis colligi poteſt. Cùm enim res noua eſſet talium indulgentiarū talis largitio, quidam contra illas diſputarunt, quidam verò in dubium illas reuocarunt. Et quibus argumētis indulgentias illas oppugnarint, inde poteſt deprehendi: argumenta enim quæ in oppoſitum extant in Scholaſticorum vetuſtorum ſcriptis, ſunt illa ipſa, quæ tunc contra indulgentias agitata fuerunt. Et videntur fuiſſe hæc capita. Primò, quòd nec Scripturæ teſtimoniis, nec veteris Eccleſiæ exemplis, nouæ illæ indulgentię probari poſſēt. Secundò, quòd mandatum diuinum eſſet, facere fructus dignos pœnitentia, eius verò relaxandi aut remittēdi poteſtatem Eccleſiam non habere. Tertiò, veterem Eccleſiam non ſine cauſa conſtituiſſe canonicas illas mulctas ſeu caſtigationes, quarū remiſſio eſſet eneruatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

*Abuſus nouarum indulgētiarum & diuerſa de ys eruditorū iudicia & ſententia.*

*Quibus fundamentis nouæ indulgentiæ fuerint impugnatæ.*

*Primum genus argumentorum.*

*II.*

*III.*

Alij cùm palàm nō auderent, id quod paſſim ab Eccleſię prelatis fiebat, reprehēdere, obliquè eas taxarunt, variè diſputando quid prodeſſent, ſiue ad quid valerent indulgentiæ. Illæ diſputationes repetitę extant in Scholaſticorum & Canoniſtarum Scriptis. Gloſſ. 5. titu. 38. cap. Quod autem, &c. dicit veterem querelā eſſe, & adhuc tamen ſatis dubium, quid valeant tales remiſſiones. Quidam enim dixerunt, indulgentias illas prodeſſe & valere nō in foro Dei, ſed tantùm in foro Eccleſiæ: quòd ſcilicet nimis diuturnæ & graues mulctæ canonum pœnitentialium relaxarentur & remitterētur, ſicut Concilium Lateranenſe inquit, eſſe indultam remiſſionem de in-

*Diſputationes de vtilitate indulgētiarum nouarum.*

*Indulgentias nil valere coram Deo.*

de iniunctis pœnitentiis. Et prælatos Eccleſiæ hoc facere poſſe, quoniã conſtitutiones humanæ ſint canones pœnitentiales, in quibus homines poſſent diſpenſare. Ibi verò quidam, vt hominibus perſuaderẽt, magnum eſſe beneficium illarum indulgentiarum, diſputarunt, canones pœnitentiales etiam in foro Dei obligare, & eorum ſatisfactiones ad remiſſionem peccatorum eſſe neceſſarias, atque ita indulgentias etiam in foro Dei valere. Sed alii ex ipſis Pontificũ decretis, de tit. pœnitentiis & remiſſionibus, ca. Deus qui, &c. oſtenderunt, veteres illos Canones pœnitentiales iam tunc collapſos & antiquatos fuiſſe, & pœnitentiam factam arbitrariam, ita vt arbitrium diſcreti Sacerdotis ſatisfactiones moderari poſſet. Dixerunt itaque propter Canones pœnitentiales, qui ipſo facto iam antiquati, eſſe deſiiſſent, non opus eſſe iſtis indulgentiis, nec in foro Dei, nec in foro Eccleſiæ: Eccleſiam tamen illas prędicare, vt filios ſuos bona quadam deceptione ad bonum, vt ad dandas eleemoſynas alliciat, ſicut mater filiolo pomũ promittit quod poſtea non donat. Ita Bonauentura verba cõtrà diſputantium recitat. VVeſſelus ex Alberto Magno opinionem illorum his verbis deſcribit: Indulgentias nihil eſſe, niſi piam fraudẽ ac dolum non malum, quo plebs officioſo errore trahatur ad pietatem. Alii verò diſputarũt, rem valdè periculoſam eſſe cõcedere indulgentias, cõcedentem enim onerare ſe ad ſatisfaciendum pro illo, cui dat indulgẽtias. Hęc de indulgẽtiis paulò ante tẽpora Scholaſticorũ diſputata fuiſſe, ex ipſorũ Scriptis, & ex Canoniſtarũ Gloſſis colligitur.

*Patroni & amplificatores canonum pœnitentialium.*

*Nec in foro Dei nec Eccleſiæ prodeſſe indulgentias.*

*Indulgentiæ bonæ deceptiones hominũ.*

*Bonauẽtura.*

*VVeſſelus.*

*Indulgentiæ pia fraus plebis.*

*Indulgentias dare periculoſum eſſe danti.*

*Scholaſticorũ de indulgentiis diſputationes.*

Porrò ætas Scholaſticorum ſiue Sententiariorum, ſicut vocantur, incidit in illud tẽpus, cùm Quæſturę & Diſputationes, de nouis iſtis indulgentiis, per annos aliquot, ſicut dictum eſt, agitatæ iam fuiſſent. Nam tẽpore Gratiani & Longobardi, quos vnà cum Petro Commeſtore fratres fuiſſe ſcribunt, ex Sacerdotis concubina natos, cœperat in Scholis nouum Theologiæ genus circa annum Domini 1150. quòd ſcilicet non ex ſcriptura, ſed ex patrum ſcriptis, & conciliorum Decretis ſententiæ colligebantur, quibus præcipua capita Doctrinæ Eccleſiaſticæ, additis variis quæſtionibus, comprehendi videbantur.

*Scholaſtica Theologia.*

Poſt annos centum verò circa annum Domini 1250. ſecuti ſunt, qui in Longobardum, quem Magiſtrum ſententiarum appellarũt, commentaria in ſcholis dictare & conſcribere cœperũt, quos inde Scholaſticos Doctores & Sententiarios appellarunt, qui omnia, quæ quomodocunq; in Eccleſiam tunc irrepſerant diſputando, non ex Scriptura, nec etiam ex Patribus, ſed ex Philoſophorum placitis, & humanæ rationis argumentationibus, conquiſitis omnis generis ſubtilitatibus, defendere conabantur. Horum primus & vetuſtiſſimus Alexander ab Ales, circa annum Domini 1250. floruit. Eum mox ſecutus eſt Albertus Magnus Præceptor Thomæ. Deinde Bonauentura, Thomas Aquinas, VVilhelmus Pariſienſis, VVilhelmus Varro, Præceptor Scoti, Egidius Romanus, Richardus de media Villa, Iohannes Scotus, Gregorius Ariminenſis Scoti in Lectura concurrens, vt vocãt. Deinde Frãciſcus Maironis, & VVilhelmus Occan, diſcipuli Scoti. Item, Petrus de Palude, &c.

*Scholaſtici Doctores vnde dicti.*

*Alexander ab Ales. Albertus Magnus. Bonauentura &c.*

Scholaſtici igitur quæſtionem illam de indulgentiis tunc ὀϖπολάζȣσαν arripientes, nouis additionibus amplificarunt, & illis, qui indulgentiis, ſicut oſtendimus, hactenus contradixerant, acriter ſe oppoſuerunt, & ex illis conati ſanè quidam fuerunt ex Scriptura, & ex Patribus nouas illas indulgentias probare, ſed fruſtra, ſicut ſuprà ex Antonino oſtendimus. Plerique igitur Scholaſtici omnes fatentur, de indulgentiis iſtis nihil expreſsè haberi, vel in Scriptura, vel in Patribus. Sed quia Eccleſia vniuerſalis, quæ errare non poſſet, tales indulgentias faciat & acceptet, dogma igitur illud pro articulo fidei recipiendum. Cumq; hactenus ipſi Pontifices hac formula vſi fuiſſent, per indulgentias aliquid de iniunctis pœnitentiis relaxari ſeu remitti, Scholaſtici ex diſputationibus illorum temporum, de quibus dictum eſt, animaduerterunt, valorem illum indulgentiarum nimis tenuem, non poſſe pro voto merces indulgentiarum extrudere, aliis igitur nouis additionibus hederam illis ſuſpenderunt. Nec verò auſi fuerunt dicere, remiſſionem culpæ fieri per indulgentias. Omnes enim retinuerunt Auguſtini ſententiam: Nemo tollit peccatum niſi Chriſtus, qui eſt agnus Dei, tollens peccata mundi. Tollit autẽ & dimittendo quæ facta ſunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam æternam, vbi fieri omninò non poſſunt. Diſputant autem ex Scholaſticis quidam merito contritionis fieri remiſſionem culpæ, & infuſionem gratiæ, atque ita peccatorem liberari à pœna æterna, quam dicunt commutari in pœnam temporalem à nobis ipſis, vel patiendo exoluendam, vel ſufficienti precio per ſatisfactiones compenſandam & expiandam. Quia verò temporalis illa magna & ſuper vires noſtras ſit, vt quæ complectatur non tantũ tempus & pœnas huius vitæ, verumetiam grauiſſimas purgatorii pœnas, ideò partem temporalis eius pœnæ abſolutione remitti dicunt, pro reſidua verò parte imponi ſatisfactiones, quæ quia in purgatorio luendæ ſint, ſi in hac vita non plenè & perfectè exoluantur, ideò per indulgentias ſatisfactiones redimendas ſuaſerunt. Vtq; nundinationes illas vendibiliores facerẽt, addiderunt inſuper & hoc commentum: Satisfactiones, quæ pœnitentibus arbitrio ſacerdotis imponuntur, non eſſe ſufficientes, ſed grauiores eſſe eas, quæ canonibus pœnitentialibus olim perſcriptæ fuerunt, & ne illas quidem ſufficientes eſſe, ſed diuinam iuſtitiam pro menſura delicti etiam purgatorii pœnas imponere. Ideò omnibus, & illis etiam, qui iniunctas pœnitentias expleuerũt, vel explere poſſunt, opus eſſe indulgentiis, niſi velint in purgatorio torqueri. Atq; ideò Scotus dicit, peccatorem poſt abſolutionem remitti vel ad indulgentias, vel ad purgatorium. In ſumma igitur docent per indulgentias remitti, vel pœnas vel Satisfactiones pro pœnis peccatorum debitas, quæ vel iniunctæ fuerunt, vel iniungi debuiſſent, ſiue ex arbitrio Sacerdotis, ſiue iuxta Canones pœnitentiales, ſiue à diuina iuſtitia, & quæ luendæ eſſent vel in hac vita, vel in purgatorio: Vt indulgentiæ ita valeant, non tantùm in foro Eccleſiæ, verumetiam ad relaxationem pœnarum, quas quis pro culpis propriis portare meruiſſet, etiam in foro Dei in purgatorio, hæc enim ſunt ipſorum verba.

*Indulgentia ſcriptura & patrum teſtimoniis caret.*

*Fundamentũ indulgẽtiarũ.*

*Axioma commune omnibus Scholaſticis in diſputationibus de indulgentiis.*

*Meritum remiſſionis culpa.*

*Aeterna pœna in temporalem cõmutatio.*

*Satisfit pro pœna temporali, vel in hac vita, vel in purgatorio, vel per redemptionẽ indulgentiarum.*

*Indulgẽtiarũ præconia impudẽtiſſima.*

*Scotus.*

*Summa figmenti Pontificij de indulgentiarũ impoſturis.*

g Porrò

*Somnium de Theſauro Eccleſiæ ex ſupererogatoriis operibus & clauibus huius Theſauri.*

Porrò addunt, per indulgentias illas non fieri gratuitas condonationes, fingunt enim preciū ſufficiens & æquiualens (ita enim loquuntur) ad ſoluendū debitum pœnarum, vel per nos ipſos, vel per alienum ſuffragiū offerendum eſſe. Iam Chriſtum plura paſſum eſſe, quàm pro remiſſione culpę noſtrę & pœnæ æternę opus ſit: Beatos etiam, dum in hac vita fuerunt multa ipſis ad ſalutem non neceſſaria, & plura quàm debuerint, faciendo & patiendo ſupererogaſſe: Eccleſiam etiam militantem multa habere merita Supererogationis. Quæ omnia in vnū cumulum coniecta, efficiant theſaurum Eccleſię, ex quo cui propria merita ad ſoluendum debitum pœnæ temporalis, nō ſufficiant, communicare poſſit aliena per Epiſcopos & Pontificem, quibus claues illius theſauri cōceſſæ ſint, ita vt per redemptiones indulgentiarum, & aliena merita accōmodari & applicari poſſint, qui per proprias Satisfactiones non putant ſe ſufficiens precium, ad ſoluenda ſua debita, ad Deum afferre poſſe. Diſpenſationem vero illarum indulgentiarum Sacerdotibus & minorib. Prælatis, niſi ex peculiari priuilegio data pecunia eam impetrarent, prorſus ademerūt, & ſolis Epiſcopis poteſtatem, ſed tamen limitatā, ad vnum annum & 40. dies ſcilicet: Pontifici verò plenariā poteſtatē, & illicitatē theſauro illo Eccleſię diſpēſando tribuerūt.

*Pro quibus caſibus indulgentiæ dentur.*

Caſus etiam, in quibus & pro quibus dari poſſint indulgentię, vltra eos, quos ex Decretalibus notauimus auxerunt. Vt pro viſitatione Baſilicarum & reliquiarum, item pro celebratione feſtorum, pro audiendis miſſis & prædicationibus. Item, pro defenſione terræ ſanctæ, & fidei, pro promotione ſtudii. Principaliter verò ſi quis manus adiutrices (ſicut loquuntur) porrexerit ad hoſpitalia, ad Baſilicas, & ſimilia: ſi modò temporalia, quæ exponuntur, ordinentur ad ſpiritualia, tunc enim non eſſe Simoniam. Operosè verò diſputant, indulgentias prodeſſe non tantùm viuentibus in hoc ſeculo, verumetiam exiſtentibus in purgatorio, ſi non directè per modum autoritatis, ſaltem indirectè per modum ſuffragij, ſi tamen in bulla hoc exprimatur. Thomas dicit, non eſſe aliquā rationē, quare Eccleſia non poſſit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, transferre, tàm ad mortuos, quàm ad viuos. Ad obiectionem verò, quòd claues Eccleſiæ non poſſunt ligare vel ſoluere, niſi ſuper terram, Raimundi Gloſſa reſpōdet: Si Romanus Pontifex tamen faceret talem indulgentiam, quæ prodeſſe haberet etiam defunctis, non debemus ponere os in cœlum de plenitudine poteſtatis eius temerè dubitando. Bernhardinus verò ex Thoma reſpondet: Literam ſuper terram referri poſſe ad ipſum ſoluentem, vt ſenſus ſit: Quicquid tu ſuper terram exiſtens ſolueris. Non enim Papa mortuus, ſed viuus, poteſt ſoluere vel ligare, vel, etiamſi illud referatur ad ipſos abſoluēdos, nihilominus poſſe intelligi de exiſtentibus in purgatorio. Cùm enim purgandi ſint, intra vel circa terram, poſſe eos dici ſuper terram, quia non ſint in cœlo. Quantùm verò indulgentiæ illæ valeant, magis ardua eſt apud Scholaſticos diſputatio. Vt enim valeant & profint, dicunt ex parte dantis requiri poteſtatem dandi, & cauſam rationalem. Ex recipientis verò parte contritionem cum confeſſione, & deuotionem cum credulitate Eccleſiaſticæ poteſtatis ſecundum Alenſem, vt ſcilicet confidat, indulgentias illas ſibi valere, inquit Bonauentura. Vel: ſicut Angelus inquit, vt certò credat, Eccleſiam habere talem poteſtatē, licet non habemus manifeſta teſtimonia, vel ex Scriptura vel ex Patribus. Principale verò requiſitum ad valorem indulgentiarum Petrus de Palude dicit eſſe, vt quis det, vel faciat illud, pro quo datur indulgentia. Et Bernhardinus inquit, cuidam religioſo dicenti: Ego non credo, quod per iſtas indulgentias homo euadat pœnas purgatorij, niſi opera pœnitentiæ faciat. Ego reſpondi: Tibi non proderunt, quia in eis non habes fidem. Sed benè mihi, quia firmiter credo, per eas euadi pœnas pro peccato debitas. Et in huius ſignum dicitur: Sicut credis, fiat tibi. Item, Fides tua te ſaluum fecit. Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Quidam igitur dixerunt, indulgentias valere ſecundum internam ſuſcipientis deuotionem & non plus. Alii verò dicunt: Niſi quis vel det, vel faciat illud, pro quo datur indulgentia, quòd non conſequatur eam, etiamſi bonam habeat voluntatem. Et huc detorſerunt illud Salomonis: Redemptio animæ viri diuitiæ eius. Ideò dixerunt, indulgentias ſecundum deuotionis quantitatem, & dati, ſeu laboris magnitudinem plus minuſue prodeſſe. Thomas verò contendit, illas æqualiter omnibus tantum valere & prodeſſe, quantum ſonāt. Richardus dicit: Quoad remiſſionem extenſionis pœnæ, æqualiter valere omnibus indulgentias, ſed quoad remiſſionem intenſionis, eſſe diſcrimen. Ita autem interpretantur valorem indulgentiarum, vt exempli gratia: Qui accipit indulgentiam ſeptem annorum, is tantum remiſſionis habet, vel de pœnitentiis iniunctis, vel de pœnis pro peccatis, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio debitis, quantum mereretur ſi ſeptem annorum pœnitentiam expleuiſſet. Alii dicunt tot annos remitti de pœna, quam pertuliſſet in purgatorio pro peccatis.

*Efficacia indulgentiarū.* — *Thomas.* — *Raimundus.* — *Bernhardin.* — *Quæ requirantur vt indulgentiæ valeant.* — *Angelus.* — *Petrus de Palude.* — *Bernhardinus.* — *Lepidum & ſcitum.* — *Diſſidentes opiniones de indulgentiarum valore.* — *Thomas.* — *Richardus.* — *Exemplum.*

Atque ita quidem Scholaſtici vetuſtiores ſuis diſputationibus nouas & grandes acceſſiones indulgentiis fecerunt, quę primùm, ſicut oſtendimus, tantùm fuerunt relaxationes de iniunctis pœnitentiis Canonicis. Iam quid porrò ſecutum ſit ordine oſtendemus.

## VIENNENSIS CONCILII *Decretum, contra abuſiones indulgentiarum.*

*Impudentes indulgentiarum impoſturæ concilij ſententiis repreſſæ.*

CVm itaque hoc modo nundinationibus indulgentiarum, per Scholaſticorum diſputationes, non tàm feneſtræ, quā latiſſimę fores eſſent apertæ: Quæſtores indulgentiarum ſuis etiam artificiis, quomodo ſcilicet argētum ab hominib. emungendū eſſet, negociationem illam ſtrenuè promoueruīt, & breui eò audacię & impudentię res progreſſa fuit, quod generali concilio reprimenda fuit. Nam circa annū Domini, 1511. in Viēnenſi Concilio, Clemens Quintus peculiarem conſtitutionē contra quæſtores indulgentiarū, ex qua, ſicuti extat in Clementinis libro quinto, titulo, de pœnitentiis & remiſſionibus, quædam, quæ abuſiones illius temporis depingunt, adſcribemus. Dicit igitur, quæſto-

*Clemens V.* — *Abuſus indulgentiarū illius temporis.*

quæſtores iſtos eleemoſynarum in ſuis prædicationibus proponere abuſiones, vt ſimplices decipiant, & aurum ſubtili, vel fallaci potius ingenio ab illis extorqueant, quod in animarum periculum, & in ſcandalum plurimorum cedat. Abuſiones verò has recitat: Quod ſcilicet deceptione animarum multiplici indulgentias populo, motu ſuo proprio de facto concedant, ſuper votis diſpenſent, à periuriis, homicidiis, & peccatis aliis ſibi confitētes abſoluant mole ablata, data ſibi aliqua pecuniæ quantitate, remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis iniunctis relaxent, animas tres vel plures, parentum vel amicorum illorum, qui eleemoſynas eis conferunt, de purgatorio, vt aſſerunt mendaciter, extrahāt, & ad gaudia Paradiſi perducant, benefactoribus locorum, quorum quæſtores exiſtunt, remiſſionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipſis eos à pœna & culpa, vt eorum verbis vtamur, abſoluant. Addit autem Concilium Viennenſe: Nos abuſus huiuſmodi, per quos cenſura vileſcit Eccleſiaſtica, & clauium Eccleſiæ autoritas ducitur in contemptū, omnimodo aboleri volumus. Ita Clementina: Et videri ſanè poſſent abuſiones illæ in indulgentiis generaliter taxari, damnari & aboleri per Clementinam illam. Sed Pontifices ipſo facto, mox addiderunt interpretationē, quòd ſint abuſiones damnabiles & abolendæ, ſi fiant à quæſtoribus hoſpitalium, ſi verò à Romanis Pontificibus tales indulgentiæ, & eo modo concedantur, eſſe opus maximè pium.

*Enumeratio abuſionum & impoſturarum.*

*Pontificum poſteriorum limitationes concilio Viennenſi circumſcriptæ.*

### DE PLENARIIS ET PLENISSImis indulgentiis Romanorum Pontificum.

Romani igitur Pontifices aliis quidē quæſtoribus conceſſionem indulgentiarum ſimpliciter prohibuerūt. Epiſcopis vero & Archiepiſcopis partiales tantùm indulgētias vt 40. dierum vel vnius anni cōceſſerunt. Sed Romanæ ſedi ex plenitudine poteſtatis reſeruauerunt largitionē annorū quorumcunq; plenariæ indulgētiæ omnium peccatorū. Nam Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, circa annum Domini 1215. ita decreuit: Qui pro recuperanda terra ſancta, vel propriis impēſis militat, vel aliud confert, ei plenam ſuorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum, hoc eſt, ſicut alij loquuntur, aſſumentibus crucem ad bellandum contra infideles dabantur plenariæ indulgentiæ à Romano Pontifice. Poſtea, ſicut Alenſis ſcribit, etiam peregrinantibus ad terrā ſanctam, & viſitantibus ſepulchrū Domini, data fuit plenaria indulgentia. Bonifacius verò Octauus anno Domini 1399. primus conſtituit iubilæum ſingulis centeſimis annis celebrandum, & qui centeſimo illo iubileo anno Romę Baſilicam Petri & Pauli viſitaret, non ſolum plenā & pleniorem, ſed pleniſſimam omnium ſuorum conceſſit veniam peccatorū. Exordium verò iubilæi Pontificii dignū eſt tali autore, de quo ipſi Pontificii ſcribunt, quòd intrauerit vt Vulpes, regnarit vt Lupus vel Leo, mortuus ſicut canis.

*Innocentius III. de plenariis indulgentiis.*

*Alenſis.*

*Bonifacius Octauus autor anni iubilæi.*

Sed in hac parte hiſtorię de indulgentiis, priuſquam progrediamur, obſeruandum eſt, quomodo adulatores Pontificum ſtuduerint omnia illa, qualia qualia eſſent, defendere, quibuſdam tamen licet paucis contradicentibus. Nam Ioannes Andreæ, qui oſtendit, ſe tempore Bonifacij Octaui vixiſſe, fatetur, olim diebus antiquis non fuiſſe talem concurſum Romam ad Baſilicas Apoſtolorum. Diſputat tamen, quia in aduentu Christi annus iubilæus legalis typicus finitus, & verus iubilæus inchoatus fuit, ideò Bonifaciū rationabiliter annum iubilæum ad plenarias indulgentias cōſtituiſſe, quia ſcilicet ſcriptum ſit: Vt prædicarem captiuis indulgentiam. Et addit, Papam interrogatum quid ſit pleniſſima indulgentia, reſpondiſſe, in Conſiſtorio: Eſſe indulgentiam adeò plenam, prout clauium poteſtas ſe extendit. Gloſſator verò ipſe primò indulgentiam peccatorum ex Scholaſticis interpretatur de pœnis pro peccatis debitis.

*Paraſyti Pōtificiorū quomodo indulgentias iubilæi defenderint.*

*Plenaria indulgentia quid.*

Sed mox poſtea diſputans, quare Bonifacius non quinquageſimo, ſed centeſimo anno conſtituerit iubilæum, hanc affert rationem: Quòd in iubilæo contritis & confeſſis duplex indulgentia concedatur, culpæ videlicet & pœnæ. Et poſteà addit, per iſtam indulgentiam fit totalis culpæ remiſſio, & totius pœnæ indulgentia, & quia talis eſt ſine obligatione ad pœnam, ſi ſic moritur, ſtatim euolat, & habet ingreſſum Domus cœleſtis. Hæc Gloſſa in extrauaganti. In Clementina verò, Abuſionibus, Gloſſa dicit, pleniſſima peccatorum remiſſio eſt à pœna & culpa, quam ſolus Pontifex concedit cruce ſignatis, pro ſubſidio vltramarino.

*Indulgentia culpæ & pœnæ in iubilæo.*

Scholaſtici etiam ſiue Sententiarii recentiores ad Pontificum opiniones docēdo ſe accommodarunt. Licet enim vetuſtiores Scholaſtici illud axioma conſtanter defendiſſent: Indulgentias non valere ad remiſſionē culpæ: tamen Petrus de Palude diſputat, indulgentiam plenam vocari reſpectu remiſſionis pœnę mortalium & venialium, pleniſſimam verò reſpectu non ſolùm pœnæ, ſed etiam culpæ venialium, quia indulgētia habeat rationem cuiuſdam abſolutionis. Franciſcus verò Maironis, vt remiſſioni culpæ & pœnæ nouum circundaret pallium, talem texuit catenam: Caritas, inquit, meretur augeri, ſed exiſtentes in gratia per opera meritoria merentur augmentum gratiæ. Et indulgentiæ non dantur, niſi facientibus opera meritoria. Valent igitur hoc modo indulgentiæ ad augmentum gratiæ. Per gratiam verò fit remiſſio culpæ, atq; ita indulgentiæ valent ad remiſſionem culpæ & pœnæ. Antoninus inquit: Quamuis plenarię indulgentię vulgariter nuncupētur à culpa & pœna, locutio tamē talis propriè non eſt vera, quia culpæ ſolus remiſſor eſt Deus autoritatiuè, Eſa. 34. Poteſt tamen ſic ſanari, inquit dicta locutio, vt remiſſio culpæ referatur ad contritionem & confeſſionē, quæ præexigitur ad conſequendā indulgentiam, quæ ordinatur ad remiſſionem pœnæ temporalis, debitę pro peccatis commiſſis, partialem vel totalem. Quidam verò, ſicut ſumma Angelica recitat, longius ꝓgreſſi, dixerunt etiam pœnam inferni per indulgentias remitti. Ita illi. Et Pontifices, vt opinionem illam vulgi de indulgentiis alerent & confirmarent, cùm antea in literis indulgentiarum vſi fuiſſent hac forma, remitti vel totum vel partē de iniunctis pœnitentiis: Aut fieri remiſſionem vel totalem,

*Scholaſtici recentiores.*

*Petrus de Palude quid plena indulgentia.*

*Franciſcus Maironis.*

*Antoninus.*

*Summa Angelica.*

*Formula literarum indulgentiarū pleniſſimarum.*

lem, vel partialem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, ſicut Innocentij III. Bulla ſonat: alij hac generalitate vti cœperunt: Plenam, pleniorem, pleniſſimam, omnium ſuorum peccatorum veniam Caio, Seio concedimus & indulgemus.

*VVeſſelus. Indulgentiarum exaggerationi contradicitur à Pariſienſibus.* VVeſſelus verò ſcribit, Pariſienſem facultatem Theologicam enormitati illi contradixiſſe. Cùm enim Clemens VI. in bullis indulgentiarum à culpa & à pœna indulgentias publicaret, & cruce ſignatis ad ipſorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellet, elargiretur, ac ipſis Angelis in cœlo præciperet, vt peregrinantium animas, ſi in itinere euolarent, ſtatim in Paradiſum transferrent. Inuentus eſt quidam Ioannes Angelus, qui publicè docuit hanc propoſitionem: *Ioannes Angelus.* Animas in purgatorio exiſtentes eſſe de iuriſdictione Papæ, & Papam, ſi vellet, poſſe totum purgatorium euacuere. Pariſienſes verò Angeli iſtius ꝓpoſitionem damnarunt, & populo publicè prædicandam prohibuerunt, ſicut Franciſcus Maironis ſcribit: Ipſius verò Clementis temeritatem publicè reprehenderunt, & corrigi petiuerunt, ſicut VVeſſelus ſcribit. *Antoninus.* Antoninus etiam ſcribit, in Bullis quibuſdam Clementis VI. multa narrari leuia & exorbitantia ſatis, quas Bullas veriſimile ſit eſſe fictitias. Sed VVeſſelus affirmat, ſe illas vidiſſe plumbatas & reſeruari Viennę, Limouiis, Pictauis, in theſauro Priuilegiorum. Idem ſcribit, *Ludouicus Francorum rex, abuſus indulgentiarum taxat.* Ludouicum Regem Franciæ per Legatum ſuum apud Sixtum IV. de abuſibus & exceſſibus indulgẽtiarum grauiter egiſſe. Et Sixtum quidem medio iuramento corporaliter, manibus præcordia tenentem, in verbo Pontificis ſe purgaſſe, quòd illa non ſciret. Addit autem VVeſſelus: Sed quid valuit purgatio illa neſcienti, quando poſtea, cùm ſciret, nihilominus diſſimulauit & tolerauit.

### *DE MVLTIPLICATIONE IVBILAEORVM, & de variis cauponationibus plenarum indulgentiarum in confeſſionalibus, in articulo mortis & ſimilibus.*

INgenioſa res eſt quæſtura: Lucri enim bonus eſt odor ex re qualibet: &, Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Ita Romani Pontifices ſubinde alia & noua excogitarũt aucupia, vt quæſtum indulgentiarũ, cuius guſtum non inſuauem iam cœperant, retinerẽt & augerent, conſcientia aliquando, in fraudibus & expilationibus tam manifeſtis & notoriis, nõ tam contradicente, quàm reclamante: ſicut Platina de Bonifacio IX. ſcribit: *Bonifacius IX. cur indulgentias plenarias nõ ſuſtulerit.* Quòd aliquoties conſtituerit profuſionem plenariarum indulgẽtiarum reuocare, ſed ob agnatos locupletãdos coactus fuerit ad aucupium illud maximè compẽdiarium reuerti. Cùm igitur poſt purgatorii terriculamenta hominum leuitas perſuaſione iſta de indulgẽtiis plenariis dementata eſſet: Quòd finxerunt ſibi animas iſtiuſmodi indulgentiis plenariis munitas, ab omni pœna, poſt mortem liberas, ſtatim in cœlum ad Paradiſi gaudia euolare, factæ fuerunt nundinationes illæ à Petro prædictæ, vſq; adeò fœcundæ, vt vna non alterã ſed tergeminas ſemper pareret. Cùm enim à ſolo Pontifice in iubilæo, & in Baſilicis Romanæ Eccleſiæ plenariæ illæ indulgẽtiæ primò venderentur: multi verò vel iubilęi Bonifaciani terminum, hoc eſt, centeſimũ, non attingere, vel Romam non peruenire, vel ab ipſo Romano Pontifice tales ſe indulgentias impetrare non poſſe timerent: *Iubilæus reducitur ad quinquageſimum annũ, ob plenarias indulgentias.* varia inuenta fuerunt aucupia, ne qua crumena ab emunctionibus iſtis tuta & immunis eſſet. Clemens enim VI. Anno 1348. celebratione commẽtitij iubilæi, à centeſimo anno reduxit ad quinquageſimum, & addidit viſitationẽ Eccleſiæ Lateranenſis. *Iubilæus ad annum contractus 33. Poſt, ad annum 25.* Bulla Clementis VII. dicit: Gregorium vndecimum ad annum trigeſimum tertiũ reduxiſſe iubilæum. Tandem Paulus II. & Sixtus IV. nundinationem iubilæi à quinquageſimo ad vigeſimum quintum annum reduxerunt, qui anno 1475. celebratus tunc fuit, & addiderunt viſitationẽ Eccleſiæ Mariæ maioris. Plenitudinem etiam poteſtatis profundendi plenarias indulgentias Romanus Pontifex ita ſibi ſoli reſeruauit, vt pro expilatione eorum, qui Romam non adirent, vel negociationem iſtam per alios exerceret, vel eam facultatẽ certis limitationibus aliis venderet. *Legati Romani ad diuidendas plenarias indulgentias.* Legatos enim ſuos per varias miſit prouincias, aſſignatis ipſis certis legationis terminis, cum plenitudine poteſtatis concedendi plenarias indulgentias nomine Pontificis ad inſtar iubilęi. *Poteſtas plenariarum indulgentiarum vendita à Pontifice cum limitatione aliis quoque.* Vendidit etiam certis Eccleſiis, Monaſteriis, Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Hoſpitalibus, Confraternitatibus, & Vniuerſitatibus priuilegia, facultates, conceſſiones, & indulta concedendi indulgentias plenarias certis limitationibus. Sed ecce iterum nouam impoſturam, ne enim ideò, quòd vbiq; plenariæ indulgentiæ proſtarent, iubilæi nundinationes Romæ frigeſcerent: Pontifices imminentibus iubilæis venditas prius facultates, & conceſſiones ſuſpenderunt vſq; poſt iubilæum, vel ad beneplacitum. Sæpius etiam poſteriores Pontifices priuilegia indulgentiarum à prædeceſſoribus vendita, reuocarunt, & irrita fecerunt, vt de nouo & carius redimerẽtur. Extant hæc in extrauagantibus Pauli Secundi, & Sixti Quarti, & in grauaminibus Germaniæ, de quibus poſtea dicemus. *Alexander VI.* Alexander verò Sextus, ſicut Polydorus ſcribit, vt ſpurios ſuos locupletaret ſtationes iubilæi anno 1500. non in Romanæ Eccleſiæ Baſilicis tantùm, ſed & in longinquis Prouinciis vbique gentium vicatim fermè conſtituit, vt & abſentes data pecunia, plenarias iubilæi indulgentias mercari poſſent.

*Confeſſionalia, & quid.* Fuit & hoc non poſtremum artificium, quòd confeſſionalia (ſicut vocant) magno vendiderunt. Efficaciæ enim erroris non ſufficere viſum fuit, indulgentias vendere illo tempore, & in illis locis, vbi & quando publicè proſtabant ad remiſſiones præteritorum peccatorum, ſed ad futuros etiam caſus, pro peccatis adhuc committendis, vendebantur & emebantur indulgentię. Pro numerata enim pecunia vendebant Bullas, vt quando quis in poſterũ crimen aliquod commiſiſſet, & haberet poteſtatem eligẽdi ſibi confeſſorem, qui vigore Bullæ haberet ſibi poteſtatem hac in parte commiſſam, vt vel in certis, vel in quibuſcunq; caſibus poſſet confitentem abſoluere, & plenariam indulgentiam ipſi conficere, vel ſemel in vita, vel bis in anno, vel toties quoties, prout carius quis Bullas licitatus fuerat: Et hæc diplomata vocabant confeſſionalia.

Præcipuum verò aucupium fuit de indulgentiis

*Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis.*

tiis plenariis in articulo mortis conferendis. Licet enim in vita quis aliquoties mercatus fuiſſet plenarias indulgentias, ſi non ſtatim moreretur, dicebant: nouis & aliis peccatis cōtrahi nouum reatum ad pœnas. Vt igitur à pœnis purgatorij homines prorſus tutos & ſecuros redderent, excogitarunt nundinationem peculiarium indulgentiarum, quæ conferretur in ipſo articulo mortis, vt acceptis illis ſtatim ſine omni purgatorii cruciatu liber quis euolaret ad cœlum. Et hæ indulgentiæ omnium cariſſimè venditæ fuerunt. Scribuntur autem apud Antoninum, ab Eugenio Quarto quàmplurimis datæ circa annum 1440. licet ante ipſum apud Gerſonem etiam earum mentio fiat.

*Eugenius.*

*Impoſturæ variæ indulgentiarum in articulo mortis.*

Sed & hoc aucupium varias peperit impoſturas, vt quæſtus eò eſſet vberior. Cœptum enim fuit diſputari de articulo mortis præſumpto & vero, hoc eſt, ſi quis exiſtimaretur mox moriturus, & indulgētia iuxta indultum ipſi tunc data eſſet, ſi is poſtea euaderet, & illa vice non moreretur, tunc dicebant, gratiam illius indulti expiraſſe, & in poſterum nō valere, ſed alias emendas eſſe indulgentias. Eugenius Quartus verò, accepta pecunia addidit hāc declarationem, valere illam indulgentiam in articulo demum mortis vero, quando ſcilicet quis verè moreretur, & non expirare, etiamſi antea recitata fuiſſet. Quia verò in repentinis caſibus ſæpe non poteſt haberi vel Sacerdos vel Clericus, iterum magno redimēdum fuit, vt valeret, etiamſi Laicus pronunciaret formam indulti.

*Exceptio in Bullis talibus.*

Porrò addita fuit primùm in talibus Bullis hæc exceptio: Concedo tibi plenariam indulgentiā omnium peccatorū, Pręter ea, quę ex confidentia huius indulti commiſiſti. Fuit igitur nouo contractu & hoc magno redimendum, vt illa clauſula vel omitteretur vel expungeretur.

*Noua diſputatio.*

Poſtea verò magno conatu pro aris & focis diſputatum fuit, an illi, cui in articulo mortis talis indulgentia collata fuit, poſtea etiam opus ſit exequiis & ſuffragiis pro mortuis. Ne igitur ꝓpter illas indulgentias culinæ Sacerdotum, curantium exequias, algerent, illis etiam indulgentiis varias addiderunt limitationes de peccatis oblitis: quia forma indulgentiæ dicat de peccatis contritis & confeſſis. Item de venialibus peccatis, ad quæ contritio ſe non extendit.

Hæc quæ prolixè alibi diſputata extant, breuiter & ſummatim hoc loco annotare volui, vt Lector veritatem & impudentiam impoſturarum ob oculos ſibi ponere poſſet. Noſtris enim hominibus, qui ſub Papatu non vixerunt, talia vix de nomine nota ſunt: & prodeſt, memoriam talium impoſturarum ad poſteritatem propter multas cauſas conſeruare.

*Formula plenariæ indulgentiæ.*

Adſcribam autem formam talis indulgentię. Raimundus ad Alamaniam Orator, Nuncius & Commiſſarius Apoſtolicus. Notū facimus quatenus Pontifex N. cunctis vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, pro tuitione fidei contra Turcas, iuxta ordinationē noſtrā, manus adiutrices porrigentibus conceſſit indulgētias, gratias & facultates, quas obtinerent, ſi viſitaſſent Eccleſias vrbis tēpore iubilæi: & præterea conceſſit, vt poſſint eligere cōfeſſorem idoneum ſecularem vel regularem, qui eos, vita comite, ab omnibus exceſſibus & delictis præterquem ſedi Apoſtolicę reſeruatis, toties, quoties opus fuerit, abſoluere poſſit. Et inſuper toties, quoties ad talem ſtatum deuenerint, vt veriſimiliter de eorum morte dubitetur, etiamſi tunc eos ab hac luce decedere non contingat, atque in vero mortis articulo plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem eis impertiri de ſuæ plenitudine poteſtatis facultatem conceſſit. Indulſit præterea & ipſos, & parentes, & benefactores eorum defunctos, qui cum charitate deceſſerūt, in omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota vniuerſali Chriſti Eccleſia militante, & omnibus membris eiuſdem in perpetuum participes fieri. Aliæ formæ habent: Vt poſſit abſoluere ab aliis etiam caſibus ſpecialiter vel generaliter, Romano Pontifici & ſedi Apoſtolicæ quouis modo reſeruatis, & ꝓpter quæ ipſa ſedes meritò eſſet conſulenda. Item à peccatis contritis, confeſſis, & oblitis. Item in articulo mortis plenariam omnium peccatorum, etiam exceptorum, remiſſionem impendere poſſit. Quod ſi tunc non obierit, illam, quoties in tali ſtatu conſtitutus fuerit, recitare poſſit, vel idem vel alius confeſſor.

*Forma abſolutionis in bullis Raimundi.*

Forma abſolutionis in Raimundi Bullis hæc eſt: Dominus noſter Ieſus Chriſtus per meritum ſuæ paſſionis te abſoluat. Et ego authoritate ipſius, & Apoſtolica authoritate, mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, te abſoluo, primò ab omni ſententia excommunicationis maioris vel minoris, quam incurriſti: deinde ab omnibus peccatis tuis contritis, confeſſis, & oblitis, conferendo tibi plenariam omnium peccatorum tuorum remiſſionem, remittendo tibi pœnas purgatorij. In nomine, &c.

*Alia forma.*

Aliæ formæ habent: Ego autoritate Chriſti, & Beatorum Petri ac Pauli, & domini noſtri Papæ, mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſoluo te plenariè ab omnibus peccatis tuis contritis, confeſſis & oblitis & caſibus etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, in quantum claues ſanctæ matris Eccleſiæ ſe extendunt, ac tibi conceſſum & mihi commiſſum eſt: remittoque tibi omnes pœnas in purgatorio debitas, claudo tibi portas inferni, & ianuas aperio Paradiſi: bona per te facta & fienda ſint in augmentum tuæ ſalutis & gratię diuinæ.

*Alia.*

Vel remitto per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio tibi debitam, ac reſtituo te illi innocentiæ & puritati, quam in Baptiſmo accepiſti, ita quòd decedenti tibi ab hoc ſeculo clauſæ ſint portæ pœnarum, & aperta ianua delitiarum Paradiſi. Et ſi hac vice non morieris, ſalua ſit tibi nihilominus iſta gratia, quando alias fueris in articulo mortis, In nomine, &c.

*Forma indulgentiarum ad hoſpitaliū & fraternitatum participationem.*

Alia etiam forma fuit vſitata, quando hoſpitalia & fraternitates participationem omnium bonorum operum ſuorum & indulgentiarum, à Pontificibus ſibi conceſſarum, illis communicabant, qui manus adiutrices ipſis porrigebant, & in fraternitatem recipiebantur, vt: Teſtamur nos haſce perſonas ad almam fraternitatem S. Antonii recepiſſe, dantes eis plenam participationem omniū bonorum operum, quæ à principio fundationis, vſq; ad finem prędicti ordinis die noctuque, in tercentis ſexaginta quatuor monaſteriis & hoſpitalibus per fratres exercentur. Alia forma, quia in libro ad hoc deputato ſcripti ſunt, meritò conſequuntur omnes gratias, facultates plenariasq; peccatorum remiſſio-

nes, iuxta priuilegia & indulta per ſummos Roma. Pontifices N. N. fratribus, confratribus & benefactoribus hoſpitalis noſtri ſancti Spiritus in vrbe conceſſas, confirmatas, extenſas & ampliatas. Quinquagenarię videlicet pleniſſimi iubilęi Romani Bonifacij Octaui. Nec nõ omnium & ſingularũ ſtationum vrbis, quibus continentur plus quàm decies centena millia annorũ indulgentiarum, & quadraginta duæ plenariæ indulgẽtiæ, & dedicationis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac peregrinationis terræ ſanctæ, tàm in vita, quâm poſt mortem in æternum, ac etiã benedictionum Papalium: atq; omnium & ſingularum indulgentiarum, tàm plenariarum quam temporalium: & quarumcunq; gratiarum ſpiritualium confratribus & benefactoribus. Sacri & Apoſtolici Hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia, de vrbe à diuerſis Pontificibus conceſſarum: ac omnium vigiliarũ, orationum, ieiuniorũ, eleemoſynarum, diſciplinarũ, miſſarum, diuinorum officiorum, & præcipuè triginta duorum milliũ miſſarum & totidem Pſalteriorũ quolibet anno, atq; omnium & quorumcunq; aliorum bonorum pietatis & charitatis operum, quæ in eodem hoſpitali, & toto ordine quotidie fiunt & fient, dicuntur & exercentur in perpetuum.

*Summa indulgentiarũ Roman.*

Hæc exempli tantum gratia ex Bullis quibuſdam vulgaribus adſcripſi, & vtile eſſet plura Exempla annotari, vt profligatæ iſtius Pontificiæ impudentiæ notitia, ipſorum verbis ad omnem poſteritatem tranſmitteretur & conſeruaretur.

Infinitum autem eſſet recenſere, quomodo oppidatim, vicatim, templatim, oſtiatim adſcripſerint indulgentias: ſi quis hunc locum vſitauerit, ſi miſſam audierit: ſi officio diuino interfuerit: ſi hanc orationem dixerit: ſi ante hanc imaginem candelam accenderit: vel dixerit tot Patres noſtros Aueq; Marias: & præcipuè ſi manus adiutrices porrexerit, habet tot vel dierum, vel annorum indulgentias, conceſſas ab hoc vel illo Pontifice. Tantùm adſcribam carmina, quæ Biturigibus in Templo Cathedrali Diui Stephani ad altare Cardinalis, lapidi antiquo inſcripta leguntur, quę ſua manu deſcripta vir clariſſimus & ampliſſimus Dominus Hermannus Vecheldius, Iuris vtriuſque Doctor & Conſul Reipub. Lubecenſis mihi exhibuit.

*Verſus de indulgentiis.*

*Hic des deuotè, cœleſtibus aſſocia te,*
*Mentes ægrota per munera ſunt tibi lota.*
*Ergo venitote gentes à ſede remotæ,*
*Qui datis, eſtote certi de diuite dote.*
*Te precor, accelera, ſpargas hic, dum potes, æra,*
*Et ſic reuera ſecurè cœlica ſpera.*
*O ſi tu ſcires, quantum data proſit ibi res.*
*Tu iuxta vires donares, quod dare quires.*
*Te miſer à pœna, dum tempus habes aliena,*
*Vt tibi ſit pœna venia, ſit aperta crumena:*
*Conſors cœleſtis fabricæ, qui porrigit, eſt is,*
*Ex hoc ſum teſtis, vos hic mundare poteſtis.*
*Crede mihi, crede, cœli donaberis æde,*
*Nam pro mercede Chriſto dices, mihi cede.*
*Hic datur exponi Paradiſus venditioni,*
*Currant ergo boni rapientes culmina throni.*
*Vis retinere forum, mihi pendas pauca obolorum,*
*Pro ſumma quorum reſerabitur aula polorum.*
*Hic ſi largè des, in cœlo ſit tua ſedes.*
*Qui ſerit hic parcè, parcè comprendit in arce.*
*Cur tardas: tantum nummi des aliquantum,*
*Pro ſolo nummo gaudebis in æthere ſummo, &c.*

Adſcribam etiam ex Bernhardini Roſario impudentiſſimam fabulam de plenaria indulgẽtia in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis apud Aſſiſium. Cùm, inquit, Franciſcus apud illum locum in cella ſua oraret, apparuit ei Angelus dicẽs, vt iret ad Eccleſiam, quoniam Chriſtus & beata virgo cum Angelis expectarẽt eum, Chriſtus autem dixit: Franciſce, poſtula quod circa ſalutem animarum, quia datus es in lucem gentium. Franciſcus dixit: Supplico vt digneris facere hanc gratiam generi humano, concedere ſcilicet omnibus & ſingulis venientibus ad locum iſtum, & in Eccleſiam illam introeuntibus, veniam & indulgentiam omnium peccatorum ſuorum vniuerſaliter & generaliter. Et ſupplico beatæ virgini, aduocatæ humani generis, vt pro hac petitione impetranda, me adiuuare dignetur, &c. Chriſtus verò reſpondit, dicens: ſatis grande eſt quod petiſti, ſed maioribus dignus es, frater Franciſce. Admitto igitur ſupplicationem tuam: ſed volo vt vadas ad meum vicarium, cui dedi poteſtatem ligandi & ſoluendi in cœlo & in terra, & petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam. Franciſcus manè ſe contulit ad Papam Honorium, & petiit, vt ad honorem virginis Mariæ dignaretur in ipſa Eccleſia Portiunculæ, ponere indulgentiam plenariam ſine oblationibus. Papa reſpondit: ſe non poſſe hoc facere quia oportet, vt qui vult indulgentiam, eam mereatur ponendo manus adiutrices. Interrogauit autem Pontifex Franciſcum, quot annos vellet ibi poni de indulgentia. Qui reſpondit, ſe non velle annos, ſed animas, vt quicunque dictam Eccleſiam intrarent contriti & confeſſi, plenam conſequerentur remiſſionem omnium peccatorũ ſuorum à culpa & à pœna, quæ peccata commiſiſſent à die Baptiſmi vſq; ad diem & horam introitus in Eccleſiam: Addens, quod non ex ſe hoc peteret, ſed ex parte Chriſti, qui eum miſerat. Tunc Papa annuit, & quod poſtulauerat, cõceſſit. Egrediente autem Franciſco, Papa dixit: Vbi habes bullam? At ille reſpondit: Nullum de hac re volo inſtrumentum: ſed ſit beata virgo charta. Notarius ſeu plumbator Chriſtus, Angeli teſtes, ſigilla ſtigmata Franciſci. Poſtmodum ad petitionem Cardinalium Papa indulgentiam illam ad vnam diem naturalem ſingulis annis in perpetuum extendi declarauit, prima ſcilicet die Auguſti, à primis veſperis vſq; ad veſperas ſecundæ diei. Hæc & plura Bernhardinus. Atque ita impletum fuit Pauli illud. Propterea quòd non receperunt dilectionem veritatis, miſit illis Deus efficaciam illuſionis, vt crederent mendacio.

*Impudentiſſima fabula de plenariis indulgentiis Franciſci.*

*Papa vicarius Chriſti, ſcilicet.*

*Bulla Franciſcanarum indulgentiarum.*

## DE INDVLGENTIIS STATIONVM IN *Eccleſiis vrbis Romæ.*

Hildeſiæ, in Templo Cathedrali, legeram in ſuſpenſa tabula: Si quis hanc orationem quotidie deuotè dixerit, habebit octo millia annorum indulgentias à pœna & à culpa. Et tunc cùm amicis præſentibus diſputabamus, quæ eſſet ratio iſtius ſupputationis, cùm ad talem annorum numerum, nec vita hominis in hoc ſeculo ſe extendat, nec purgatorium etiam tàm diu duret, quia cum conſummatione ſeculi illud finiri fingunt.

*Vnius preculæ recitatione quotidiana 8000. annorum indulgentia conceſſa.*

Sed poſtea vidi, indulgentias ſtationum vrbis

Romæ

Romæ ad multa centena annorũ millia aſcendere. Cumq́; vltra finẽ mundi ſatisfactiones & indulgentias ſuas Pontificij non extendant, ego ſanè pro germanica ſimplicitate rationem calculi Pontificij, de tot centenis annorum myriadibus, nõ aſſequor, niſi Romanẽſes hoc myſterium nobis explicent: difficiliores enim ſupputationes noſtri vocant Italicas practicas. Adſcribam autem hoc loco ſummã notationis indulgentiarum in ſtationibus Romanis, ſicut Latinè editæ ſunt Romæ anno 1475. & poſtea Germanicè amplificatæ Norinbergæ anno 1491. vt Lector impudentiã cauponationũ, licitationum, & nundinationũ Romanenſium, in breui quaſi tabella ob oculos habere poſſit. Diximus autem in præcedẽtibus, quòd veteribus ſtationes fuerint quaſi ſtatæ feriæ, quibus populus in certa templa ad auditum verbi, ad participationẽ Sacramentorum, & ad preces communes conueniebat, ſicut extant Homiliæ Gregorij in ſtationibus illis habitę. Poſtea verò, cùm exercitia illa penè obſoleuiſſent, & manerent tantùm opus operatum viſitationis illarum Eccleſiarum, affinxerunt indulgentias, vt homines eò inuitarẽt. Et Bonifacius Octauus Baſilicę Petri & Pauli hoc priuilegium dedit, Clemens Sextus addidit Eccleſiam Lateranẽſem: Sixtus Quartus Eccleſiam Mariæ maioris. Et in iubilæis tantùm in illis Eccleſiis indulgentias primùm vendebant. Poſtea negociatione feliciter procedente, addiderunt alias etiam vrbis Eccleſias, & numerum indulgentiarum ſingulis fermè diebus in infinitum auxerunt, ſicut tabella hæc oſtendit.

*Stationes.*

*Numerus Eccleſiarũ Vrbis Romanæ.*

Dicunt igitur Romæ fuiſſe mille quingentas quinque Eccleſias, inter quas ſeptem ſunt principales, priuilegiatæ maiori priuilegio.

*Eccleſia Lateranenſis indulgẽtia quotidiana.*

Et primam dicunt eſſe Eccleſiam Lateranenſem, quæ ſit caput totius orbis & vrbis. In illa igitur, vt aiunt, ſunt omni die quadraginta & octo anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remiſſio tertiæ partis omnium peccatorum. Item Papa Sylueſter & Gregorius, qui eam cõſecrarunt, dederunt tantas indulgẽtias, quod nemo poteſt enumerare, niſi ſolus Deus, teſtante beato Bonifacio, qui dixit: Si homines ſcirẽt indulgentias Eccleſiæ Lateranenſis, non opus eſſet, quòd irẽt per mare ad ſanctum ſepulchrum, vel ad ſanctum Iacobum. Item: dicit Papa Bonifacius: Si quis ad ſedem noſtram Lateranenſem, deuotionis, orationis, aut peregrinationis cauſa veniret, ille abſoluetur ab omnibus ſuis peccatis. In Capella, quæ vocatur Sanctum Sanctorum, quam mulieribus non licet ingredi, eſt vera & plenaria remiſſio omnium peccatorum. In eadem Capella ſunt gradus 28. qui ſteterunt ante domũ Pilati in Ieruſalẽ. Et quicunq; hos gradus aſcẽderit cum deuotione, habet pro quolibet gradu nouem annos indulgentiarum, & totidem quadragenas, ac remiſſionem tertiæ partis omnium peccatorum. Qui verò geniculando gradus illos aſcẽdit, is vnam animam, pro qua orat, liberat ex purgatorio. In die dedicationis, qui vocatur dies Saluatoris, eſt ibi plenaria remiſſio omnium peccatorum à culpa & pœna. Cumq́ue Papa primùm indulgentiam illam largiretur, Angeli præſente populo dixerunt: Amen. Item: quãdo capita Petri & Pauli ibi oſtenduntur, tunc Romani habent indulgẽtias trium millium annorum, Vicini ſex milliũ, qui è longinquo venerunt, duodecim millium. In illa Eccleſia eſt aurea Porta, quæ tantùm in anno iubilæo aperitur. Sunt autem tres portæ, per quarum vnam Chriſtus Hieroſolymis ad mortem ſuam iuit: Cumq́; non certò conſtet, quæ ex iſtis tribus illa ſit, itur per omnes tres. Et qui deuotione per illas tranſit, liber fit à peccatis non aliter ac homo, cùm primùm baptizatur: Etiam pro animabus itur per illas portas.

*Sanctũ Sanctorum Romanum.*

*Dignũ Pontifice Romano.*

*Aurea porta.*

*Inſignis digna Papa blaſphemia.*

Item: cùm Gregorius Eccleſiam illam Lateranẽſem denuò dedicaret, dedit tot dierum indulgentias, quot guttæ cadunt, ſi per tres dies & noctes continuè pluat. Cumq́ue Gregorius metueret, ne theſaurus gratiæ illa profuſione euacuaretur, Chriſtus apparuit ei, & dixit: ſe concedere vt plures det indulgentias, populum enim his opus habere.

*Eccleſia S. Petri in Vaticano.*

Secunda Eccleſia principalis Romæ eſt ad S. Petrum in Vaticano, in qua ſunt omni die quadraginta & octo anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remiſſio tertiæ partis omnium peccatorum. Pro quolibet altari, quæ fuerunt centum & nouem, dantur decem & octo anni. In feſtis duplicibus duplicantur illę indulgentiæ. In feſto annunciationis Mariæ ſunt ibi mille anni indulgentiarum. Qui aſcẽdit gradus Petri cum deuotione (ſunt aũt viginti octo) pro quolibet cõceduntur ſeptẽ anni. Alexander poſtea ad ſingulos gradus dedit mille annos.

*Annunciatio Mariæ.*

*Veronica.*

Quando ibi oſtenditur Veronica, tunc Romani habent indulgentias trium millium annorum, Itali ſex millium, longinqui duodecim millium.

*Summum altare.*

In omnibus feſtis Chriſti, Mariæ & Petri ſunt ibi mille annorum indulgentiæ. Ad ſummum altare omni die ſunt octodecim anni. Pro peregrinis eſt ibi plenaria remiſſio, etiamſi quis patrem & matrem verberaſſet. Sub altari ſunt corpora Petri & Pauli, ibi ſunt quatuor millia annorum. Apud altare ante chorum ſunt quatuordecim millia annorum, & liberatio vnius animæ ex purgatorio. Eſt autem præcipua porta aurea, quæ in iubilæo aperitur in Eccleſia ſancti Petri, altera in Lateranenſi, tertia in Eccleſia Mariæ maioris.

*Eccleſia S. Pauli.*

Tertia Eccleſia principalis eſt ad ſanctũ Paulum, in qua ſunt omni die 48. anni indulgentiarum & totidem quadragenæ, ac remiſſio tertiæ partis omnium peccatorum. In conuerſione Pauli ſunt ibi centum anni indulgentiarum. In dedicatione Eccleſiæ ſunt ibi mille anni. In feſto Innocentium 48. anni.

*Eccleſia S. Mariæ maioris.*

Quarta Eccleſia principalis eſt ad S. Mariam maiorem, in qua ſunt omni die 48. anni, totidem quadragenæ, & remiſſio tertiæ partis omnium peccatorum. Nona die Maij eſt ibi remiſſio omnium peccatorum à pœna & à culpa. In omnibus feſtiuitatibus Mariæ ſunt ibi duodecim millia annorum. In die dedicationis mille anni & & quatuordecim.

*Eccleſia S. Laurentij.*

Quinta Eccleſia eſt ad ſanctum Laurentium, in qua ſunt omni die 48. anni, totidem quadragenæ, & remiſſio tertiæ partis omniũ peccatorum. Qui lapidem, ſuper quo aſſatus fuit Laurẽtius, viſitauerit, & ſepulchrum eius, habet ſeptem millia annorum. Qui omni quarta feria

per annum vnam Eccleſiam illam intrauerit, liberat vnam animam ex purgatorio.

*Eccleſia S. Sebaſtiani.*

Sexta Eccleſia eſt ad ſanctum Sebaſtianum, in qua præter generales indulgentias 48. annorum ſunt omni die mille anni. In menſe Maio eſt ibi vera & plenaria remiſſio omnium peccatorum. Similiter etiam in Cœmiterio Calixti. Varij demum Pontifices viſitantibus dederunt 48. millia annorum. Ibi eſt locus, vbi Angelus apparuit Gregorio dicens: In hoc loco poteſt vnuſquiſque contritus & confeſſus remiſſionem omnium peccatorum à culpa & pœna promereri.

*Quis dubitet hoc verũ eſſe.*

*Eccleſia S. crucis.*

Septima Eccleſia principalis eſt ad ſanctam crucem, in qua ſunt omni die 48. anni. Omni die Dominica ſunt ibi trecenti anni. In Capella Ieruſalem eſt plenaria remiſſio omnium peccatorum. Deinde ſex Pontifices fuerunt, quorũ quilibet mille annos dedit. In die dedicationis eſt ibi plenaria remiſſio.

*Maria ad aram cœli.*

In Eccleſia Mariæ ad aram cœli ſunt omni die mille anni. In feſto Aſſumptionis ſunt ſex millia annorum.

In feſto Annunciationis plenaria remiſſio.

*S. Sylueſter. S. Praxedes.*

In Eccleſia ſancti Sylueſtri ſunt 400. anni.

In Eccleſia ſancti Praxedis 300. anni.

In Capella Mariæ, quæ vocatur (libera nos à pœnis inferni) ſunt omni die duodecim millia annorum.

In Eccleſia Ioãnis ante portam Latinam, poteſt quis liberare vnam animam de purgatorio, dicendo vel faciendo dicere vnam miſſam.

In Eccleſia Mariæ nouæ, ſunt omni die ducenti anni indulgentiarum.

Ad Mariam Tranſtyberinam omni die ducenti anni.

Ad Chryſogoni omni die centum anni.

Ad Bartholomæi omni die mille anni, & in die Bartholomæi plenaria remiſſio.

Ad Ioannis de Inſula quotidie mille anni.

Ad Gregorij quotidie mille anni.

Ad Anaſtaſij quotidie quadraginta millia annorum.

Ad Mariæ ad ſcalam cœli quotidie ſeptingenti anni. Singulis feſtiuitatibus Mariæ quatuor millia annorum. Die dedicationis plenaria remiſſio.

Ad Sixti quotidie ſeptem anni.

Ad Clementis quotidie 40. anni.

Ad Coſmæ & Damiani quotidie mille anni.

Ad Adriani quotidie mille anni.

Ad Mariæ rotundæ ſingulis Dominicis & quartis feriis triginta anni. In Choro quotidie quadraginta anni.

In feſto omniũ Sanctorum plenaria remiſſio.

Ad Barbaræ mille anni.

Ad Iacobi quotidie 1500.

Ad ſancti Spiritus quotidie vndecim millia.

*Sũma indulgentiarum in vrbe Romana.*

Sed piget & tædet omnia proſequi. Illa igitur loca, vbi dierum, vel quadraginta, vel centum, vel paucorum annorum indulgentiæ dicuntur eſſe, omiſi, & præcipua tantùm exempli cauſa annotaui, Quæſtores autem Hoſpitalis ſancti Spiritus in vrbe Roma ſubducta ratione, inuenerunt indulgentias omnium & ſingulorũ ſtationum vrbis, exurgere ad ſummam vltra decies centena millia annorum, & plus quàm quadraginta duas plenarias indulgẽtias, præter animas quæ ex purgatorio liberãtur: quibus indulgentiis quomodo vel tempus huius vitę, vel tempus purgatorij ſufficiat, ipſi viderint, ego ſanè nõ intelligo, niſi forſan ad vſitatum illud confugerint: Superabundans cautela non nocet, aut cũ Franciſco Maironis diſputare voluerint, ſuperfluas indulgentias ad augmentum gratiæ & gloriæ conuerti. Porrò cùm Romani & Itali indulgentias illarum ſtationũ non amplius curarent, alias longinquas gentes, ad ſuſcipiendas peregrinationes, ad Eccleſias & ſtationes vrbis, inuitarunt, quæ primùm incredibili numero eò cõfluxerunt. Sed cùm deferueſcente vulgi feruore, peregrinorũ viſitationes rariores eſſent, excogitatum fuit aliud aucupium, vt indulgentiæ illarum ſtationum abſentibus pro pecunia in omnibus terris per legatos ſeu Quæſtores venderẽtur, cuius negotiationis formam paulò antè annotauimus. Sed quis infinitas formas omnium Romanenſium iſtarum impoſturarum percenſere poterit? Curtiſano aliquo, in officina iſtarum nundinationum bene exercitato, ad pertexendam hanc hiſtoriæ partem opus eſſet. Nam & ſubditis, vt eos à fide Imperatoribus ſuis data, auerterent, largas indulgẽtias propoſuerunt, quando excommunicatos Imperatores ab imperij culmine proturbare volebãt. Innocentius Quartus dedit decem dierum indulgentias orantibus pro Rege Franciæ.

## QVOD OMNIBVS TEMPORIBVS *fuerunt, qui impoſturis iſtis indulgentiarum contradixerunt.*

SIcut tempore Eliæ, cùm cultus Baaliticus fraude & vi omnia occupaſſet, vt Elias conquereretur, ſe ſolum relictum. Deus tamen plus quàm ſeptem millia ſibi reſeruauit, qui genua ſua non curuauerant coram Baal: Ita in mediis Pontificiarum ſuperſtitionũ tenebris, Deus ſemper quorundam mentes illuſtrauit, vt errores & ſuperſtitiones ipſi animaduerterent, ac aliis oſtenderent. Impoſturas igitur indulgentiarum, de quibus nunc agimus, multi intellexerunt: Sed cùm metu tyrannidis Pontificiæ publicè & apertè eas reprehendere non auderent, vel tacitè apud ſe eas contempſerunt: vel inter aniculas clam eas damnarunt: ſicut Speculũ aureum dicit: De erroribus Curię Romanę omnes quidem intus murmurãt, nulli autem clamant. Quidam tamen publicè & apertè abuſus indulgentiarum reprehenderunt, de quibus ordine breuiter annotabimus.

*Speculum aureum.*

*Catalogus eorum qui palã impoſturas indulgentiarum reprehẽderunt.*

Suprà autem oſtendimus, quemadmodũ ſtatim ſub initium Quæſtores indulgentiarum indiſcreta & ſuperflua earum perfuſione homines vt in re noua, ita offenderint, vt Lateranẽſe concilium circa annum 1215. coactũ fuerit modum ipſis præſcribere lib. 5. tit. de pœnitent. & remiſ. c. cùm ex eo. Et licet moderatione quadam profuſio illa tũc aliquantulum cohiberetur: tamen ante Scholaſticorũ tempora multi fuerunt qui totum negotium indulgentiarum reprehenderunt, ſicut ſuprà etiam oſtendimus. Et Eccius ex Vuilhelmo Antiſiodorenſi citat multos contradixiſſe Pontificibus, cùm inciperent indulgentias iſtas elargiri. Poſtea cùm Scholaſticorũ diſputationibus quæſtus indulgentiarum iterum creuiſſet: Viennenſe cõcilium circa annum 1311. coactum fuit, abuſiones Quæſtorum, ad extor-

*Eccij teſtimonium.*

quendum

quendum aurū fallaci ingenio excogitatas, reprehendere & damnare: quòd ſcilicet tertiam vel quartam partem de pœnitētiis iniunctis relaxarent, animas tres vel plures de purgatorio ſe extrahere mendaciter aſſererent, plenariam remiſſionem peccatorum indulgerent, & à pœna ac culpa per indulgentias abſoluerent. Hæc enim ſunt verba Clementinæ. Memorabile autem eſt, quòd Clemens Quintus celebraturus

*Vvilhelmus Durandus de indulgentiarū erroribus.*

Viennenſe Concilium Vvilhelmo Durando, quem Speculatorem vulgus nominat, iniunxit, vt capita quædam de celebrando concilio conſcriberet: quod Opus Pariſiis ante annos non multos editum eſt. Et in tertia parte, titulo 15. de indulgentiis ita ſcribit: Cùm in vniuerſali Eccleſia Quæſtores indulgentiarum multos errores diſſeminēt, multosq; ſeducant ſimplices, & multas abuſiones procurent, & vitam gerant enormiter diſſolutam, in tantum quod patent riſui, poteſtasq; clauium Eccleſiæ contemnitur, cùm pro vno obolo, vel nihilo, indulgētia conceditur, nec proficiat prouiſio concilij Lateranenſis, vnde populi contemnunt pœnitentias, à confeſſoribus impoſitas adimplere, putantes ſe abſolui propter dictas indulgētias ab iiſdem, & propter facilitatem veniæ, pro obolo obtinendæ & pecunia redimendæ, delinquere non formidant: Videretur ſuper hoc de competenti remedio prouidendum, & inſuper vt ceſſarent quæſtus curſorum & nunciorum Romanæ curiæ, &c. Et ex hac Durandi commonefactione canon ille Viennenſis concilij, de quo iam diximus, conſtitutus fuit.

*Tota nundinatio indulgentiarū reprehenſa.*

*Vvaldenſes.*

Et illi quidem modū tantùm aliquem in profuſione indulgentiarum deſiderarunt, non defuerūt tamen, qui totam illam nundinationem vel contempſerunt, vel reprehenderunt. Inter Vvaldēſium enim articulos decimustertius hic ponitur: Prælatorum omnium indulgentiæ, ad limina Sanctorum peregrinationes, imò anni iubilæi, nullius ſunt valoris vel commoditatis.

*Viclephus.*

Viclephi etiā articulus 42. eſt, fatuum eſſe credere indulgentiis. Fuerunt & hæc Viclephi verba: Conſulendum eſt fidelibus, vt non petant curiam Romanam ad Papales indulgentias vel abſolutiones à pœna & à culpa, ſibi & aliis impetrandas, quia Dominus totius mundi nō vult in tali breui vel anguſto loco coarctari: ſed in cœlo exiſtens perpendiculariter, cuilibet pœnitentiam agenti, paratus eſt ad lumen ſuæ gratiæ influendum.

*Ruthenorum articuli.*

In Ruthenorum etiam articulis vndecimus eſt: Quod indulgentias & iubilæos damnent, nullius efficaciæ ea perhibentes.

*Ioan. Huſſus. Hieronymus Pragenſis.*

Eadem Huſſus & Hieronymus Pragenſis in Bohemia repetierunt. Primum enim articulum Huſſitarum & Thaboritarū, Conradus Vvimpina hunc ponit: Indulgentias Papæ ad liberationem animarum nullius eſſe valoris: imò ob clericorum duntaxat auaritiam excogitatas & inuentas.

*Bohemi nundinatores indulgentiarū in carcerem coniecerunt. Memorabilis hiſtoria pro dignitate excepti & tractati quæſtoris indulgentiarum.*

Et populus in Bohemia cognitis indulgentiarum impoſturis nundinationes iſtas amplius ferre non voluit: ſed quæſtores indulgentias publicaturos, in carcerem coniecit, ſicut Conradus Vvimpina in 11. articulo contra Hieronymum Pragenſem indicat, vbi & hāc recitat hiſtoriam: Quòd Pragæ anno 1411. cùm poſt octauas Pentecoſtes Quæſtor quidam indulgentiarum literas inuulgare vellet, & iam pro cōcione venias ſuas impudēter ebuccinaret: populus armatus concurrerit, & Quæſtorem iſtum captū currui impoſuerit, adiunctis ipſi in curru publicis quibuſdam meretricibus, ex quarum mammis Papales indulgentiarum Bullas ſuſpenderit, atque ita Quæſtorem indulgentiarum cum Bullis Pontificiis, de meretricum collo pendentibus, per totam vrbem Pragenſem vicatim circumduxerit, & oſtentui habuerit, ac tandem Bullas iſtas indulgentiarum publicè & ſolenniter crepitantibus flammis concremarit.

*Conſtantienſe concilium.*

Et illas quidem contradictiones Cōſtantienſe concilium compendio refutauit, exuſtis contra fidem publicā Huſſo, & Hieronymo Pragenſi, & conceſſis de facto indulgentiis, omnibus in concilio exiſtētibus, & feria ſexta ieiunantibus. Inter ipſos tamen Pontificios tunc etiam fuerunt, qui in negocio indulgētiarum multa non probarunt.

*Gerſon de indulgentijs.*

Gerſon enim qui in Conſtantienſi concilio præcipuus fuit, communi errore abreptus concedit quidem, indulgentiarum conceſſionem non eſſe cōtemnendam: ſed deuotè amplectēdam, & conatur hoc probare ex poteſtate clauium, quas Chriſtus Eccleſiæ tradidit, Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittētur eis.

*Fundamentā Gerſonis contra indulgentias.*

Fundamenta tamen ea ponit quæ negotiationē indulgentiarum ab ipſis radicibus cōuellunt & euertunt. In tractatu enim de indulgētiis, quem ſcripſit anno 1427. diſputat, indulgentias non pertinere ad poteſtatem ordinis ſed iuriſdictionis, atque ideo non extendere ſe ſimpliciter & directè ad remiſſionem culpæ, quæ fiat in abſolutione ſacramentali, nec ad diminutionem alterius pœnæ, niſi illius, quam Papa, aut qui confert indulgentias, inflixit aut infligere potuit. Cuiuſmodi ſunt pœnæ excommunicationum irregularitatū inhabilitationū, &c. & inde concludit, poteſtatem ordinis, ſeu claues Sacramentales in abſolutione eſſe eminentiores, vtiliores, & eligibiliores in collatione indulgentiarum, quàm poteſtatem iuriſdictionis. Et addit hæc corollaria.

*Corollaria Gerſonis.*

I. Solus Papa ſupremus Chriſtus cum Patre & Spiritu ſancto poteſt dare plenaria autoritate indulgentiam omnimodam à pœna & culpa, quam dum confert, dat dies indulgentiarum innumerabiles & infinitos extenſiuè & duratiuè.

II. Solus Papa Chriſtus gratis & abſque merito alio, quàm ſuo, facit commutationem pœnæ perpetuæ in pœnam temporalē, vel in plenam abſolutionem.

III. Solus Papa Chriſtus poteſt illam tot dierum & annorum mille millium indulgentias concedere, qualis poſita reperitur in diuerſis conceſſionibus ſummorum Pontificum. Cumque tales Bullas Gerſon, nec probare poſſet, nec dānare auderet, addit: Forte talis enormitas conceſſionis ab aliquibus quæſtuoſis aut aliter malè motis conficta eſt. Item addit: Indulgentiarum conceſſor, per tot millia nedum dierum, ſed & annorum videtur difficulter ſaluabilis poſt remiſſionem æternæ pœnæ & commutationem in temporalem. Conſtat enim, quòd nec homo in hac vita poteſt aut debet ad tot annos obligari pœnitentiā agere, cùm non ſit victurus per milleſimam partem tot annorum. Conſtat præterea quod dum mundus finem habebit, ceſſabit purgatorium, & ex conſequenti, dies pœnarum ſuarum.

*Gerſon de valore indulgentiarum.*

Addit & hoc: vtrum claues Eccleſiæ ſe extendant, non ſolum

ſuper

ſuper terram, ſed etiam ſub terra in purgatorium, ſunt opiniones ad vtranque partem probabiles. Et fauorabile eſt, inquit, dicere quod ſic, ſaltem per indirectum. Concludit verò, indulgentias valere claue Eccleſiæ non errante, & Chriſto non reprobante. Neminem igitur ſic debere inniti indulgentiis, conceſſis in toto vel in parte à pœna & à culpa, quin ſtudioſus ſit pœnitentiam agere, &c. Et alibi dicit: Fatuę ſunt & ſuperſtitioſæ quædam intitulationes de indulgentiis viginti mille annorum. Vel tali modo: Qui dixerit quinque Pater noſter ante talem imaginem, &c.

Suprà annotauimus, quomodo Schola Pariſienſis impudentiæ indulgentiarum Clementis Sexti contradixerit. Et Auentinus ſcribit, cùm Antipapæ Vrbanus VI. & Clemens VII. circa annum 1380. largiſſimas profunderent indulgentias, quòd Schola Pariſienſis etiam ſolenniter adhibitis tubis & campanis, vt eorum mos eſt, Papæ erroneam ſententiam, indulgentiariis Bullis comprehenſam damnarit.

*Auentinus.*

*Fortalicium fidei.*

Author Fortalicij fidei, teſtatur circa annum 1450. non paucos fuiſſe, qui inter cætera indulgentias etiam improbarint. Certè circa annum Domini 1470. VVeſſelus Gruningenſis inter alios abuſus Papatus etiam indulgentiarum negociationē ſcriptis & diſputationibus inter doctos ſatis acriter taxauit, atque ideo dictus fuit Magiſter contradictionis. Et licet Pariſiis fuiſſet in Theologia Magiſter noſter, in exilium tamen eiectus, & facienda arte medica vitam tolerare coactus fuit. Is igitur in Epiſtola ad Engelbertum quendam dicit: Cùm Doctores à principio confiteantur, ſolum Deum peccata remittere, indulgentiarij confugiunt ad pœnas, quoniam mitior ibi mentiendi locus, cùm tamen Theologica regula ſit, Nihil debere fideles aſſerere, quod non in regula fidei contineatur. Nullū autem, inquit, locū Scripturæ dabunt, vbi pœnarū pro peccatis præteritis, & prorſus dimiſſis debitarū iudicium in Papæ arbitrium referatur. Ego, inquit, valdè titubanter dictū puto, vt alicui peccata remiſſa ſint, & adhuc nuda in cōſpectu Dei. Quomodo enim tecta, quæ adhuc imputantur? Quomodo verò nō imputantur, quando puniuntur? Dominus fortè dimiſit, vt Papa retineret ad pœnam? Item vbi ſtabilies hanc determinatā Chriſti voluntatem, vt vnum atq; idem opus indulgentiale nūc ſex annos valeat, nunc ſeptem, nunc ſeptingentos, nunc ſeptem millia, nunc plenariā indulgentiam? Quia verò obijciebatur, ſanctā Eccleſiam diuino ſpiritu gubernari, reſpondet: Verum eſt, in quibus ſancta eſt, nō autem, in quibus ignorat, & errat, ſicut, proh dolor, in multis valde plangimus erranté, præſertim in ſale infatuato, in villico diffamato, in infideli diſpenſatore, quos Bernhardus definit mercenarios pro paſtoribus, Lupos pro mercenariis, imò pro lupis diabolos.

*VVeſſelus Gruningenſis exulat ob taxatas fraudes indulgentiarum.*

*Regula Theologica.*

In alia Epiſtola ad Decanum quendam dicit, ipſos indulgentiarios fateri, quòd nec in Scriptura, nec in Patribus expreſſum aliquid extet de indulgentiariis.

*Exēpla VVeſſeli ad Decanum.*

Et Patres ante Albertum & Thomam reprehendiſſe recens tunc cœptas indulgentias. Gerſonem etiam & Antonium non pauca in materia indulgentiarum deſideraſſe. Pariſienſes verò temeritatem Clemētis Sexti publicè reprehendiſſe. Addit & hoc: Quantos errores in materia indulgētiarum Romana curia temerè præſumpſerit, & peſtilenter publicarit, ac hodie noxiè pullularēt, niſi ſana paucorum verorum Theologorum ſeueritas obſtitiſſet, non opus omnia commemorare. Subiungit ſe Romæ etiam ſub Paulo Secundo de indulgentiis inter doctos diſputaſſe: Veniſſe etiā tūc Pariſiis Romam quendam Magiſtrum noſtrum, qui dixerit: in Sorbona habitam paulo ante diſputationem de indulgentiis, à quo nemo doctior, ſed omnes quàm venerant confuſiores receſſiſſent. Cubicularium verò Papæ reſpondiſſe: Non nouum hoc eſſe. Et Curiales poſtea plenis verbis in VVeſſeli ſententiam conſenſiſſe. Suam verò ſententiam VVeſſelus ita exponit: De pœnis ego ſimpliciter, donec ſanius informer, teneo, quod pœna cum ſuo peccato remiſſo remittatur, neque vllum prorſus à peccato immunem deinceps ad pœnam obligari. Et ex Longobardo adducit dictum Ambroſij: Ille ſolus dimittit peccata, qui ſolus pro peccatis mortuus eſt. Itē, Auguſtini illud: Si texit Deus peccata, noluit aduertere, & ſi noluit aduertere, noluit animaduertere, & ſi noluit animaduertere, noluit punire, ſed voluit ignoſcere. Concludit igitur, Spiritū ſanctum per Petrū poſuiſſe vnicam, ſolidam, & ſolam Bullā indulgentialem, qua abundanter miniſtretur introitus in regnum Dei, 2. Pet. 1. Subminiſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam caritatem, in ea dilectionem: hæc enim ſi feceritis, ſic abundè ſubminiſtrabitur vobis introitus in æternum regnum, &c.

*Diſputatio Pariſienſis de indulgentijs.*

*Sententia VVeſſeli de indulgentijs.*

Cùm VVeſſelus diſputationes illas ex Italia & ex Galliis per exiliū ſuum in Germaniam attuliſſet: Doctor Ioannes Veſalienſis, qui prius fuerat profeſſor in Schola Erfordiēſi, factus poſtea cōcionator VVormacienſis, materiam illam arripuit, & inter reliquos articulos etiam hūc publicè pro cōcione coram populo tractauit, ſicut Conradus VVimpina annotauit: Papam & alios Prælatos non poſſe ex Theſauro Eccleſiæ compenſationes pœnarū, pro delictis debitarū, per indulgentias aliis diſtribuere, & applicare. Atq; ideo Eccleſiæ dando indulgentias plus nocere, quàm prodeſſe. Et allegauit etiam veteres quoſdam, & præſertim Cantorē Pariſienſem ſolitum dicere: Indulgentias eſſe pias fraudes, quibus Laici ad dandas eleemoſynas alliciātur. Cumq; obijceretur, Eccleſiam facere indulgentias, reſpondit: Verum eſt de illa, quæ non errat. Sed is propterea à Monachis cōprehenſus, & ad ignē damnatus fuit, anno 1479. Similem etiā contra ſe inquiſitionem metuere ſe oſtendit VVeſſelus in Epiſtola ad Decanum Traiectenſem, vbi inquit: Sæpe ego in D. Veſalio veritus inconſideratam & temerariam eius locutionem, quę licet Scholaſticæ ſubtilitatis, & forſan nonnunquam etiam aliquid catholicæ veritatis haberet: ea tamen in vulgus indoctum, cum graui ſimplicium ſcādalo proferri prorſus odioſum. Accipio prçterea ex amicis, inquiſitoré mox, vt cauſam Veſaliæ abſoluerit, ad me vſq; deſcenſurum ad inquirendū. In qua re, tametſi cauſæ nihil verear, inquietudinē tamen, ſuſpiciones, & calumnias ſuſtine-

*Ioannes Veſalienſis contra indulgentias.*

*Cantor Pariſienſis vocauit indulgentias pias fraudes.*

*De exceptione, Eccleſiam dare indulgentias.*

ſuſtinere oportebit, præſertim doctorum quorundam Colonienſium, quorum (expertè loquor) ex tuis caſibus facilè odia, quin & inuidiam coniectaui. Hæc ille. Sed VVeſſelus vel exemplo illo territus remiſſior & meticuloſior factus eſt: ſicut ex Epiſtola illa apparet, vel Deus illum mirabiliter protexit: In pace enim mortuus eſt Gruningæ, Anno 1489. in die Franciſci: Sed poſt mortem ipſius fraterculus quidam epiſtolam eius de indulgentiis impugnauit.

*Sauanorola Florentinus.*

Poſtea ſub Alexandro Sexto, Sauanorola Florentiæ inter cætera etiam Pontificias indulgentias acriter reprehendit, ſed flammis confutatus eſt. Et circa annum 1500. Roſtochij Sacerdos quidam Nicolaus Ruſt, inter alias ſuperſtitiones etiam indulgentias reprehendit, non voce tantùm, ſed ſcriptis etiam popularibus, quæ ab inquiſitoribus poſtea ſuppreſſa ſunt, indulgentias ſcilicet meram deceptionem eſſe piorum & quæſtum, veras indulgentias contingere à ſolo Deo gratis propter Chriſtum omnibus verè pœnitentibus.

*Germaniæ grauamina exhibita Maximiliano Imperatori.*

Tandem etiam totæ nationes de nundinationibus iſtis conqueſtæ ſunt. Nam circa annum 1510. natio Germanica grauamina ſua obtulit Maximiliano Imperatori, inter quæ decimum hoc fuit: Quòd indulgentiæ nouæ cum reuocatione aut ſuſpenſione veterum (Laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias concedantur.

Et poſtea Anno 1522. Proceres Imperij centum grauamina Germanicæ nationis aduerſus ſedem Romanam Oratori Pontificio in comitiis Norinbergenſibus propoſuerunt, inter quę tertium, quartum, quintū, ſextum, & ſeptimum querelam de indulgentiis continet. Illa igitur hoc loco adſcribam.

### *GERMANICAE NATIONIS GRAuamen III. de oneribus Papalium Indulgentiarum.*

ILlud importabile iam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quādo ſub perſona pietatis, quum aut baſilicas Romanas conſtruere, aut profectionem in Turcas parare polliciti ſunt Romani Pontifices, omnem à ſimplicibus, nimiumque credulis Germanis exuxerunt pecuniarū medullam. Et quod longè maioris eſt faciendum, per has impoſturas, ac earum conductitios præcones & prædicatores, profligata eſt germana Chriſtianorum pietas, dū qui extrudere volebant venales ſuas Bullas, laudes ſuis mercibus occinebant miras & inauditas, condonari per emptitias has cōdonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viuentium, ſed & defunctorum vita, exiſtentiū in purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarum) ignis, modò numeraretur aliquid, modò tinniat dextera. Atq; his merciū nundinationibus ſimul & ſpoliata eſt ære Germania, & Chriſti pietas extincta, quando quilibet pro precij, quod in has merces expenderat, modo peccādi impunitatem ſibi pollicebatur. Hinc ſtupra, inceſtus, adulteria, periuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna ſemel originem ſibi traxerunt. Quod enim malorum amplius iam horrebunt mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære, licet immodico, comparari poſſe, à nundinatoribus illis indulgentiariis, ſemel perſuaſum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, ſub religionis perſona nihil non perſuaderi difficile eſt? vt ingenio planè ad pietatem credulo eſt Germania.

*Præconia indulgentiarū impudentiſſima.*

*Fructus indulgentiarū.*

*Indulgentia pietatis fucus.*

*IIII.*

Et licet indulgentiæ hæ non ſemel in hoc ad Germanos miſſæ ſint, quaſi ex corroſa earum venditione pecunia, fideles contra Barbaros eſſent tutandi ac defendendi: euentu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei aut alioqui Reipublicæ Chriſtianæ neceſſariam: ſed in propinquorum luxū ac ſubleuandum familiam ipſorum eſſe verſam. Quo vno bina hæc nata ſunt perquàm maxima incommoda, quod & offendicula orta ſunt ſimplicibus & quod nunc Germani toties ſentientes luſam fidē, quum verè iam res poſtulat, vt contra Turcas inſtituatur expeditio bellica, nullis rationibus perſuaderi ſe patiuntur, vt credant: quòd res ipſa fore notorium facit, ita ſcilicet inſtare ceruicibus noſtris crudeles Turcas, ſuſpicantes ſemper prioribus ſimile quidpiam agi. Quæ vna ratio eſt, vt tam ægrè manus contra Turcas iungant. Quantorum ergo malorum & in rebus temporalibus, ac Chriſti fidelium conſcientiis, cauſæ fuerint Romanæ indulgentiæ, ſanctitas Apoſtolica, pro ſublimitate captus ſui exigua opera vel inde, ſi non ex re vlla alia coniectura conſequi poterit.

*Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo, &c.*

*V.*

*De caſib. Pōtifici Romano ſoli reſeruatis.*

Præterea Papalis ſanctitas, cæteriq; Epiſcopi, ac Eccleſiæ Romanæ columnæ, caſus aliquot ſuæ tantùm abſolutioni reliquos fecerunt: quorum ſi vnum aut alterum cōmiſeris, iam aut numerandum, aut abſolutione tibi carendum eſt: nempe quòd in hoc reſeruati ſint, vt inde nummorum aliquid eis accreſcat. Quod ex eo conijcere licet, quòd in caſibus etiam quantumuis pro tempore honeſtis aut neceſſariis, nunquam tamen, niſi numeretur aliquid, diſpenſant. At ſi nihil attuleris numeraueriſve, indiſpēſatus perpetuò maneas oportet.

*VI.*

Verùm, ſi quis vnde numeret habeat, iam nedum præſentes indulgentur harum cōſtitutionum trāſgreſſiones: ſed & in futurum impunè, vt eas ipſas tranſgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, vt anſam inde accipiant ij cum quibus ita diſpenſatum eſt, peierandi, homicidia, adulteria, & ſimilia flagitia perpetrandi, quando quilibet ex Sacerdotum vulgo abſolutionē emptitiā, virtute indulti, his impertiri poteſt. Quæ malorum ſeges tota ex habendi libidine, auriq; ſacra fame, qua nunc Eccleſiaſticorum nonnulli miſerè excruciantur, originem ducit.

*Fons indulgētiarū & publicorū Eccleſiæ malorum.*

### *DE PRAEDICATORIBVS INDVLGENtiarum Stationarijs. 7.*

*Stationarij.*

EſT & aliud indulgentiis vendēdi addictum hominum genus, quos Stationarios vulgò vocāt, hi ruſticorū plerunq; abutūtur ſimplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportus, omniaq; peragrāt, caſtella & oppidula, prędicantes ſancti cuiuſpiā, Valentini puta, Huperti, Cornelij, Anaſtaſij ve ſanctimoniā: ac quātum ad rem familiarem addat, ſi quotannis hūc vel il-

vel illum munuſculo aliquo, quod eis, Stationariis ſcilicet, in commodum cedat, demulceas. Inſcribentesque dehinc ſimplices ſub ſancti alicuius numen ac tutelam, promittentesque, vt hoc aut altero morborum genere vacaturus ſit, qui eis annuum cenſum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata ſunt, vt ſimpliciter illi ad viuum vſque exugantur. Nam primùm hoc negotium à ſancto Antonio cœptum, in innumera morborum genera dehinc ſueuit diduci, ita vt vix ſuperſit morbus nunc aliquis, cui Stationarij non & peculiarem Sanctum, tanquam tabernæ vel negociationi præpoſuerint. Proceſſitque eò vſque eius mali ſerpigo, vt pauperum, ac ſimplicium illorum, Quæſtionarij ac Stationarij prædicatores, ſanguinem vorent & medullam: dumque illi vnà cum liberis ſuis neceſſariis ſpoliantur, in deliciis & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarij.

*Sanctorum procuratio in morbis hominū ſanandis.*

### DE FATALI INDVLGENTIARVM TERmino, *quomodo Deus cathedras vendentium indulgentias, & menſas nummulariorum iſtorum gladio Spiritus, per miniſterium Lutheri ſubuertit.*

*Hiſtoria noſtri ſeculi.*

ET hactenus quidem, contra nundinationes iſtas indulgentiarū, multi partim murmurarunt, partim ſonora voce clamarunt: ſed vi, fraudibus, & dolis oppreſſi, nihil efficere potuerunt. Tandem verò Lutherus, gladio Spiritus, magno zelo, impudentiſſimos iſtos trapezitas aggreſſus eſt, cuius poſitiones contra indulgentias cùm Albertus Cranzius legiſſet, exclamaſſe fertur: Vera quidem dicis bone frater, ſed nihil efficies. Vade igitur in cellam tuam, & ora: Miſerere mei Deus. Sed aderat fatalis nundinationū iſtarum terminus, addidit igitur Deus voci ſuæ in Luthero vocem virtutis: detectis enim toti orbi impoſturis indulgentiarum, menſæ iſtæ nummulariorū ſine vi, ſolo Spiritus gladio, ſubuerſæ per ſe corruerunt, & impletum eſt dictum Prophetæ: Oſtendam gentibus turpitudinem tuā, & regnis ignominiam tuam. Quod, quomodo factum ſit, vtile eſt meminiſſe.

*Cranzius de impugnatione indulgentiarū per Lutherū facta.*

Creſcebat igitur indies impudentia nundinationis indulgentiarum, vt quo amplius progrederetur non inueniret, nec vbi conſiſteret haberet. Hactenus enim fictitiæ Pontificij iubilæi indulgentiæ ad vigeſimumquintum quenq; annum cōtractæ, illis ſolis diſpenſatæ fuerant, qui ſuſceptis peregrinationibus, limina Apoſtolorum, ſicut ipſi loquuntur, in Eccleſiis vrbis viſitarent. Alexander Sextus verò, ſicut ſuprà annotauimus, anno 1500. in aliis regionib. omnibus, gratiam iubilæi pro pecunia oppidatim & vicatim vendidit, abſentibus nō ſecus ac ſi ipſas Eccleſias vrbis omnes viſitaſſent. Quo aucupio cùm ingentem pecuniæ vim confeciſſet, ſecutus per interualla Leo X. de ſimili artificio emungendæ pecuniæ cogitauit. Cumq; anno 1513. ſedem beſtiæ aſcendiſſet, & vix ſperare auderet ſe iubilæi terminum ad annum 1525. aſſequi poſſe, nouo exemplo anno 1515. & 1516. miſſis per omnia Regna quæſtoribus, eandem gratiā, quæ in iubilæo peregrinationem Romanam ſuſcipientibus concedi ſolet, tunc extra iubilæi terminum pro pecunia, poſitis publicè in Eccleſiis ciſtis ſeu ærariis, venalem expoſuit. Prætextus autem, ſicut Cochlæus ſcribit, fuit ſtructura templi S. Petri Romæ, quam ſumptuoſiſſimè à Iulio II. inchoatam, cùm Leo ſe abſoluere velle fingeret, & pecunia non ſuppeteret, per impoſturam indulgentiarū ſe eam à Germanica præſertim ſimplicitate facilè emūgere poſſe, à Curtiſanis perſuaſus fuit. Vtq; cum authoritate aliqua impoſtura illa in Germania exerceretur: Archiepiſcopo Moguntino hoc negócij datum, qui ea conditione illud ſuſcepit, ſicut Lutherus ſcribit, vt dimidium prædæ Romā. Pontifici, altera pars Moguntino ad ſoluendum palliū cederet. Cùm merces iſtæ in aliis Prouinciis, anno 1515. & ſequenti expoſitæ fuiſſent hac licitatione, ſicut Maſſæus ſcribit, vt qui decē ſolidos numeraret, animā ex purgatorio liberaret. In Germania per annum 1517. potiſſimùm impoſturæ iſtæ exerceri cœperunt. Quæſitus autē & ad eam rem delectus fuit, exquiſitus quidam nebulo Ioannes Tecelius Dominicanus, ſeu ordinis Prædicatorij. Et illum quidem antea Maximilianus Oeneponti propter adulterium, in quo deprehenſus fuerit, ſacco ad ſubmerſionem adiudicarat, interceſſione autem Ducis Friderici liberatus fuerat. Sed quia poſtea ſicut Cochlæus narrat, ordini militari in Liuonia amplā pecuniam ſub prætextu indulgentiarū impudentibus ſuis præconiis conquiſierat: Viſus tunc fuit ille Moguntino ad ſaltandam hanc fabulā maximè idoneus. Creatus itaq; fuit commiſſarius Apoſtolicus, & hereticæ prauitatis inquiſitor, vt inquiſitoriis artibus opprimere poſſet, ſi qui contradicere vellent. Atq; ita non tantùm pro concione impudentiſſimis præconiis: verùm etiam ſparſo libello quodam, quem Summariam inſtructionē nominabat, indulgentiarū merces per Germaniā venales vbiq; exponebat. Capita autem & concionū & ſcripti eius, ſicut ex Lutheri ſcriptis colligo, hæc fuerunt: Pro concione deſpumabant Quæſtores iſti tales exhortationes: En cœlum vndique apertum iam eſt, ſi nunc non intres, quando vnquam intrabis? O inſenſatos & craſſi cordis homines, beſtiis prope ſimiles, qui nō percipitis tantam effuſionem gratiarum. En tot poteſtis redimere animas. O duri, duri, & negligentes: duodecim denariis Patrē extrahere potes, & tam ingratus parenti in tantis pœnis non ſuccurris? Ego ſanè in extremo iudicio excuſatus ſum: Vos videritis. Dico tibi, ſi vnam ſolam tunicam haberes, hanc quoq; exuendam & diſtrahendam iudico, vt tantas gratias obtineres, &c. In oblocutores verò iſtius gratiæ ita detonabant, vt tremens vulgus & cœlum mox ruiturum, & terram hiaturam formidaret. Addebant amplificationes: Si quis literas indulgētiarum redimeret, eius animā ſecuram eſſe de ſalute ſua. Et animas in purgatorio exiſtentes, pro quibus indulgētiæ redimantur, ſtatim vbi coniectus in ciſtam nūmus tinnierit, ex purgatorio in cœlum euolare. Item: tantas eſſe illas gratias, vt nullum ſit adeo magnum peccatum, etiamſi per impoſſibile quis matrem Dei violaſſet, quin per indulgentias ſolui poſſet, & hominem per iſtas indulgentias liberū fieri ab omni pœna & culpa. Eſſe enim iſtas gratias donū illud Dei inæſtimabile, quo homo reconcilietur Deo, & omnes pœnę purgatorij deleātur. Nec neceſſariā eſſe

*Occaſio reprehenſarum indulgentiarū per D. Martinum Lutherum.*

*Leo X.*

*Prætextus indulgentiarū Leonis X.*

*Albertus Archiepiſcopus Moguntinus indulgentiarū Leonis X. Promotor in Germania.*

*Precium animæ è purgatorio redimēda.*

*Ioannes Tecelius nugerendulus Romanæ Curiæ.*

*Caſtitas Tecelij.*

*Summaria inſtructio Tecelij.*

*Capita concionum Tecelij.*

*Contra oblocutores indulgentiarum.*

eſſe contritionem his, qui vel animas, vel confeſſionalia redimerent. Verba enim inſtructionis hæc fuerunt: Prima gratia principalis indulgentiarum eſt plenaria remiſſio omnium peccatorum, per quam peccator perfectam remiſſionem & Dei gratiã denuò conſequitur: Per quam etiam remiſſionem peccatorum ſibi pœnæ in purgatorio propter offenſam diuinæ maieſtatis luendæ, pleniſſimè remittuntur & omninò delentur. Item: Pontificem habere poteſtatem in purgatorium ad liberandas per viam indulgentiarum animas: Et tàm certam eſſe fiduciam ſalutis per literas veniarum affirmabant, vt ſuam animam pro illis impignoraret. Crucem, quam cum inſignibus Papæ in Eccleſia erigebãt, æquè efficacem eſſe, ac ipſam Chriſti crucẽ. Addebant fabulas: In certo quodã loco quinq; animarum millia per venias iſtas redemptas, inter quas ſolùm tres fuiſſent damnatæ, ideo quòd detraxiſſent indulgentiis. Finis & concluſio concionum fuit: Impone, impone, impone. Vtq; non verbis tantùm, ſed exemplo & facto homines excitarent, primi ad ciſtam in omnium conſpectu procedebant, ſplendido geſtu, & ſonoro tinnitu aliquid in ciſtam coniicientes, & aſtantes arridebant imponentibus, omittentibus indignabantur. Permittebant etiam pauperibus indulgentias iſtas gratis dari, ſed ita, vt primùm vndecunq; pecunias corradere tentarent à bonis fautoribus. Et vxores docebant etiam inuitis maritis, quomodocunq; corradere pecuniam ad redimendas indulgentias. Hæc ex ſcriptis iſtorum temporum collecta, ipſis verbis, quibus annotata fuerunt, adſcripſi.

*Verba inſtructionis Tecelij.*

*Fabula de virtute indulgẽtiarum Tecelij.*

Interea verò, dum impoſturæ iſtæ magna impudentia Germaniam peruagarentur, audiebãtur non murmura tantùm, ſed manifeſtæ indignationes omnium bonorũ. Defeſſi enim erant iam omnes in Germania ferendis iſtis expilationibus, nundinationibus, & infinitis impoſturis Romanenſium. Vocarunt indulgentias animarum nundinas, & Monopolia fremebant à nundinatoribus iſtis indulgentiariis vendi licentiam & impunitatem peccatorum, non de præteritis tantùm, verumetiam de futuris, nec in hac tantum vita, verùm etiam poſt obitũ, ſicut loquuntur querelæ Germanicorum grauaminum. Fingebant ridiculas fabellas, veniſſe ſcilicet quendam mortuum cum literis veniarum ad infernum, ac per eas petiiſſe libertatem: occurriſſe verò Dæmonem quendam, qui cùm Bullam legeret, inter manus ipſius præ furore ignis papyrũ, membranam, ceram & plumbum conſumpta, atq; ita animam vacuam in profundum præcipitatam, ſicut hæc narrantur in ſcriptis iſtorum temporũ. Spargebatur & illa narratio: Nobilem quendam indicaſſe Tecelio, in animo ſe habere, quòd vellet magnum aliquod facinus deſignare; & in futurum eius peccati petiiſſe indulgentiam: Et Tecelium magna quidem pecuniæ ſumma indulgentiam illam licitatũ, nobilem tamen numerata illa pecunia Bullam accepiſſe. Poſtea nobilem illum, captata occaſione, Tecelium in ſylua quadam effractis indulgentiariis ciſtis ſpoliaſſe. Cumq; Tecelius omnes ipſi diras minitaretur: Nobilem ipſi oſtendiſſe Bullam indulgentiarum tàm magno redemptam, & cum riſu addidiſſe: Hoc erat peccatum illud, quod in animo habebam, à quo iam in optima forma abſolutus ſum. Omnes igitur optabant, & inſtigabant, vt ex doctis aliquis impudentiſſimis iſtis nundinationibus ſe opponeret: ſed metu Tyrannidis Pontificiæ nemo audebat progredi.

*Indignatio publica cõtra impoſturas Tecelij concitata.*

*Sales oppoſiti nugiuendulo Tecelio à Germanis.*

*Alia narratio iſtorum temporum.*

Tandem cùm Tecelius merces ſuas indulgentiarum ea, de qua dictum iam eſt, impotentia, venales exponeret in oppido, ſicut Cochlæus ſcribit, Jüterbock (quod prope meam patriam Brietzen / quæ à fidelitate olim Marchionibus Brandenburgenſibus præſtita, nomen habet, ſitum eſt, vnde etiam maternam duco originem) ibi ob loci vicinitatem, rei indignitas Lutherum VVitebergæ docentem, magis perculit, ac Deus peculiari impetu ſpiritum ipſius excitauit, vt cõſtitueret impudentiſſimis iſtis cauponationibus contradicere. Cùm verò primùm non auderet totum negocium indulgentiarũ reiicere aut damnare, enormes tantùm exceſſus & craſſiſſimos abuſus reprehendit: totum verò negocium in diſputationẽ adduxit, affixis publicè propoſitionibus anno 1517. pridie Calendas Nouembris, ſicut liberum tunc erat in Scholis omnia, etiam certiſſima, diſputando in dubium vocare. Edidit etiam concionem de Indulgentiis & pœnitentia. Ac ſcripſit ad Moguntinum & Brandẽburgenſem Epiſcopos, ad ipſum etiam Leonem Pontificem, vt Quæſtorum impudentiam cohiberent. Nec verò in vniuerſum tunc damnabat Papales indulgentias: ſed tantùm modum adhiberi, ac enormes exceſſus corrigi petebat, dicebat redemptiones veniarum non eſſe vel præcepti vel conſilij, nec ad ſalutem neceſſarias: ſed liberas, imò vtiles, ſi homines in eas non cõfidant. Item: non eſſe contemnendas indulgentias, ſed liberas relinquendas: eſſe eas de genere eorum, quæ licent, & ſub permiſſionem cadunt, quamuis non de numero eorum quæ expediunt.

*Patria Doctoris Martini Chemnitij.*

*Principium reprehenſionum, quibus Lutherus vſus eſt in indulgentiis.*

*Themata diſputationis Lutheri de indulgentiis. Concio Lutheri de indulgentiis, &c.*

*Litera Lutheri ad Papam & Moguntinum & Brandenburgenſem Epiſcopos. Quid Lutherus principio damnarit in indulgentiis.*

Mota hoc modo indulgentiarum Camarina, ſuſpenſis animis vbiq; omnes expectabãt euentum rei. Nulla autem prorſus moderatio vel ab Epiſcopis, vel à Pontifice adhibebatur. Sed Tecelius per Conradum VVimpinam contrariis poſitionibus omnia ſua impudentiſſimè defendebat. Ac certatim ſcriptis acerbiſſimis in Lutherũ irruebant Theologi Pontificij, Sylueſter Prieras Romæ Magiſter Palatij, Eccius, Hogoſtratus, &c. Illi impudentiſſima Axiomata Tecelij omnia, de quibus dictum eſt, magna vehemẽtia defendere conabantur. Ex hiſce principiis: Primò, quòd Papæ poteſtas eſſet ſuprema, quæ à toto ſimul mundo non poſſet reſtringi. II. Quòd Papa ea, quæ fidei ſunt ſolus haberet determinare, & Scripturam autoritatiuè pro ſuo ſenſu interpretari. III. Multas veritates & catholicas tenendas, licet nec in canonæ Scripturæ, nec à Doctoribus antiquioribus ponãtur. Hæc enim ſunt verba in poſitionibus VVimpinæ. Ita irritatus Lutherus, totum negotium indulgentiarum per Reſolutiones plenius cœpit examinare, ac paulatim etiam Doctrinam de pœnitentia, de fide, de iuſtificatione, &c. magno omnium applauſu illuſtrare. Interea cœpta erant Comitia Auguſtana Anno 1518. eò citatus erat Lutherus ad cauſam dicendam coram Cardinali Caietano, cui Pontifex hoc in mandatis dederat. Ille verò hoc tantùm multis minis vrgebat, vt Lutherus ſua reuocaret, tunc ſalua fore omnia. Et

*Conradus VVimpina patronus indulgentiarũ. Sylueſter Prieras. Eccius. Hogoſtratus. De autoritate Papæ.*

*Incremata ſemel mota diſputationis. Quibus argumentis vſi cõtra Lutherũ Comitiorum Auguſtanorum acta. Caietanus.*

non pauci erant, qui dicebant, de poteſtate ſummi Pontificis non diſputandum, ſed tacendum & gratias agendas.

Cùm verò Lutherus ad hoc permoueri non poſſet, re infecta diſceſſum fuit. Et quoniam quidam animaduertebant, Lutherum minis & maledictis non poſſe à ſententia dimoueri, nec populum placari acerba defenſione impudentiſſimarum nundinationum: alia igitur via hoc tentarunt, & per Carolum Miltitium multis actum fuit cum Luthero, vt quæ pacis eſſent conſuleret, & Pontifici reconciliaretur. Vocârat etiam Carolus ille ad ſe Tecelium primarium Tragœdiæ iſtius authorem, ac ſeuerè obiurgatum verbis ac minis Pontificiis ita terruit, vt ægritudine animi confectus, non multò poſt extingueretur. Hæc ratio agendi Lutherum ita mouerat, vt oſtenderet ſe pacis cupidum & ſtudioſum. Cumq; neceſſitate quadam, quaſi per vim in turbas illas pertractus eſſet, prolixè promiſit omnia.

*Actus aduerſariorum. Carolus Miltitius.*

*Tecelius moritur.*

Et ſanè ſi hanc viam proſecuti tunc fuiſſent Pontificij, potuiſſent omnes illas turbas ſanare. Sed aderat fatalis terminus indulgentiarum, & totius regni Pontificij. Conſtituerat enim Deus propulſatis Ægyptiacis tenebris, lucem verbi ſui rurſus accendere, & Eccleſiam ſuam ex Babylonica captiuitate liberare. Vociferabâtur itaq; ij, qui columnæ Regni Pontificij videri volebant: Non decere maieſtatem Pontificiã tàm molliter & abiectè rem illam agere. Sed effecerũt, vt Pontifex promulgaret condemnationem Lutheri. Nominatim verò edidit nouam Decretalem de indulgentiis & earum efficacia, in qua non obſcurè Teceliana dogmata de indulgẽtiis à pœna & à culpa, pro viuis & pro mortuis confirmat. Hæc enim ſunt verba: Romanũ Pontificẽ Chriſti vicarium, poteſtate clauium (quibus culpam & pœnam pro actualibus peccatis debitam tollat, culpam quidem mediante pœnitẽtiæ Sacramento, pœnam verò temporalem pro actualibus ſecundũ diuinam iuſtitiam debitam, mediante Eccleſiaſtica indulgentia) poſſe pro rationalibus cauſis concedere fidelibus, ſiue in hac vita ſint, ſiue in purgatorio, indulgentias ex ſuperabundãtia meritorum Chriſti & Sanctorum, ac tam pro viuis quàm defunctis, Apoſtolica autoritate, vel per modũ abſolutionis indulgentiã ipſam conferre, vel per modum ſuffragij illam transferre. Ac propterea omnes, tàm viuos quàm defunctos à tanta pœna liberari, quanta conceſſæ & acquiſitæ indulgentiæ æquiualet, &c. Hanc decretalem Eccius in Lipſica diſputatione ita interpretatus eſt, Indulgentias quidem de ſe non remittere vel delere culpam: ſed tamen dari indulgentias, vt, qui eas acquirunt, abſoluantur à pœna & à culpa, in hanc ſententiam: Quia Papa cõcedat, vt qui redimunt indulgentias à culpa, mediante Sacramento pœnitentiæ à deputatis commiſſariis abſoluantur, & deinde indulgentias, id eſt, pœnarum remiſſiones conſequantur, ita vtrunque fieri per indulgentiarum Bullas, vt à pœna & culpa liberentur.

*Nouum Claſſicum aduerſariorum contra Lutherũ.*

*Lutherus cõdemnatur à Pontifice. Decretalis Leonis X. de indulgentiis.*

*Ecciana interpretatio Decretalis Pontificiæ.*

Secutæ poſtea ſunt condemnationes Lutheri doctrinales à Louanienſibus & Colonienſibus. Atque ita data fuit Luthero occaſio, vt ſubinde plures errores in doctrina Põtificia detegeret, & alios etiam locos doctrinæ Chriſtianæ, ex verbo Dei, nequicquam fremente Romano Pontifice illuſtraret. Et res eò deducta eſt, quòd in comitiis Auguſtanis anno 1530. Pontificij ordines Imperatorem rogarunt, vt interpoſita ſua authoritate efficeret apud Pontificem, ne amplius indulgẽtias in Germaniam mitteret, totam enim religionem Pontificiam ita ludibrio exponi.

*Pontificiis pudere cœpit nũdinationis & defenſionis indulgentiarum.*

Nunc Concilium Tridentinũ vſum indulgẽtiarũ maximè ſalutarem prædicat, & leuiter tantùm de abuſibus quibuſdam concionatur. Obſeruet autem Lector, quòd decretum Tridentinũ in ſpecie non explicet, qui ſint abuſus illi. Teceliana enim portenta, de quibus diximus, probare forſan non poteſt, & tamen damnare etiam vel non vult, vel non audet, quia à tota Eccleſia Pontificia tunc, ſicut oſtẽdimus, defenſa & Papali autoritate confirmata fuerunt. Ne igitur nihil agere videatur, in genere nominat abuſus quoſdam & prauos quæſtus, quos tamen nec oſtendit nec explicat: ſed dicit, cõmodè illos in ſpecie inueniri & prohiberi non poſſe, vt per verba generalia nihil ſignificantia, ſpes emẽdationis oſtentetur, re ipſa autẽ nihil fiat. In Decreto igitur Tridentino tandem omnia ad poteſtatem Romani Pontificis referuntur, vt ita nerui veteris ſuperſtitionis retineãtur, & ſi fieri poſſet, per occaſionem hominibus rurſus obtrudantur. Sicut Pius Quintus, anno 1571. edita bulla, hortatus eſt fideles, vt pro felici ſucceſſu fœderis contra Turcam ieiuniis, orationibus & Eleemoſynis vacarent, vtq; eò libentius illud facerẽt, omnibus & ſingulis, qui quarta & ſexta feria ac ſabbato ieiunarẽt, &c. pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, & eam indulgẽtiam, quæ fidelibus Eccleſias almæ vrbis & extra vrbem, ad id deputatas, viſitantibus conceſſa eſt, pro illa, quam habeat theſauros Eccleſiæ aperiendi poteſtate, elargitus eſt, dans poteſtatem eligendi confeſſorem. Et reliqua, ſicut in veteribus bullis vſitatũ fuit. Inde Lector intelligere & ſtatuere poteſt, quomodo canonẽ Tridentinũ Pontifex accipi velit, nẽpe vt illa omnia, de quibus hactenus diximus, quæ collapſa & exploſa iam aliquandiu fuerunt, paulatim reuocentur, hoc eſt, reſtituãtur, vt ſcilicet indulgentiæ ſint non tantùm relaxationes pœnarum canonicarum, quæ iamdudum antiquatæ ſunt: ſed pleniſſimæ remiſſiones ipſorum peccatorum, & quidem omnium peccatorũ ex theſauro operum, quę Sancti vltra quàm debuerunt, ſupererogarũt: Vtq; Eccleſiæ rurſus obtrudantur impudentiſſimæ impoſturæ de ſtationibus vrbis, quas cõtinere fingũt vltra decies centena millia annorum, & pluſquam quadraginta duas plenarias indulgentias, cũ liberatione aliquot animarũ ex purgatorio, ſicut ſuprà deſcripſimus. Iſtas exoletas merces Pius noſter ex poteſtate ſua aperiendi theſauros Eccleſiæ, ipſis veterum Nundinatorum verbis rurſus venales exponit. Quia verò merces iſtas non admodũ gratas, nec in magno precio eſſe intelligit, gratis eas exponit, ſi hoc artificio homines rurſus ineſcare & faſcinare poſſit. In fine enim Bullæ ſub excommunicationis pœna diſtrictius pręcipit omnibus & ſingulis Notariis Eccleſiaſticiſq; perſonis, ne publicationis, ſubſcriptionis, obſignationiſq; prætextu, quicquam etiam à volentibus & vltrò offerentibus, pecuniæ exigere, aut aliquod lucrum, vel minimum facere audeant.

*Concilium Tridentinum de vſu & vtilitate indulgentiarum.*

*Generalitas inſidioſa Concilij Tridentini.*

*Summa Decreti Tridentini de indulgentiis.*

*Pij Quinti Bulla indulgentiaria.*

DECRE-

## DECRETVM TRIDENTINI CONCILII DE DELECTV ciborum, Ieiuniis & diebus Feſtis.

*INſuper hortatur S. Synodus, & per ſanctiſsimum Domini noſtri atque Saluatoris aduentum, Paſtores omnes obteſtatur, vt tanquam boni milites, illa omnia, quæ ſancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum mater & magiſtra ſtatuit, nec non ea, quæ tàm in hoc Concilio, quàm in aliis Oecumenicis, ſtatuta ſunt, quibuſcunque fidelibus ſedulò commendent, omniq́; diligentia vtantur, vt illis omnibus, & iis præcipuè ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum Delectus & Ieiunia: vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum Feſtorum deuota & religioſa celebratio, admonentes populos crebrò obedire præpoſitis ſuis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient: qui contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentiunt.*

## EXAMEN.

*Summa dogmatis Pontificij de delectu ciborum & ieiunio.*

VNiuerſæ Eccleſię notiſſimum eſt, quales laqueos Pontificij per leges ſuas de ieiuniis, & de diſcrimine ſeu delectu ciborum conſcientiis iniecerint, quas ſuperſtitioſas & impias opiniones neceſſitatis, ſatisfactionis, cultus, iuſtitiæ & meriti, ieiuniis & delectu ciborum attexuerint, quòd ſcilicet ſint ſatisfactiones pro peccatis, quibus peccata expientur, & talia bona opera, quibus Deo gratiores effici, & vitam æternam promereri poſſimus. Item: qui ex delectu ciborum vel ſeruato, vel non ſeruato fecerint vel peccata mortalia vel peculiares cultus Dei ex opere operato, quas tamen leges pro diuitibus venales habuerunt, & pecuniam numerantibus, liberaliter relaxarunt. Cùmq; totus orbis à Tridentinis patribus diu expectaſſet reformationem, ipſi in fine Concilij, ſicut ab initio fecerũt, ſolita ſua exercent artificia: diſſimulatis enim erroribus & ſuperſtitionibus Pontificio ieiunio & prohibitioni ciborum annexis, dicunt, fideles debere obſequentes eſſe iis, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ſunt ieiunia: quibus ſuum ciborũ delectum, ſeu prohibitionem potius non tantùm addunt, verùm etiam præponunt. Superſtitioſas verò leges & opiniones de ieiuniis, ac prohibitionibus ciborum omnes ſub illa Orci galea inuoluunt: quando dicunt, illa omnia, quæ Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra ſtatuit, quibuſcunq; fidelibus commendanda & ſeruanda eſſe, vt ita ſub prætextu ſententiarum Scripturæ, quę de mortificatione carnis, ac de veris ieiuniis concionantur, ſuperſtitioſas ſuas leges & opiniones omnes ſtabiliant & retineant. Vtq; ſub hoc prætextu, illos qui impias ipſorum de ieiuniis & prohibitione ciborum leges & opiniones, ex verbo Dei, taxant, plauſibili ſpecie traducentes condemnare poſſint, quaſi ea, quæ ad mortificationem carnis in Scriptura traditam conducunt, improbent & reiiciant. Et quidem ſi hoc agerent, vt abiectis & damnatis impiis & ſuperſtitioſis legibus & opinionibus, ſana doctrina & vtilia exercitia veri ieiunij, ſicut in ſcriptura hæc tradita ſunt, ſine conſcientiarum laqueis & prauis opinionibus Eccleſiæ reſtituerentur, omnes pii certatim operam ſuam & meritò & libenter huc conferent: ſed quia ad ſtabiliendas ſuperſtitioſas Pontificiorum leges & opiniones de ieiuniis & prohibitione ciborum & ad traducendos eos, qui prauas iſtas opiniones ex verbo Dei taxarunt, inſidioſè illa omnia inſtructa ſunt: ideo diſtinctè exponemus.

*Inſidiæ Tridentin. in hoc decreto.*

*Partitio oſtendẽs ſummam totius huius tractationis.*

I. Primò, veram ſcripturæ ſententiam de ieiuniis & de ciborum delectu: II. Poſtea ſubiungemus conſentientes quaſdam veteris Eccleſiæ ſententias: III. Addemus deinde Antitheſin de impiis ac ſuperſtitioſis Pontificiorum legibus & opinionibus, de ieiunio, & prohibitione ciborum. IIII. Poſtremò colligemus hiſtoricam obſeruationem, quomodo omnibus temporibus ſuperſtitiones de ieiuniis & prohibitione ciborum Eccleſiæ negocium fecerint, quomodo ſæpius repreſſæ ſint, donec tandem ipſam Eccleſiæ arcem inuaſerunt.

### *QVOD VERVM IEIVNIVM HABEAT TEſtimonia & exempla ſacræ Scripturæ in veteri & nouo Teſtamento.*

*Eſſe ieiuniũ verum.*

IEiunium per ſe & ſuo genere non eſt opus mandato Dei prohibitũ, vel contra verbũ Dei pugnãs, nec inter ea ſimpliciter numerari vel debet vel poteſt, quæ ſine vllo Scripturæ vel teſtimonio vel exemplo, ex ſola hominum traditione exorta & inſtituta ſunt. Habet enim non pauca vel obſcura, ſed multa & illuſtria teſtimonia & exempla, in Scriptura tùm veteris, tùm noui Teſtamenti. quæ ideo prodeſt in conſpectu habere: Quidam enim propter abuſus Pontificios adeo abhorrent à ieiunii doctrina, vt audito vel ſolo ieiunij nomine reſiliant, ac ſi vel homicidium vel adulterium audirent: Quidam totam de ieiunio Doctrinam ſine diſcrimine inter traditiones humanas reiiciunt. Sed Scriptura abuſus ieiuniorum, Iſa. 58. Zacha. 7. Matth. 6. ita reprehendit & damnat, non vt ipſa ieiunia per ſe ſimpliciter abiiciat, ſed vt veram eorum rationem, & pium vſum oſtendat, & multis piis exemplis probet ac confirmet. Quod verò manifeſta verbi Dei teſtimonia & probata ſanctorum in Scripturis exempla habet, non eſt inter humanas traditiones numerandum: ſed ſi quos ſuperſtitioſos abuſus & prauas opiniones, hominum traditiones ieiunio aſſuunt, illa diſcernenda & ſeiungenda ſunt ab ipſis ieiuniorum exercitiis, ſicut verbi Dei teſtimoniis traduntur, & Scripturæ exemplis comprobantur. Atq; opera danda eſt, vt reiectis ſuperſtitioſis opinionibus, ac remotis prauis abuſibus, res ipſa, ſicut Scripturæ teſtimoniis & exemplis traditur, Eccleſiæ reſtituatur.

*Contraria.*

*Teſtimonia veteris Teſtamẽti de ieiunio.*

Dauid igitur inquit, Pſalm. 35. Ego autem cum ipſi ægrotarent, induebar ſacco, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum meum vertebatur. Pſalm. 69. Si quando fletu & ieiunio animam meam adfligebam, hoc factum eſt in opprobrium mihi. Ioelis 1. Sacrificate ieiunium, & clamate ad Dominum. Cap. 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu & in planctu, clangite tuba, ſanctificate ieiunium, &c. Num. 30. ſtatuitur de voto ac iuramento ablugationis ad affligendam animam.

Leuit. 6. & 23. Decima die ſeptimi menſis dies expiationum erit, affligetisq; animas veſtras in

ea. Omnis anima quæ afflicta non fuerit hac die, peribit de populis ſuis. Iſai. 58. Hoc eſt ieiunium quod elegi, &c.

*Teſtimonia noui Teſtamenti.*

Et ne quis arbitretur, ieiunium reiiciendum eſſe inter Leuiticas Teſtamenti veteris ceremonias, quę iam abrogatæ ſunt: habet & nouum Teſtamentum teſtimonia & exempla de ieiunio, vt Matth. 6. Cùm ieiunas, vnge caput tuũ, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui videns in occulto, reddet tibi in propatulo. Matth. 9. Auferetur ſponſus, tunc ieiunabunt. Matth. 17. Hoc genus dęmoniorum non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.

1. Corinth. 7. Vt vacetis ieiunio & orationi. 2. Corinth. 6. In omnibus exhibeamus nos vt DEI miniſtros, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis.

*Exempla veteris Teſtamenti.*

Hiſce teſtimoniis accedunt multa illuſtria & probata Sanctorum exempla in Scriptura ſacra, Iudicum 20. Ieiunauerunt die illo vſq; ad veſperam. 1. Reg. 3. Ieiunauerunt in die illa, & dixerunt, peccauimus. 1. Reg. 31. Ieiunauerunt ſeptem diebus. 2. Reg. 1. Planxerunt & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam, propter Saulem & Ionathan. 1. Reg. 12. Deprecatus eſt Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunium, &c. 3. Reg. 21. Achab ieiunauit & dormiuit in ſacco. 2. Par. 20. Ioſias propoſuit quærere Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda. 1. Eſd. 8. Prędicaui ieiunium, vt affligeremus nos coram Deo, & peteremus, &c.

Item: Ieiunauimus & rogauimus Deum pro hoc, & euenit proſperè. Nehem. 1. Fleui & mœſtus ieiunaui, & oraui coram Deo.

Eſther 4. Ieiunate pro me, non comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo. Eſther 9. Obſeruanda ſuſceperunt ieiunia & preces.

Ierem. 36. In die Ieiunij, quod prædictum erat menſe nono, in conſpectu Domini omni populo legitur liber Ieremiæ.

Daniel. 9. Deprecatus ſum Dominum in ieiuniis, ſacco & cinere.

Dan. 10. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non intrauerunt in os meum, nec vnguento vnctus ſum. Ibidem dixit Angelus, A primo die, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vtq; affligeres te coram Deo, exaudita ſunt verba tua. Ionæ 3. Prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis, &c.

*Exempla noui Teſtamenti.*

Luc. 2. Anna non diſcedebat de Templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens, die ac nocte. Actor. 13. Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus. Item: Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus dimiſerunt illos.

Actor. 14. Cùm conſtituiſſent illis presbyteros, & oraſſent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino. 2. Corinth. 11. In labore & moleſtia, in vigiliis, ſæpe in fame & ſiti, in ieiuniis, ſæpe in frigore & nuditate.

Tobiæ 3. Sara aſcendens in ſuperius cubiculum domus, tribus diebus & tribus noctibus non manducauit neq; bibit, ſed in oratione perſiſtes cum lachrymis deprecabatur Dominum. Tobi. 12. Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna. Iudith. 4. Humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis & orationibus. Item: Dominus exaudiet preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiuniis & orationibus in conſpectu Domini. Iudith 8. Iudith vidua habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus viduitatis ſuæ, præter Sabbata.

1. Macha. 3. Congregatus eſt cœtus vt orarent, & ieiunauerunt illa die, & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti.

2. Machab. 13. Præcepit populo, vt die ac nocte Dominum inuocarent. Omnibus itaq; ſimul id facientibus, & petentibus à Domino miſericordiam cum fletu & ieiuniis per triduum ſine intermiſſione proſtratis hortatus eſt eos Iudas, vt ſe præpararent. Baruch 1. Cùm audiſſent prælegi librum Ieremiæ, plorabant & ieiunabant, & orabant in conſpectu Domini.

*QVID SIT IEIVNIVM, DE QVO SCRIptura loquitur, ſeu quid complectatur, & in quo conſiſtat, vel, quæ ad verum ieiunium pertineant.*

VArię traditę ſunt, ſiue definitiones, ſiue deſcriptiones ieiunij, cùm à veteribus, tum à recẽtioribus, de quibus inter eruditos diſputatur. Sed ſimpliciſſima & certiſſima ratio eſt, ſi ex illis teſtimoniis & exẽplis, in quibus doctrina de ieiunio tradita eſt, tanquã membra colligãtur, ea, quæ ad veram rationem ieiunij, ſicut in Scriptura traditũ eſt, pertinent. Quod vt eò commodius & rectius fieri poſſit, præmittenda eſt diſtinctio, vt ad id, quod propriiſſimè appellatione Ieiunii in Scriptura ſignificatur, facilius peruenire poſſimus. Et quod ad vocabula attinet, Græci vocant νηστείαν, à priuatiua particula νὴ, & ἀπὸ τοῦ ἐσθίειν, vel σιτίον, ſicut Suidas exponit, non comedere, vel cibum nõn ſumere. Quod Latinè ad verbum quidam vertunt, inediam. Et νῆστιν Varinus interpretatur ἄγευστον σίτου, impaſtum, qui cibum nondum guſtauit. Ita Matt. 15. & Mar. 8. de illis, qui triduum apud Chriſtum perſeuerarunt, & non habebant quod ederent, Chriſtus dicit: Nolo eos ieiunos dimittere. Hebræum vocabulum eſt צום Zom, quod ab emulgendo ſeu exugendo nomen habet. Nam & inteſtinum pyloro proximum, quia id, quod accipit non cõtinet, ſed ſtatim ad inferiora tranſmittit, atq; ita plerunq; inane eſt. Græcis νῆστιν vocari Suidas autor eſt, vnde Gaza reddidit inteſtinum ieiunum. Aliquando per verbum ענה Anah, ieiunium deſcribitur, quod afflictionem ſignificat, & aliquando cum fame ſeu inedia iungitur, vt Deut. 8. Afflixit te, & eſurire te permiſit. Ieſai. 58. Si eſurienti protuleris animam tuam, & animam afflictam ſatiaueris. De quo verbo in cauſa finali ieiunij plura dicemus.

*De Vocabulo Ieiunij.*

*Vox Hebræa.*

Diſtinctio igitur varij vſus vocabuli ieiunij vtilis & neceſſaria eſt, vt ad id, quod ieiunij ſacri proprium eſt, perueniamus. Vſitatè quidem vocamus ieiunos, qui nondum vel ientaculum vel prandium ſumpſeruut, ſed de hoc ieiunio nunc non agimus. Illos etiam Scriptura vocat ieiunos, qui per triduum non haberent quod ederent: ſed ieiunium propriè non eſt, idem quod fames ſeu eſuries, quãdo propter cibi penuriam ex neceſſitate aliquis cogitur inediam pati. Nam 2. Corinth. 11. diſtinctè numerantur fames & ſitis, ac poſtea ieiunium. Ita Actor. 27. Cùm in naui

*Ieiunium & fames differt.*

obi-

ob iactationes tempeſtatum, & metum naufragij appetitu proſtrato per quatuordecim dies cibum non ſumpſiſſent, vel ſi in morbo ſimile fiat, dicuntur ieiuni permanſiſſe, ſed non eſt illud ieiunium, de quo propriè Scriptura loquitur. Et Grecus textus peculiari vocabulo ibi vtitur, non enim vocat νηστείαν, ſed ἀσιτίαν & ἄσιτος. Chriſtus etiam cùm in deſerto 40. dies cibo caruiſſet, ita vt virtute diuina famem non ſentiret, dicitur ieiunaſſe. Matth. 4. & poſtea eſuriiſſe.

*Ieiunia miraculoſa ſcriptura.*

Sed hoc ieiunium miraculoſum, ſicut etiam Moſis & Heliæ ieiunium, qui virtute vnius prandij per 40. dies & noctes impaſtus ambulauit, non pertinet ad communem doctrinam de ieiunio in Scriptura traditam. Aliud etiam & diuerſum à communi de ieiunio doctrina eſt exemplum Pauli, qui viſione exterritus, tribus diebus, nec vidit, nec cōedit, nec bibit, Actor. 9.

*Ieiunium ſpirituale ſeu allegoricum.*

Frequens etiam, præſertim apud Scriptores Eccleſiaſticos, ſicut poſtea oſtendemus, vſus eſt vocabuli Ieiunij, vt dicant, ieiunare à peccatis, pro deſiſtere & abſtinere. Sicut & Plutarchus dicit, νηστεύειν κακότητος. Ad quod ieiunium Iſaias cap. 58. alludere videtur. Cùm enim Iudæi finem ieiunij non rectè conſtituerent, ſed in ipſo opere operato abſtinentiæ à cibis, abſque pœnitentia, conſtituerent cultum Dei, reſpōdet Deus. Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi, diſſoluere colligationes impietatis, &c. Et hoc quidem magnum, generale & perfectum ieiunium eſt, ſicut Auguſtinus loquitur. Non autem propria, ſed figurata eſt locutio, & ieiunium eſt ſpirituale ſeu allegoricum.

*Ieiunium propriè dictum tribus modis fit.*

Ieiunium autem propè dictum verſatur circa voluntariam cibi abſtinentiam, quæ tribus potiſſimum modis iuxta Scripturæ traditionem exercetur.

*Primò temperantia ſeu ſobrietate.*

Primò, quando talis moderatio in cibo & potu adhibetur, ne vel corpora onerentur, vel corda grauentur crapula & ebrietate, quæ virtus propriè vocatur Temperantia, Frugalitas & Sobrietas. Aliquando verò etiam ſub ieiunij appellatione comprehenditur, ſicut Iſidori definitio habet, Ieiunium eſt parſimonia victus, abſtinentiaq; ciborum.

*Secundo, abſtinentia.*

Secundò, quando non in totum vel à prandio vel à cœna abſtinemus, ſed vel prandētes vel cœnantes aliquid detrahimus, ſiue in quantitate ſiue in qualitate cibi, vel nō tam multum, vel non tam delicatum, quantum & quale etiam ſalua temperantia fieri poſſit, ſumamus. Et hæc propriè vocatur abſtinentia, quam tamen etiam aliquando ſub ieiunij appellatione comprehendi, deſcriptio Danielis decimo oſtendit.

Ibi enim Daniel dicitur, ſe afflixiſſe, hoc eſt, ieiunaſſe, quia panis delicatus, vinum & caro non introierunt in os eius. Et Zacha. 7. vbi ieiunium quinti Menſis deſcribitur, vſurpatur illud verbum Abſtinentiæ, vnde Nazaræi, qui à vino & ſicera abſtinebant, appellationē habent. Quærunt enim Iudæi, nunquid flendum mihi eſt in menſe quinto, & religioſè abſtinendum? Et reſpondet Deus: Cùm ieiunaretis, &c. Abſtinentiam igitur ſub ieiunio comprehendit. Tertia ſpecies abſtinentiæ eſt, quando quis in totum vel à prandio vel à cœna abſtinet.

*Tertio, verè ieiunando & cibis abſtinendo.*

Et hoc propriiſſimè in Scriptura vocatur ieiunium. Cùm enim temperantia ſeu Sobrietas Chriſtianis debeat quotidiana & perpetua eſſe, ieiunio verò ad tempus vacandū doceat Paulus 1. Cor. 7. diſcrimen manifeſtum eſt, ſicut & Scripturæ exempla oſtendunt, vt Iudicum 20. Ieiunarunt illo die vſq; ad veſperam, 2. Reg. 1. Ieiunarunt vſq; ad veſperam propter Saulem & Ionathan. Act. 10. Vſq; ad horam nonam ſedebam ieiunus, & precabar domi meæ.

2. Reg. 3. Poſt ſepulturam Abner, cùm vniuerſus populus veniſſet cibum capere cum Dauide, clara adhuc die iurauit Dauid: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum Solis guſtauero panem, vel aliud quicquam. Ad veſperam verò, tempore ieiunii comedebant, ſed quando per plures dies ieiunium durabat, nec multum nec delicatè, ſine tamen prohibitione vllius generis ciborum mundorum, nec menſa ſolenniter inſtructa comedebant: ſed ſicut deſcribitur, Dani. 10. Lugebam trium hebdomadarum dierum, panem deſiderabilem non comedi, & caro nec vinum non introierunt in os meum.

*Lugentium cibus.*

2. Reg. 12. Dauid ieiunans per ſeptem dies iacuit ſuper terram, nec voluit ſurgere, & cū ſenioribus domus ſuæ cibum capere, menſa ſcilicet ſolenniter poſita & inſtructa. Et peculiaris fuit cibus lugentium, quibus fermè æquiparantur ieiunantes, Matth. 7. Panis ſcilicet arctus & aqua breuis. Iſai. 30. Panis tribulationis & aqua anguſtiæ. 3. Reg. 22. Et Pſal. 42. Fuerunt mihi lachrymæ panes. Pſal. 80. Cibabis nos pane lachrymarum. Pſal. 102. Cinerem vt panem comedi. Ezec. 4. Subcineritium hordeaceum comedes.

*Ieiunium verum non conſtat prohibitione ciborum.*

Nec tamen verbo Dei ad certi generis cibos aſtricti erant tempore ieiunij, nec vllum genus mundi cibi tempore ieiunij prohibitum in Scriptura legitur, ſed voluntariè deligebāt, quod non erat delicatum. Atq; hoc modo ſeptem diebus ieiunarunt, 1. Reg 15. quod ſcilicet ante veſperam nō comederunt, & non delicatè comederunt, ſicut Daniel cap. 10. per tres hebdomadas ita ieiunat. Ita Iudith. cap. 8. omnibus diebus viduitatis ſuæ, præter Sabbatha ieiunauit. Hoc modo etiā Hanna ieiuniis & obſecrationibus die ac nocte ſeruiuit, Luc. 3. id quod antitheſis de viduis intemperantibus, 1. Tim. 5. declarat. Quæ in delitiis verſatur, inquit, viuens mortua eſt. Quando verò ieiunium ſoluebatur, vel vna die vel poſt plures dies, tunc veſperi lautius ſe refocillabant, vt Iudith. 6. Vocatis presbyteris fecit cœnā magnam, & expleto ieiunio eos refecit. Ita 1. Reg. 12. Dauid expleto ieiunio facit, &c.

*Ieiunia grauiora aliquot continuorum dierum.*

Hæc fuerunt vſitata ieiunia. Intentius verò ieiunium fuit illud, quando Eſther dicit cap. 4. Non comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus. Et Tob. 3. Sara tribus diebus & tribus noctibus non manducauit neq; bibit. Et valde graue fuiſſe tale ieiunium, inde colligitur. Nā 1. Reg. 30. cùm vir quidam Ægyptius nō comediſſet & non bibiſſet tribus diebus & tribus noctibus, fermè exanimatus fuit ita vt refocillandus fuerit, vt Spiritus eius reuerteretur. Porro in exemplis Sanctorū in Scriptura omnibus per totum diem vſque ad veſperam cibis abſtinuerunt, In Darij verò hiſtoria deſcribitur hæc ſpecies ieiunij, Dan. 6. Abiit Rex in domum ſuam & pernoctauit incœnatus, cibiq; non ſunt allati coram eo.

Nec verò cibo & potu tantùm vltra conſue-

*Ieiunium non cibi tantùm, ſed & aliarũ corporis delitiarum eſt abſtinentia.*

tum tempus abſtinebant ieiunantes, ſed ſimul etiam tempore ieiunij omnes alias licitas corporis delitias ſeu delectationes, & externas cõmoditates, quibus alias corpus ſolet foueri, curari, refociliari, delectari & exhilarari, abdicabant, & econtrà habitus & geſtus lugentium tempore ieiunij aſſumebant, vt 2. Reg. 1. Sciderunt veſtimenta ſua & fleuerunt & ieiunauerunt. 2. Reg. 5. Scindite veſtimenta veſtra, & accingemini ſaccis, & plangite. 2. Reg. 12. Ieiunauit Dauid ieiunium & ingreſſus pernoctauit dormiens in terra, Soluto verò ieiunio lauit & vnxit ſe. Ergo tempore ieiunij à lotionibus & vnctionibus corporis abſtinebant, 3. Reg. 21. Achab ieiunans ſcindit veſtimẽta ſua, operit carnem ſuam ſacco, & dormit in ſacco, & incedit miſerabiliter, vel lento gradu, vel nudis pudibus, vel capite velato, hæc enim omnia ſignificat vocabulum אט Ath. Opponitur autem ſaccus indumentis mollioribus, elegantioribus, ſplendidioribus, & laxioribus, ac ſignificat veſtes viliores, puriores, craſſiores, ſordidiores & ſtrictiores, quales in illis regionibus in luctu vſurpabãtur. Et quia ſacci ad recipienda frumenta & res alias vel ex pilis vel ex craſſiori lino conficiebantur, inde Latini aliquando per cicilium reddiderunt, Nehemię 1. Sedi, fleui, luxi & ieiunaui.

*Saccus & cilicium.*

Ioelis 2. Conuertimini ad me in ieiunio, in fletu & in planctu. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, hoc eſt, nuptiales ornatus, gaudia & lætitias deponant.

1. Cor. 7. Paulus de vſu conſuetudinis cõiugalis dicit: Ne fraudetis vos inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi. Dan. 9. Poſui faciem meam rogare Dominum in ieiuniis ſacco & cinere. Dan. 10. Vnguento non ſum vnctus, donec complerentur tres hebdomadæ. Ionæ 3. Prædicauerunt ieiunium & veſtiti ſunt ſaccis, ſed & Rex ſurrexit de ſolio ſuo, ac depoſito ſuo paludamento ſaccum induit, & ſedit in cinere ſeu puluere. Eſther 4. Ieiunium, vlulatus & fletus erat vbiq;, ſacco & cinere multis pro ſtrato vtentibus.

Et Mardochæus ſcidit veſtimenta ſua, indutus eſt ſacco, aſperſus cinere ſeu puluere. 1. Macha. 3. Ablata eſt iucunditas à Iacob, defecit tibia & Cythara, & ieiunauerunt & induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua: In luctu enim muſicam intempeſtiuam eſſe dicit Syrach. 32. Pſal. 35. Ieiunabam & tanquam qui fratrem vel matrem luget pullatus & incuruatus incedebam. Iſa. 58. In ieiunio curuabant caput inſtar iunci, ſaccum & cinerem ſibi ſternebant. Sed ibi lugentium & per conſequens etiam ieiunantium habitus & geſtus, pro more regionum variantur, & fuerunt pars pædagogiæ veteris Teſtamenti, quam ne quidem veteris Teſtamenti tempore Deus tanquam neceſſariam poſtulauit. Inquit enim Ioel. 2. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Et Iſai. 58. Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere. In nouo verò Teſtamento, Matth. 6. Chriſtus externos illos ritus ieiunio adiunctos ita abrogat, vt liberos faciat, & ſine illis ieiunium exerceri poſſe, & Deo placere affirmet. Non opus eſt, inquit, quando ieiunas & tetrico & mœſto vultu incedás, faciem obueles, obſcures, aut deformes, hoc enim ſignificat ἀφανίζειν, ſed potes caput vngere, & faciem lauare, ac nihilominus ieiunare patri cœleſti.

*Habitus & geſtus externi ieiunantiũ diſſimiles fuerunt.*

Tertiò oſtendit Scriptura, ieiunium complecti etiam carnis afflictionem, ſeu corporis caſtigationem, & animæ humiliationem, Leuit. 16. & 23. Affligetis animas veſtras, 1. Eſdr. 8. Prædicaui ieiunium, vt affligeremus nos coram Domino. Danie. 10. Ab illo die, quo poſuiſti cor tuum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui. Pſal. 35. Humiliabam in ieiunio animam meam. Eſdræ 9. Quod cùm audiuiſſem euulſi capillos capitis & barbæ, & ſedi mœrens. Et in ſacrificio veſpertino ſurrexi ab afflictione mea, & oraui. In his locis eſt verbum ענה Anaph, quod ſignificat talem humiliationem ſeu afflictionem, ſicut Paulus deſcribit, 1. Cor. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo. In loco verò 3. Reg. 21. vbi humiliatio Achabi in ieiunio deſcribitur, vſurpatur aliud vocabulũ כנע Cana, quod humiliationem & ſubmiſſionẽ animi ſignificat, ſicut 2. Para. 12. vſurpatur. Cùm vidiſſet Dominus, quòd humiliati eſſent, dixit: quiá humiliati ſunt, non diſperdam eos. Sicut & alterum vocabulũ Anaph ita vſurpatur, Zoph. 2. Quærite humiliationem, ſi fortè abſcondamini ab ira Domini, &c. Vtrumq; igitur complectitur ieiunium, & caſtigationem ſeu afflictionem corporis, & humiliationem animi. Sed in ſequenti capite de fine ieiunij, hæc plenius explicanda erunt. Hoc loco volui ex Scripturæ teſtimoniis & exemplis oſtendere, quæ ad rationem ſeu formam ieiunij propriè dicti pertineant, quòd ſcilicet ieiunium complectatur: I. voluntariam abſtinentiam cibi per totam diem vſque ad veſperam. II. abdicationem aliarum etiam deliciarum ſeu commoditatum, quibus corpus aliàs ſolet curari, foueri & refocillari. III. afflictionem ſeu caſtigationem corporis & humiliationem animi, vt ieiunium ſit caſtigatio corporis, & humiliatio animi, per abſtinentiam cibi, & abdicationem deliciarum ſeu delectationum, quibus corpori & ſenſibus aliàs benè ſolet fieri, vel ieiunium eſt abſtinentia cibi, & abdicatio delectationum corporis ad tempus talis, qua & corpus caſtigetur, & animus humilietur. De cauſa verò finali, quod in doctrina de ieiunio præcipuum eſt, iam peculiari capite diſſeremus.

*Ieiunium carnis afflictionem complectitur.*

*Ieiuni[illegible] cor-poris af[illegible]nem & [illegible]liationem [illegible]mi complecti-tur.*

*Ανακεφαλαίωσις ſuperiorum.*

## DE CAVSA FINALI Ieiunij.

AVguſtinus in libro de bono coniugali, rectè diſputat, quædam per ſe eſſe bona, & propter ſe expetenda, vt eſt ſapiẽtia, ſalus, &c. Alia nec per ſe & propter ſe, ſed ad aliud relata & ordinata, hoc eſt, propter finem honeſtum bona & laudabilia eſſe. Ita ieiunium per ſe & propter ſe non eſt cultus Dei, Regnum enim Dei nõ eſt cibus & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto, & qui in his ſeruit Chriſto, placet Deo & probatus eſt hominibus, Roman. 14. Et eſca non commendat nos Deo, neq; enim ſi manducauerimus, plus habebimus, ſcilicet apud Deum, neq; ſi non manducauerimus quicquam nobis deerit. 1. Corinth. 8. Sed ſi ieiunium iungatur

*Auguſtinus.*

*Ieiunium per ſe non eſt cultus Dei.*

*Verus vſus ieiunij.*

gatur pœnitentiæ & orationi, hoc eſt, ſi ieiuniũ ad hunc finem referatur, & ordinetur, vt caro coherceatur, ſubigatur, & in ſeruitutem redigatur, ne ſpiritui obluctetur, & eius actiones ſua, vel petulantia vel ἀκηδία impediat & interturbet, ſed vt corpus habeamus obnoxium & idoneum ad res ſpirituales, & ad faciendũ officium, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandũ, ſed vt mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus ſpirituales, vtque ſpiritus eo ardentius & liberius totum ſe dedere, & vacare poſſint pœnitẽtiæ, orationi, & reliquis pietatis exercitiis, ſicut exemplis mox oſtendemus, Si, inquam, ad hunc finem ieiunium referatur, tunc demum Deo probatur. Hinc Hieronymus recte dixit, ieiunium non eſſe virtutem, ſed gradum ad virtutem. Quando vero ieiunium ſine tali relatione ita ſuſcipitur & exercetur, quaſi per ſe ex opere operato, ſit cultus Dei, tunc Deus oſtendit ſe illud plane non morari. Si vero ſuperſtitioſus finis, aut impia opinio cultus, meriti, iuſtitiæ aut ſatisfactionis pro peccato ieiunio affingantur, tunc Deus tale ieiunium prorſus reiicit & abominatur: Vt Iſa. 58. videri volunt velut gens, quę operatur iuſtitiam, & appropinquare Deo volunt, quare, inquiunt, ieiunauimus & non aſpexiſti, afflximus animas noſtras & neſciuiſti? Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, ad lites & contentiones ieiunatis. Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem hominem affligere animam ſuam, aut contorquere quaſi circulum caput ſuum, ſaccum & puluerem ſibi ſternere. Nunquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domini? &c. Ierem. 14. cum Dominus denunciaſſet populo ſiccitatem, ſterilitatem & famem, dicit: Populus hic diligit vacillare pedibus, & non abſtinet vel cohibet ſe, ideo Domino non eſt complacitum in illis, & ſi igitur ieiunent, non exaudiam. Zachar. 7. Populus interrogat, nunquid flebo & abſtinebo mẽſe quarto, ſicut iam feci multis annis? Et reſpondet Dominus, cum ieiunaretis & plangeritis, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? Hæc ait Dominus, Iudicium verum iudicate, & miſericordiam facite quiſq; cum fratre ſuo. Et noluerunt attendere, aures ſuas aggrauarunt, cor ſuum ad adamantem poſuerunt. Et idem vult Syracides, quando inquit, cap. 34. Homo qui ieiunat propter peccata ſua, & rurſum vadens, & eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? Et Matth. 6. Chriſtus inquit, cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, qui obſcurant facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunare, Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Luc. 18. Phariſæus inter cętera opera proponit Deo ad iuſtificationem etiam hoc, ieiuno bis in hebdomada, ſed non deſcendit iuſtificatus.

*Hieronymus.*

*Superſtitioſus finis ieiunij.*

Manifeſtum igitur eſt ieiunium per ſe ex opere operato, ſi non referatur ad veras cauſas finales, Deo non probari. Imo ſi ſuſcipiatur opinione Phariſaica, vel ad oſtentationem, vel ad meritum, ſatisfactionem, ſeu iuſtificationẽ, improbari & reiici à Deo. Nam & Matth. 9. Chriſtus opinionem, qua Phariſæi ieiunabant, comparat veſtibus detritis, quibus Euangelij nouitas non conueniat.

Veri autem fines pij ieiunij, quod Deo probatur, in Scripturæ teſtimoniis & exemplis liquido oſtẽduntur, quod vt res planior ſit, in aliquot membra ſeu capita totam explicationem diſtribuemus. Primo enim, quia homo conſtat ex corpore & anima, & operationes animæ, prout corpus affectum eſt, vel impediuntur vel interturbantur, vel excitantur & iuuantur, vt ſint alacriores & vegetiores. In vſu igitur cibi & potus, ac reliquarum corporis commoditatum, ea ratio adhibenda eſt, vt operationes animæ non impediantur, vel nimia ſeu inconuenienti repletione, vel nimis delicata cura, vel etiam nimia abſtinẽtia. Cumq; experientia manifeſte oſtendat, ſi corpori prorſus nõ adhibeatur neceſſaria cura, ſeu commoda tractatio, ſed vel nimia inedia vel mala tractatione debilitetur, & male afficiatur, tunc corpore male habente, nec animam ſuis actionibus recte defungi poſſe, ſed eius intentionem vel impediri vel turbari. Ideo Paulus Coloſſ. 2. reprehendit & damnat factitias ſeu electitias illas religiones quæ in cibis, quæ ipſo vſu conſumuntur, cultum Dei conſtituunt, & iuxta traditiones hominum, ſub ſpecie humilitatis & ſeueritatis diſciplinæ corpori non parcunt, ſed illud ita vexant, affligunt & macerant; (hoc enim ſignificant ἀφειδία) vt debitum honorem neceſſaria ſuſtentatione & conuenienti curatione ei non tribuant. Atq; in hac diſciplinæ ſeueritate cultum Dei conſtituunt. Tales igitur religiones Paulus reiicit & improbat. Cumque Timotheum Paulus ita inſtituat, vt ea, quæ ad miniſterium Euangelij pertinent, recte expediri poſſit, præcipit ipſi 1. Timoth. 5. ne pergat aquam bibere, ſed modico vino, propter ſtomachum & frequentes infirmitates vtatur. Atque ideo in veteri etiam Teſtamento ſacrificiis ſolennioribus conuiuia hilaritatis ex inſtitutione Dei coniungebantur, Deut. 12. Et in feſtiuitatibus comedebant pinguia & lætabantur, Nehem. 8.

*Veri fines ieiunij iuxta Scripturam. Primus vt caro ſpiritui ſubiiciatur.*

*Debita corporis cura.*

Rurſus vero corpus cibo, potu & aliis delitiis ita poteſt tractari & curari, vt concupiſcentia, petulantia & deſidia, quibus caro Spiritui repugnare, & pias eius actiones turbare & impedire ſolet, excitentur, foueantur & augeantur. In vſu igitur cibi, potus, & eorum, quæ ad curam corporis pertinent, illam Scriptura adhiberi vult moderationem, ne corpus, vt animæ iumentum ſicut veteres loquuntur, vel nimia repletione, vel nimis delicata tractatione incraſſatum & impinguatum mentem obruat, Deut. 32. cor grauet, Lucæ 21. ſemen in voluptatibus ſuffocet, Lucæ octauo, & ſpiritui recalcitret, ſed vt in obſequium Spiritui ſubiungatur, & in officio retineatur, vt menti ſit obnoxium. Et hoc eſt quod Paulus præcipit, Roman. 13. agendam quidem curam corporis, ſed non ad concupiſcentias.

*Ne ad concupiſcẽtias, &c.*

Illud vero non vna aliqua ſimili forma pariter omnibus præſcribi poteſt. Aliquãdo enim & in quibuſdã hoc fieri poteſt temperãtia ſeu ſobrietate, vt 1. Theſ. 5. Nos qui diei ſumus, non ſtertamus & ebrij ſimus, ſed vigilemus & ſobrij ſimus, ne dies Domini velut fur nos opprimat. 1. Pet. 5. Vt aduerſario quærenti nos deuorare, fide reſiſtere poſſimus, inquit, ſobrij eſtote, & vigilate. Et Lucæ 21. Cauete ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate, ne repentinus ille dies vobis ingruat. Et ſicut Salomon inquit, Eccleſ. 10.

*Caro coercetur aut ſobrietate aut temperantia.*

Væ terræ, cuius principes mane commeſſantur: Beata terra, cuius principes veſcũtur in tempore ad virium refectionem non ad luxuriam. Aliquando vero & in quibuſdam ſeueriori diſciplina cohibenda & cohercenda eſt caro, vel abſtinentia ſcilicet vel ieiunio. Paulus 1. Cor. 9. vtitur exemplo athletarum, quorum victus ratio exquiſitiſſima erat. Non enim promiſcue quiduis ingurgitabant, & à multis abſtinebant, vt nec corpus grauaretur, nec animi vis obrueretur, ſed vt & corpus agile, & vis mentis præſens, alacris & vegeta redderetur, ad circumſpectionem inferendi, excipiendi, & præcauendi ictus: Ita & ego, inquit Paulus, corpus meũ ſubigo, coerceo, cohibeo, ſugillo, obtundo. Eſt enim valde illuſtris metaphora in verbo ὑπωπιάζω, ſicut enim pugil aduerſarium ſuũ obſeruat, & ictibus ac plagis cohibet, ſugillat, & ſubigit, ita, inquit Paulus, ego corpus meum obſeruo, & ne caro aduerſaria ſua reluctatione ſpiritũ de ſtatu ſuo deiiciat, & ſubiugatum carni ſeruum ſeu captiuum reddat, ſubigo, obtundo, edomo, & ſubiugo corpus meum, vt in ſeruitutem animæ ſeu ſpiritus redigatur, ne aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar. Illa autem ſubactio ſeu ſubiugatio corporis, vel mortificatio carnis fit vel temperantia, vel abſtinentia, vel ieiunio, vel ſtudiis, laboribus, negotiis, occupationibus, curis, cruce, afflictionib. pauoribus, ſenſu iræ Dei, &c. hoc fine, ne intemperantia, petulãtia & deſidia carnis impediat intentionem animi, in meditationib. & exercitiis pietatis, neue otium & luxus pariant peccata excutientia Spiritum ſanctum. Hæc vera, plana & vtilia ſunt, ac mõſtrant generalia fundamenta de fide ieiunij, ac de modo, quãdo & quomodo, pro perſonarum, actionum & temporum diuerſitate exercitia illa ſuſcipienda & vſurpanda ſint. Non enim eadem exercitia ſimiliter omnibus præſcribi, vel poſſunt vel debent. Hunc vero generalem ieiuniorum finem, Scriptura per ſpecies deducit, ſicut ordine oſtendemus.

*Aut abſtinẽtia vel ieiunio.*

Secundo, Scriptura oſtendit populum Dei ſolitum adhibere ieiunia in exercitiis ſeriæ, & præcipue publicæ ſeu ſolennis pœnitentiæ. Exẽpla antea annotauimus. Ioel 2. Ioa. 3. 3. Reg. 21. Quia enim plenus venter ſecuritatem gignit, & exercitia pœnitentiæ vel turbat vel impedit. Vt igitur mens ſine impedimentis & auocamentis excitatius & liberius poſſit vacare agnitioni, conſiderationi & meditationi, de multitudine, magnitudine, grauitate & abominatione peccatorum, ea veris doloribus & ſeriis gemitibus deplorare ac deteſtari, de comminationibus diuinis cogitare, expaueſcere agnitione, timore ac ſenſu iræ Dei, ac ſe coram Deo demiſſione non ſimulata humiliare. Ideo veteres in Scriptura carnem abſtinentia & ieiuniis ſubiugarunt, ne ſua vel ſecuritate, vel deſidia, vel petulantia, ſeria illa pœnitentiæ exercitia retardaret, interrumperet, impediret aut lãguidiora redderet. Et ſicut in genere corpus male affectum vel afflictum animo mœſtitiam inducit, ac mentem demiſſiorem reddit: Ita cum pœnitentia ſit iuſtitia ſecũdum Deum. 2. Cor. 7. vt cor vera ſubmiſſione & contritione humilietur coram Deo, Pſalm. 51. Hoc fine Scriptura oſtendit adhibita fuiſſe ieiunia in exercitiis grauioribus pœnitentię. Præterea cum in pœnitentia animus intus mœſtus, ſolicitus & agnitione peccati ac iræ Dei, ſerio percullus ſit, inde ſequuntur etiam foris talia ſigna in corpore. Quales enim ſunt animę affectiones interiores, ſi vehementiores & nõ ſimulati ſunt, tales etiam geſtus, diſpoſitiones & ſignificationes in corpore ſequuntur, teſtãtes de animi ſiue lætitia ſiue triſtitia. Veteres igitur, vt oſtenderẽt dolores pœnitentiæ interiores nõ eſſe leues aut ſimulatos, foris etiam ieiuniis, & aliis geſtibus luctus conuenientibus, dolorem ſuum teſtari voluerunt, quod in publica ac communi pœnitentia propter exemplum vtile fuit, vt alij etiam illis externis ſpectaculis inuitarentur & excitarentur ad ſeriam peccatorum & irę Dei meditationem, atque ad veram animi humiliationem. Ita deſcribitur pœnitentia in ieiunio, Ioelis 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu, & planctu, ſacrificate ieiunium, conuocate cœtum, ſenes, paruulos, infantes, ſacerdotes plorent, &c. Ionæ 3. Nec homines nec iumenta guſtent quicquam, ſed clament præ inedia, & conuertatur quiſque à via ſua mala. Et 3. Reg. 21. Nonne vides Achab humiliatum coram me, quia igitur humilis factus eſt coram me, non inducam malum in diebus eius. Huc pertinet etiam locus Eſai. 58. qui oſtendit hunc ieiunij finem, vt ſit commonefactio, ſicut ieiunium eſt abſtinentia eorum, quæ corpus appetit, ita homines non debent cupiditatibus ſuis indulgere, ſed eas mortificare, & ſi quod peccatum admiſſum eſſet, vt ieiunio admoniti illud corrigerent, hoc eſt, ieiunium debere pædagogiam eſſe ad pœnitentiam, dicit enim, in die ieiunij inueniãtur voluntas veſtra. Item, Ad lites & contentiones ieiunatis, nolite ita ieiunare: ſed hoc ieiuniũ elegi, diſſolue faſciculos impietatis, dimitte oppreſſos, & omne opus dirumpe, &c.

*Secundus vſus ieiunij in exercitiis ſeriæ pœnitẽtiæ.*

*Exempla huius vſus ieiuniorum.*

Nec tamen externa illa pędagogia ita fuit neceſſaria, quaſi ſine illa pœnitentia, vel non eſſe vel vera eſſe non poſſet. Tota enim vita piorum fuit perpetua pœnitentia, nec tamen perpetuo ieiunauerũt, ſed in grauioribus & ſolennioribus pœnitentiæ exercitiis, quę Chriſtus Matt. 11. vocat pœnitentiam in ſacco & cinere, adhibuerũt ieiunia & reliqua ſigna luctus, vel tanquam irritamenta ad pœnitentiam, vel tanquam externa teſtimonia pœnitentiæ, quam tamen externis illis ritibus Deus non voluit alligatam eſſe, nec in illis ſubſiſtere, ſicut inquit Ioel. 2. Scindite nõ veſtimenta, ſed corda veſtra. Paulus etiam loquens de hypocriſi in abſtinentia ciborum dicit 1. Tim. 4. Exerce te potius ad pietatem, corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas vero ad omnia vtilis eſt. Intelligit autem pietatem cultum Dei interiorem, verbo Dei mandatum & neceſſarium.

Tertio, Scripturæ exempla, ſicut in præcedentibus annotauimus, oſtendũt, veteres in magnis calamitatibus vel præſentibus vel imminentibus, & in luctu, adhibuiſſe ieiunia vna cum reliquis externis ſignis luctus, vt eſſet commonefactio, non tantum nec præcipue propter ipſas calamitates, quæ premunt nos, dolendum eſſe, ſed debere calamitates eſſe cõciones legis de ira Dei propter peccata noſtra, vt moueãtur flagellis Dei nos compelli ad pœnitentiam. Homines enim naturaliter in calamitatibus triſtantur & dolent, ſed ſecundum Deum & ad pœnitentiam in cruce

*Ieiunij vſus fuit in luctu & calamitatibus, vt ſit admonitio de peccato vt cauſa malorum.*

in cruce contriſtari & dolere, ac ſub potenti manu Dei ſe humiliare, hoc Eccleſiæ proprium eſt. Et propter hāc commonefactionem in calamitatibus & in luctu ſuſceperunt ieiunia. Naturaliter quidē hoc ſequitur in doloribus & luctibus grauioribus, quod Dauid inquit, Pſalm. 102. Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, & oblitus ſum comedere panem meum. Inde in gentium etiam luctu legimus, ieiunia, aſperſos pulueres, ſciſſas veſtes, &c. Sed veteres in Scriptura, in calamitatibus & luctu, vel ſuſceperunt vel indixerunt ieiunia propter commonefactionem & pædagogiam ad pœnitentiam. Ita Ioel. 1. in magna calamitate iubetur indici ieiunium. Et Ionæ 3. ob imminentem calamitatem ideo indicitur ieiunium, vt quiſq; conuertatur à via ſua mala. Ita 2. Reg. 12. Cum Deus puerum ex adulterio natum percuſſiſſet, Dauid ieiunium ieiunat, agnoſcit enim eſſe pœnam peccati. Cumq; in cruce debeamus nos humiliare ſub potenti Dei manu, ſicut ſcriptum eſt, Mich. 7. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, educet me in lucem, &c. Et ieiunium ſeruiat ad humiliationem, ſicut ſupra oſtēdimus. Hoc fine, & propter hanc cauſam in luctu & calamitatibus adhibuerunt ieiunia. Ita filij Iſrael 1. Regum 7. hauſerūt aquam & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt, ac dixerunt, peccauimus Domino. Vſi enim fuerunt illi ceremonia effuſæ aquæ in ſignum & commonefactionem humiliationis. Nos ſumus coram te propter peccata, tanquam aqua hæc effuſa, quæ conculcatur, diffluit & abſorbetur. Adeo autem vſitatum in calamitatibus, & in luctu fuit ieiunium, vt Chriſtus Matth. 9. dicat, diſcipulos ſuos non ieiunare, quia nondum habeant cauſam lugendi, perſecutiones autem & afflictiones allaturas luctum, tunc ipſos ieiunaturos.

*Ceremonia effuſæ aquæ.*

*Vſus ieiunij fuit in precibus ſolennioribus & ardentioribus.*

Quarto in Scriptura vſurpata leguntur ieiunia, quando vel in magnis periculis, vel in grauioribus negotiis, vel poſt admiſſa peccata & lapſus, preces vel communes & ſolennes, & ardētiores faciendę erant. Et illud adeo frequens eſt, vt Scriptura plerunq; coniungat ieiuniū & orationē. Idq; non ea opinione, quaſi propter opus operatum ieiunij oratio exaudiretur, & Deo accepta redderetur, vel quaſi res petita propter meritum ieiunij impetraretur. Illa enim opinio diſerte à Deo ipſo reprobatur, Iere. 14. Cum ieiunauerunt, non exaudiam preces eorum, quia à peccatis non abſtinent, & Domino non placent. Et Eſai. 58. Quare ieiunauimus & non aſpexiſti? Nunquid hoc ieiunium elegi, ſe affligere, caput curuare, ſaccum & cinerem ſternere? Ita Luc. 18. Phariſæi oratio reiicitur, cum meritum exauditionis & iuſtificationis inter cętera conſtitueret etiam in eo, ieiuno bis in ſeptimana. Daniel vero cap. 9. pro remiſſione peccatorum publicorum orans in ieiunio, ſacco & cinere, non opponit meritum ieiunij ad exauditionem, ſed inquit: Non in iuſtitiis noſtris proſternimus preces noſtras coram te, ſed in miſerationibus tuis multis exaudi preces ſerui tui propter Dominum, & placare propter temetipſum, &c.

*Cur orationibus iuncta ieiunia fuerint.*

Sancti igitur in Scriptura in orationibus publicis, ſolennibus & grauioribus adhibuerunt ieiunia, non Phariſaica illa opinione, de qua iam dictum eſt, ſed propter alias cauſas.

*I.* Primo, quia impœnitentium oratio Deo non placet. Eſai. 1. Cum extenderitis manus veſtras, & multiplicaueritis orationem non exaudiam, Manus enim veſtræ ſanguinibus plenæ ſunt. Ieiunium vero partim eſt incitamentū ad ſeriam peccatorum, & iræ diuinę conſiderationem, partim eſt externum teſtimonium & declaratio interioris contritionis & humiliationis animi, ſicut paulo ante oſtendimus. Ideo, vt in vera pœnitentia ex corde contrito & humiliato preces funderent, in ſolennibus ſupplicationibus prædicauerunt, ſiue indixerunt ieiunia, vt eſſent commonefactio, irritamentum & teſtimonium pœnitentię.

*II.* Secundo, quia oratio non debet labiis appropinquare Deo, ſed ardenti animi intentione ex corde proficiſci, præſertim quando fides in oratione petit & quærit gratiam Dei & remiſſionē peccatorum, ſicut Scriptura dicit, in oratione animum ad Deum leuari, & coram ipſo effundi, Pſal. 25. 1. Samuelis 1. Pſal. 62. Saturitas vero, repletio, intemperantia ac temulentia, inuocationis deuotionem impediunt, turbant & extinguunt, in ſobriis vero maior & ardentior eſt intentio animi in inuocatione. Ideo ad excitandam, retinendam & augendam animi intentionem, & deuotionem in oratione, & ad cauenda ac remouenda eius obſtacula, in precibus publicis, ſolennibus & ardentioribus adhibuerunt ieiunia.

Præterea & ipſa ardentior animi intentio alias facit, vt corporis cura negligatur. Ita 1. Sam. 1. Hanna ægra ſpiritu, cibum non capit, vinum & ſiceram non bibit, ſed animum ſuum coram Deo effundit.

*Exempla de precibus & ieiunio.*

Propter haſce duas cauſas Scriptura ieiunium coniungit orationi, quando illa in magnis periculis, vel in negotiis grauioribus, vel in articulo reconciliationis cum Deo, aut publica ſolennis aut ardentior habenda erat. Hoc fine, Leuit. 16. in die expiationis iubebantur ieiunio affligere animam ſuam, Ioelis 1. & 2. Cum in magna calamitate Eccleſia clamare vellet ad Dominum, (parce Domine, parce populo tuo) indicitur publicum ieiunium, & conuocatio ad publicas preces præeuntibus ſacerdotibus, 2. Paralip. 20. Ioſaphat conuertens ſe ad rogādum Dominum in ancipiti periculo, prædicauit ieiuniū vniuerſo Iuda, 2. Reg. 12. Dauid rogaturus pro paruulo, ieiunauit ieiunium.

1. Eſd. 8. Prædicaui tibi ieiunium, vt affligeremus nos coram Deo, & peteremus ab eo viam rectam. Ieiunauimus igitur & rogauimus Deum pro hac re, & euenit nobis proſpere. Nehemiæ 1. Ieiunaui & oraui coram Deo.

Eſther 4. Congrega omnes Iudæos, & orate pro me, nō comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo. Ita Daniel cap. 9. & 10. oraturus ieiunat. Actorum decimo. Cornelius orans pro maiori illuminatione vſque ad horam nonam ſedet ieiunans. Acto. 12. emiſſuri Paulum & Barnabam ad miniſterium inter gentes, ieiunantes & orantes imponunt eis manus, Act. 14. conſtituentes Eccleſiis presbyteros, orant cum ieiuniis. Et hoc eſt, quod Chriſtus dicit, Matth. 17. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium. Et Paulus 1. Corin. 7. cum dicit: Nolite fraudare inuicem, niſi ex conſen-

conſenſu, ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi. Non loquitur de precibus, quas alibi vult ſine intermiſſione perpetuas & aſſiduas eſſe, ita enim Chriſtianis coniugibus nunquam liceret coniugio operam dare: Sed de ſolennioribus & grauioribus precibus loquitur, ob quarum ardentiorem intentionem adhibebatur abdicatio cibi & aliarum etiam corporis deliciarum ad tempus.

*Ieiunium obſeruatum eſt tempore publicorum conuentuum Eccleſiaſticorũ.*

Poſtremo in exemplis Scripturæ ſupra annotatis etiam hoc manifeſte apparet, tempore ieiunij publicos congreſſus ſeu conuentus Eccleſiaſticos fuiſſe, in quibus admonitiones de exercitiis pœnitentiæ, fidei & emendationis propoſuerunt. Ita Iere.36. in die ieiunij liber Ieremiæ legitur, & populus expaueſcens defert ad Regẽ. Item: tempore Ieiunij, in ſcelera, ſi qua admiſſa fuiſſent grauiora, ſolitum inquiri, ne in totum cœtum culpa redundaret, oſtendit exemplum 3. Regum 21. Cum enim Ieſabel fingeret Naboth blaſphemaſſe Deum & Regem, iuſſit indici publicum ieiunium, vt prætextu pietatis inſtitueretur inquiſitio. Et Ioelis 1. & 2. vocatur ſanctificatio ieiunij, ſicut Sabbati ſanctificatio, vt ſcilicet tempus ieiunij ad ſancta pietatis exercitia & opera conferretur & dedicaretur. Eſaiæ 58. Frãge eſurienti panem, nudum operi, diſſolue faſciculos iniquitatis, non inueniatur voluntas tua in die ieiunij, &c.

Hæc ſunt præcipua capita, ad quę omnes cauſæ finales ſuſcepti & vſurpati ieiunij, quæ in teſtimoniis & exemplis Scripturæ traduntur & oſtenduntur, referri poſſunt. Et ad veram ſeu perfectam ieiunij definitionem pertinet etiam hæc indicatio de veris & piis ieiunij finibus. Imo in doctrina de ieiunio hoc caput præcipuũ eſt, de finibus. Non enim ipſa abſtinentia per ſe, ſed finibus diuerſis religioſum ieiunium à prophano, gentili & Phariſaico ieiunio diſtinguitur. Et quando de reſtituẽdis veri ieiunij exercitiis diſputatur vel laboratur, præcipua ratio habenda eſt cauſarum finalium. Si enim tantum externa abſtinentia imponitur, & non proponuntur veri fines, tale ieiunium Deus non curat: ſi vero ſuperſtitioſi fines ieiunio aſſuuntur, tunc Deus etiam abominatur tale ieiunium, Eſa.58. Sed ſi fines recte indicentur & explicentur, tunc apud pios talia exercitia ſponte ſequentur, & tunc etiam fiunt cultus, ſi ex fide propter veros fines ſint voluntaria Sacrificia.

## DE TEMPORE IEIVNII.

*Statum ieiunium vnum in Vet. Teſt.*

IN veteri Teſtamento vnus certus dies in anno, nempe decimus dies ſeptimi Menſis, ex inſtituto & mandato diuino, deſtinatus erat publico ieiunio, Leu.16. & 23. dies ſcilicet expiationis, quando tota Eccleſia conueniebat, & cõmuni ſeu publica pœnitentia peccata ſua, & publica & priuata recogitabat, confitebatur, & deplorabat, ac remiſſionem ſeu reconciliationem propter futuram Meſſiæ expiationem ſeria ac ardenti oratione implorabat.

Et ad excitandam, retinendam & augendam intentionem animi in illo exercitio pœnitentię & orationis quærentis reconciliationem cum Deo, adhibebant ieiunium ſeu caſtigationem corporis, ſicut in præcedenti capite dictum eſt, Cumque mutuis exemplis inuicem ſe deberent inuitare & excitare ad exercitium cõmunis pœnitentiæ & orationis, ne diuerſis aliorum exemplis intentio in aliis, vel turbaretur, vel langueſieret, dixit Deus: Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.

Et additur quidem legitimum, ſempiternum, ſeu ritus perpetuo erit, ſed additur (vobis) & in cunctis generationibus veſtris. Non enim omnes populos, ſed filios Iſrael tãtum lege illa obligari volebat, idque tamdiu, donec duraturum erat vetus Teſtamentum. Erat enim pædagogica commonefactio, de promiſſa expiatione, futura per ſacrificium Meſſiæ. Deus vero promittens nouum fœdus, oſtendit vetus antiquãdum & abrogandum, Ier.31. Et Ebræo.8. In nouo igitur Teſtamẽto cũ reliquis Leuiticis ceremoniis etiam hęc de certo ac conſtituto ieiunij tempore abrogata eſt, nec eius loco aliud certum & definitum, ſeu conſtitutum tempus ad ieiunium in nouo Teſtamento mandatum aut præſcriptum legimus.

*Lex ieiunij ſtati, non obligat in nouo Teſtamento.*

Iudæi quidem etiam in veteri Teſtamento ex κακοζηλίᾳ quadam Legis diuinæ, Leuit. vigeſimotertio, ſine verbo & mandato diuino humana traditione, alios etiam certos annuos dies ieiuniis præſcripſerunt: Vt Zach.7. & 8. Et principia fuerant probabilia: Quia enim Menſe 10. Rex Babyloniæ cœperat oppugnare Ieruſalem, & Mẽſe quarto ceperat ciuitatem, quam Menſe quinto deſolarat, & menſe ſeptimo interfectus fuerat Godolias, vt igitur memoria illarum calamitatum eſſet commonefactio de pœnitentia ſingulis annis, donec durauit exilium ſeu tranſmigratio, illis menſibus obſeruarunt ieiunium. Soluta vero captiuitate quærunt, an etiam poſtea talia annua ieiunia obſeruari debeant. Sed quia neglectis veris ieiunii finibus huic traditioni humanæ opinionem neceſſitatis & cultus ex opere operato affinxerant, Dominus reſpondet: Non mihi, inquit, ieiunaſtis. Et cap. 8. dicit, ex libera obſeruatione, quę pro ratione calamitatis illorum temporum ſuſcepta fuerat, nõ debere legem perpetuam fieri, cauſa illa vel ſublata vel mutata. Inquit enim, Ieiunium quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis erit Domui Iuda in gaudium & lætitiam, & ſolennitates iucundas, ſi veritatem & pacem dilexeritis. Quæ ſententia diuina ideo diligenter obſeruanda eſt, cum in primitiua Eccleſia propter certas cauſas pro ratione illorum temporum, ante feſtum Paſchatis obſeruarent quædam ieiunia: ſequens ætas poſtea inde fecit leges ieiuniorũ perpetuas, idq; opinione neceſſitatis & cultus, ſicut poſtea ſuo loco oſtendemus.

*Ieiunia Iudaica ſine mandato diuino ſuſcepta certo tempore.*

*Cauſa ieiuniorum apud Zachariam.*

Eſther 9. Iudæi ſuſceperunt ſuper ſe & ſemen ſuum ieiunium duodecimi Menſis, ex conſtitutione Mardochęi, & ob recordationem calamitatis, quam tunc impendentem Deus auerterat, fuit memoriale nõ inutile. Quod vero Eſther 9. legem perpetuam & neceſſariam inde faciunt, humana traditio eſt, ſine verbo & mandato Dei, ad quam determinatio vocis diuinæ Zachar. 7. & 8. rectiſſime accommodari poteſt & debet. Et Iudæi quidem adhuc hodie ieiunium illud, & quidem opinione cultus & neceſſitatis obſeruant, ſed abrogatio veteris Teſtamẽti nos ab illa conſtitutione Mardochæi liberauit. Et opinionẽ neceſſitatis ſeu legis perpetuæ, ſine verbo & mandato

*Ieiuniũ duodecimi Menſis in Eſther.*

mandato diuino introductam & ſuſceptam, ne in veteri quidem Teſtamento Deus probauit. Zach. 7. & 8. De opinione vero cultus in cauſa finali diximus.

*An ſtata ieiunia cum opinione neceſsitatis in nouo Teſtamento.*

Porro quid in nouo Teſtamento ſentiendum ſit de legibus certi & ſtati temporis ieiuniorum, cum opinione neceſſitatis, oſtendit hiſtoria Matth. 9. Phariſæi enim habebant certa & ſtata tempora ieiuniorum. Similiter & Baptiſtæ diſcipuli, ſiue ex Phariſæorum traditionibus hoc retinuerant, ſiue quod Baptiſta, qui vinum & ſiceram non bibebat, Nazaræorum ritu ſeu pędagogia, ad talia exercitia ſtatorum ieiuniorum & precationum, diſcipulos ſuos aſſuefecerat. Vtrique autem cōiunctim, ſicut Marcus dicit, Chriſtum adeunt, & cum ipſo expoſtulant, quod diſcipulos ſuos non iiſdem vel ſimilibus ieiuniorum legibus aſtringat. Hîc certe locus fuiſſet, vel Phariſæorum leges vel Baptiſtæ pędagogiam de certis & ſtatis ieiuniorum temporibus in nouo Teſtamento confirmare, vel alias leges de ſtatis ieiuniis diſcipulis noui Teſtamenti præſcribere. Sed Chriſtus neutrum facit, imo tales legales pædagogias comparat veteri panno, qui non ſit aſſuendus nouo. Et dicit, crucem, calamitates, ac perſecutiones præbituras cauſam & monſtraturas tempus ieiunij diſcipulis noui Teſtamenti, Cum ablatus fuerit ſponſus, tunc, inquit, lugebunt, & in luctu ieiunabunt. Notum etiam eſt, quod Phariſæus Luc. 18. in oratione ſua coram Deo, tanquam peculiarem cultum diuinum inter opera ſupererogationis iactet ſtata ſua ieiunia: Bis, inquit, in hebdomada ieiuno, ſed iudicium diuinum talem cultum nec probat nec acceptat.

*Scriptura nō ſancit ſtata ieiunia cum opinione neceſsitatis.*

Scriptura igitur noui præſertim Teſtamenti non præſcribit leges de certis ſeu ſtatis ieiuniorum temporibus. Et loquar de legibus, quę opinione neceſſitatis proponuntur.

Quando enim ordinis gratia, propter pias cauſas finales ieiunia indicuntur, tunc alia ratio eſt, ſicut mox exemplis oſtendemus. Cum enim Scriptura ieiunandū, & teſtimoniis & exemplis doceat, ſimul etiam oſtendit, quando illud factum ſit, & ad imitationem illorum exemplorū libere fieri poſſit: vel cōſtat Scripturæ exemplis ſanctos in cruce ieiunaſſe, Matth. 9. vel quando inſignis aliqua calamitas accepta erat, Iudit. 20. Ioel. 2. Nehemiæ 1. vel quando magnum periculum imminebat, Ionæ 3. 2. Paralip. 20. 3. Regum 21. vel in pœnitentia ſiue publica, vt 1. Regum 7. Leuit. 1. ſiue priuata, vt 2. Regum 12. 3. Regum 21. vel quādo in graui negocio ardenti intentione preces faciendę erant. 1. Eſd. 8. Eſther 4. Matt. 17. Acto. 10. 13. 14. vel in luctu, 1. Regum 31. 2. Reg. 3. vel ne corporis repletio animi intentiones & actiones turbaret. Ita Paulus corpus ſuū ſubigit, 1. Corinth. 9. & Leuit. 10. dixit Dominus ad Aaron, Vinum & omne quod inebriat non bibetis, tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij, vt habeatis ſcientiā diſcernendi inter ſanctum & prophanum, doceatisq; filios Iſrael omnia legitima mea. Et quando eiuſmodi cauſæ aderant, tunc erat tempus ieiunandi, & tunc etiā vel publice indicebantur ieiunia: Idq; vel à Prophetis, 1. Regum 7. Ioelis 2. vel à Sacerdotibus, 1. Eſd. 8. Iudit. 4. vel ab Apoſtolis, Actor. 14. vel à Magiſtratu, 2. Paral. 20. Ionæ 2. Eſther 4, vel priuatim ſuſcipiebantur, 2. Cor. 7. 2. Regum 12. 3. Regum 21. Pſal. 35. Danielis 9. & 10. Teſtimonia ſupra aſcripſimus, ideo iam loca tantum notantur.

*Quando exēplo Scripturæ ieiunandum.*

*A quibus ieiunia indicta fuerint in Vet. Teſt.*

Hoc igitur modo Scriptura non pręſcribit neceſſarias & fixas leges de certis ſeu ſtatis temporibus ieiuniorum, ſed oſtēdit, quando pro ratione ſcilicet incidentium cauſarum, vel indicenda vel ſuſcipienda ſint ieiunia. De primitiuæ autem Eccleſiæ obſeruationibus poſtea dicemus.

## *DE MODO SEV RATIONE VICTVS in ieiunio, & de delectu, diſcrimine ſeu prohibitione ciborum.*

*Ieiunium nō delectu, ſed abſtinentia ciborum definitur.*

EX iis, quę ſupra de definitione ieiunij annotauimus, planum ac manifeſtum eſt ieiuniū iuxta Scripturam non hoc eſſe, ſi quis piſcibus, fructibus vel terræ vel arborum, electuariis, confectionibus, vino, ſicera, &c. ventrem vel repleat vel delicate tractet, vel ſi quis ſemel in die de piſcibus aut aliis eſculentis tantum abliguriat, vt ad digerendam ingluuiem, vix ſequēs dies ſufficiat, modo carnes, caſeos, butyrum, oua non comedat. Piſces enim & fructus terræ ad præcipuas ſæpe delicias adhibentur. Et lautius profecto viuit, qui piſcibus bene conditis, & fructibus laute præparatis veſcitur, quam qui carne fumo durata, arido caſeo, vel rancido butyro vtitur. Et repletus ſeu laute tractatus vēter, ſiue piſcibus, ſiue leguminibus id fiat, certe non ieiunat. Vino etiam carnis concupiſcentiam magis & facilius irritari, quam vel ouorum, vel caſeorum eſu non eſt dubium.

Scripturæ vero exempla, ſicut ſupra demonſtrauimus, oſtendunt, ieiunantes ſolitos per totum diem ita abſtinere, vt ante veſperam vel occaſum Solis nullum cibum ſumerent, ſimulquē ieiunantes ſolitos abdicare oēs delicias cum cibi & potus, tum aliarū etiam rerum. Et quando ad veſperam tempore ieiunij comedebant, nō vel piſcium lautitiis, vel fructuum deliciis, vel vino & ſicera ventrem replebant, vel laute tractabant, ſed ſicut Dauid inquit: Cibabis nos pane lachrymarum, Pſal. 80. Cinerem vt panem comedi, & potum meum cum fletu miſcebam. Pſalm. 102. & Danielis 10. Panem delicatum non comedi, caro ac vinum non introierunt in os meum.

*Cibi minus lauti tempore ieiunij.*

Quia enim ieiunium eſt afflictio, humiliatio ſeu caſtigatio corporis, qua caro ſubigatur, dometur, & coerceatur, ſicut ſupra oſtenſum eſt; ideo ieiunantes vſq; ad veſperam ab omni cibo abſtinebant, & poſtea pro neceſſaria corporis ſuſtentatione aliquid quidem de qualicunque mundo cibo comedebant, ſed nec multum, nec quod vel lautum vel delicatum eſſet, vt moneret definitio ieiunij, quod eſſet afflictio animæ, & abdicatio deliciarum corporis. Non autem vlla lege ſtatutum, aut vlla prohibitione in Scriptura interdictum fuit, qualibus cibis tempore ieiunij vel veſci vel non veſci liceret, ſed proprię cuiuſq; voluntati relictum hoc fuit, modo ieiuniū eſſet abdicatio deliciarum ſeu lauticiarum.

*Ratio victus temporibus feſtorum & ieiuniorum.*

Alia igitur & diuerſa fuit ratio victus tempore ieiunij, & alia feſtis ſeu aliis diebus. Feſtis enim diebus comedebant pinguia, & bibebant dulcia, vt lætarentur, Nehe. 8. Ieiunij vero tempore,

pore, quando comedebant, ſine prohibitione vllius mundi cibi à lautiori tractatione abſtinebant, & cibis parcioribus ac minus delicatis vtebantur. Hoc tempore vero de delectu ſeu diſcrimine ciborum hæc controuerſia eſt, quod Pontificij ieiunium in ſola ciborum commutatione conſtituunt, vt ieiunare is fingatur, qui piſcibus, terræ fructibus, vino & aliis, vel ad ſaturitatem, vel ad delicias, vel ad repletionem ſæpe vtitur, modo carne, ouis, lacticiniis non veſcatur, cum deliciæ in piſcibus & fructibus ſæpe maiores ſint, & repletiones non minores, ſępe etiam magis periculoſæ fiant ex piſcibus, vino, fructibus, & ſimilibus, quæ omnia cum ieiunij definitione pugnant.

*Status quæſtionis de diſcrimine ciborum.*

*Opinio peccati.*

Præcipuum vero caput controuerſiæ de diſcrimine ſeu delectu ciborum, hoc eſt, quod Pōtificij carnium & lacticiniorum vſum certis diebus prohibent, & peccatum mortale eſſe docēt, ſi quis illis diebus vel moderate etiam & parce, vel ſine lautitiis & crapula carnem comedat. In abſtinentia vero carnium, & vſu piſcium cultum Dei cum opinione neceſſitatis, iuſtitiæ & meriti conſtituunt. De tali ciborum delectu, diſcrimine & prohibitione videndum eſt, quæ ſit Scripturæ ſententia. Quæſtio igitur eſt, An peccatū ſit quoſdam cibos ſumere, hoc eſt, an quorundam ciborum vſus Deum offendat, & conſcientiam inquinet. Item, an quibuslibet cibis, an vero quibuſdam tantum ſine peccato, hoc eſt, ſine offenſione Dei, & ſine offendiculo conſcientiæ, bona Dei gratia, & ſalua conſcientia pij vti poſſint. Item, An cultus Dei cum opinione neceſſitatis conſtituendus ſit in cibis quibuſdam, vel ſumendis vel non ſumendis. Certum autem eſt totam hanc quæſtionem, quod ad forum conſcientiæ attinet, pendere non ex Medicorum diſciplina, nec ex hominum traditionibus, ſed ex verbo, mandato, conceſſione, ſeu prohibitione diuina.

*Opinio neceſſitatis, cultus, iuſtitia, &c.*

*Reſponſio ad hanc quæſtionem ſtatus.*

*Vſus creaturarum in cibo initio quomodo homini cōceſſus.*

Statim enim in principio licet omnia terræ naſcentia, animalia, piſces, volucres ad vſum hominis creata eſſent, & quidem ſingulorum proprietates Adamo non eſſent ignotæ, vt qui ſingulis ſecundum proprietatem ipſorum, & vſum nomina impoſuerat, & Dominus omnium conſtitutus fuerat, Deus tamen non voluit hominem ex creaturis illis, priuato ſuo arbitrio, ad victum, quę ipſe vellet, rapere, ſed Deus ipſe, tāquam verus in magna ſua domo Paterfamilias, peculiari verbo, illa quæ ex creaturis volebat, homini ad fruendum dedit, Gen. 1. vt per verbū & in verbo, quaſi ex manu Dei, victum accipientes, primi parentes cum ſuis poſtea in ipſo vſu dona Dei agnoſcerent & celebrarent, atque ita pietatem erga Deum etiam in externis cibis exercerent.

Verbo enim illo conceſſionis & oratione, quam ex verbo illo fides extruebat, ſanctificabatur, & cum gratiarum actione ſumebatur, ſicut Paulus loquitur.

*Terra naſcentia in cibum cōceſſa homini initio, non caro.*

Et in principio quidem terrę naſcentia hominibus in cibum Deus conceſſit. Gen. 1. Et ſi quis tunc ante diluuium animalium, volucrum, vel piſcium carnes ad cibum rapuiſſet, abſq; dubio peccaſſet, non quod caro per ſe tunc fuiſſet immunda (erat enim bona Dei creatura, creata ad vſum) ſed quia verbo Dei cōcedente & præbente illam ad victum humanum, non ſanctificabatur. Hoc enim vult Paulus, quando dicit, cibum ſanctificari per verbum Dei, hoc eſt, quod vſus cibi inde reddatur ſanctus, hoc eſt, licitus, vt bona Dei gratia & ſalua conſcientia vſurpari poſſit, ſi habeat verbum Dei, quo concedatur ſeu prębeatur ad fruendum.

*Carnis vſus in cibum conceſſus poſt diluuium.*

Poſt diluuium vero, Gen. 9. Deus peculiari verbo concedit, vt omnium animalium terræ, volucrum, & piſciū carnibus, tam libere veſcantur homines, ſicut ante diluuium oleribus virētibus. Et in vniuerſali illa conceſſione nulla ponitur exceptio (dicit enim, omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi herbam virentem dedi vobis omnia) niſi quod addit, carnē cum ſanguine ſuo non comedetis, ne ſcilicet ex animalium occiſione homicidia etiam vobis licere exiſtimetis. Quod enim Gen. 7. ante diluuium ponitur diſtinctio inter animalia munda & immunda non poteſt certo oſtendi, quod ad victum ſeu vſum habita tunc fuerunt quædā animalia immunda. Ante diluuium enim prorſus nullorum animalium carnibus veſci conceſſum erat, Quorſum igitur tali diſtinctione, quod ad cibum attinet, opus fuiſſet? De ſacrificiis igitur etiam ante diluuium vſitatis, ad quæ animalia quædam munda, quædam immunda erant, locus ille ſimpliciſſime intelligitur.

*De mūdis & immundis animalib. ante diluuium.*

*Diſtinctio animaliū mundorum & immundorum ſub Moſe.*

Sed ſub Moſe, Leuit. 11. & Deut. 14. Deus ſua voce tale diſcrimen fecit, quod ex animalib. auibus & piſcibus quædam in cibum cōceſſit, quædam vero comedenda prohibuit, & illa munda: hæc vero immūda vocauit, nō quod aliqua per ſe eſſent immunda, vel à bono Deo mala creata, vel à malo aliquo principio mala facta, vel à Deo maledicta, vt per ſe veſcentis conſcientiam inquinarēt. Quod enim ad cibum attinet, Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendū, ſi cum gratiarū actione ſumatur, 1. Tim. 4. Id quod poſt diluuium, Gen. 9. & in nouo Teſtamēto, ſua cōceſſione Deus ipſe monſtrauit, ſed vt pædagogia quadam veterem populum ad verbum ſuum ita alligaret, vt ne cibos quidem, ſiue certo verbo Dei ſumere auderent. Ideo ſub Moſe pędagogo quoſdam cibos verbo ſuo conceſſit, quoſdam vero prohibuit. Et qui tunc cibis à Deo prohibitis veſcebātur, illi peccabant, & Deum offendebant, ac conſcientiam ſuam inquinabant, non ratione ſubſtantiæ cibi, ſed inobedientię contra verbum Dei. Vt enim vſus cibi ſit ſanctus, hoc eſt, vt à fidelibus bona Dei gratia & ſalua cōſcientia ſumi poſſit, hoc pendet ex verbo Dei, quo ſi cibus concedatur, tunc ſanctus eſt, ſi vero prohibeatur, immundus eſt.

*Cauſa huius diſtinctionis Leuitica.*

*Cauſa diſcriminis ciborū Vet. Teſt.*

Et varię quidem afferri poſſunt rationes illius diſcriminis ciborum à Deo inſtituti. Quidam enim ex cibis illis prohibitis videntur tales eſſe, à quib. natura quodāmodo abhorreat. Sed Deus in illa conſtitutione non Phyſicum, aut medicum finem ſibi propoſitum habuit, ſed Eccleſiaſticam veteris Teſtamenti pædagogiam. Veriores igitur & certiores cauſę hę ſunt. Primo, quod *I.*
Deus Iudaicam religionem, à reliquis gentibus etiam hoc externo diſcrimine, diſtincta eſſe voluit. Ezec. 4. Dan. 1. 2. Machab. 6. & 7. &c. Secundo, quod diſcrimine illo ciborum mundorum *II.*
& immundorum Deus pædagogicas quaſdam figuras, ſignificationes ſeu commonefactiones, de ca-

de cauenda immunditie & abominatione peccati, ac ſectanda vitæ ſanctimonia, populo veteris Teſtamenti proponere voluit, quas in ſpecie
III. explicari non eſt huius loci. Tertiò, quòd Deus voluit monere, populum ſuum debere verbo ſuo
IIII. alligatum eſſe. Quartò, quòd voluit obedientiā veteris populi ita probare, cùm verbo ſuo prohiberet quædam, quæ per ſe non erant mala vel noxia, ſicut Adami obeditionem prohibitione ligni ſcientiæ boni & mali probauit. Sed quicquid ſit de cauſis illis, nobis hoc loco ſufficit, ſanctificationem cibi ad vſum licitum pendere ex verbo Dei, concedentis & præbentis cibos ad fruendum, quo verbo quando deſtituuntur homines, vt ante diluuium de carnibus, vel quando habent verbum prohibens, vt ſub Moſe, tunc non poſſunt, ſine læſione conſcientiæ, & offenſione Dei, cibis illis vti.

*Caſus neceſſitatis.*

Exceptus tamen etiam in veteri Teſtamento fuit caſus neceſſitatis. 1. Reg. 21. Marc. 2. de panib. propoſitionis & diſpenſationis, Ezech. 4. Erat enim tantùm ceremonialis ſeu temporalis pædagogia, non moralis prohibitio.

*Moſaica lex de ciborum diſcrimine abrogata eſt tēpore noui Teſtamenti.*

Tandem verò in nouo Teſtamento, vnà cùm reliquis Leuiticis Ceremoniis etiam lex Moſaica, conſtitutio ſeu pædagogia diſcriminis ciborū per Chriſtum prorſus eſt abrogata, tradita peculiari & manifeſto verbo, quo exceptiones illæ, quæ vel ante vel poſt diluuium, ſub Moſe fuerūt, relaxantur, & omnes cibi à Deo ad ſumptionem creati ita ſanctificantur, vt ſine peccato, hoc eſt, ſine offenſione Dei, & læſione conſcientiæ, imò cum bona Dei gratia, & ſalua conſcientia à fidelibus vſurpari poſſint, ſi cum gratiarum actione ſumantur, vt Matth. 15. Quod ingreditur in os, non inquinat hominem.

Titum 1. Mundis omnia ſunt munda. 1. Tim. 4. Non prohibendi ſunt cibi, quos Deus creauit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendū, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per verbum & orationem. Rom. 14. Scio & perſuaſum habeo in Chriſto Ieſu, nihil eſſe commune, ſeu immundum per ſeipſum, niſi ei, qui exiſtimat aliquid immundum eſſe, immundum eſt. 1. Cor. 10. Omne quod in macello venditur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam: Domini enim eſt terra, & plenitudo eius. Col. 2. Nemo vos iudicet in cibo & potu. Et Act. 10. Viſione cœleſti voce ter repetita doctrina priuilegium illud confirmatum eſt, Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris.

*Propter infirmos aliquandiu tolerata ſunt hæc Leuitica Vet. Teſt.*

Et initio noui Teſtamenti cùm ex Iudæis multi ad fidem Chriſti conuerſi, reliquos quidem fidei articulos amplecterentur, hoc vero caput de ciborum libertate nondum vel intelligere vel capere poterant, atq; ideò olus manducabant, ne ſi ex macello à Chriſtianis vel gentibus mactatum manducarēt, vel aliquid in lege interdictū, vel vnde ſanguis non purè eſſet effuſus, vel quòd idolis immolatum eſſet, ſumerent. Sicut propter illam ipſam cauſam quatuor pueri, Dan. 1. nolūt cibis de menſa Regis veſci, ne contaminētur, ſed petunt legumina ſibi dari. Apoſtoli igitur iudicauerunt, infirmitatem fidei talium eſſe tolerandam, nec indiſcreto & intempeſtiuo vſu libertatis tales infirmos & dociles eſſe cōtriſtandos aut offendendos, ne ideò à tota Euangelij doctrina abſterrerentur. Rom. 14. Act. 15. Poſtea verò cùm præfracti & obſtinati legale illud diſcrimen ciborum opinione neceſſitatis ita vrgerent, vt cōtenderent, eos peccare, Deum offendere, & conſcientiam inquinare, qui quibuslibet cibis citra delectum veſcebantur, & in abſtinentia legalium ciborum cultum Dei & iuſtitiam collocarēt: Apoſtoli magna vehementia hāc partem Euangelicæ veritatis ſeu libertatis, & doctrina & exemplis aſſeruerunt, ac contrariam ſententiam acriter refutarunt. Col. 2. Nemo vos iudicet, hoc eſt, conſcientiæ ſcrupulum iniiciat, vel condemnet, ob cibum aut potū: Et addit rationem grauiſſimam. Hæc inquit, fuerunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti, hoc eſt, diſcrimina illa legalia ciborum & dierum fuerūt adumbrationes, & prima quaſi lineamenta perſonæ & officij Chriſti venturi, quia verò Chriſtus, corpus illarum adumbrationum, iam exhibitus eſt, ceſſarunt vmbræ. Et qui vmbras illas legali opinione nunc vellet conſectari, is ipſo facto negaret Chriſtum eſſe exhibitum, Eſt enim in dicto Pauli metaphora, à pictoribus ſumpta, qui primùm lineas quaſdam ducunt, & adumbrationes figurant, iuxta quas ipſum corpus picturæ perficiunt & abſoluunt. Abſoluto verò ipſo corpore picturæ, vmbræ illæ obliteratæ ceſſant.

*Libertate Chriſtiana abolitæ ſunt leges Moſaicæ.*

*Metaphora Pauli Col. 2. de vmbris.*

Talem comparationem Paulus fecit inter figuram veteris Teſtamenti, & inter Chriſtum exhibitum. Et Gal. 2. Paulus ideò Petrum publicè & grauiter reprehendit, quòd præfractis Iudæis, qui quærebant libertatem Euangelicam in ſeruitutem legalem rurſus reducere, aliquid hac in parte, vel ſimulando, concederet. Et rationem addit grauiſſimam. Non recto pede incedebat ad veritatem Euangelij. Item vt Euangelij veritas permaneret, ne ad horam quidem ceſſi. De abrogatione igitur legalis ſeu Moſaici diſcriminis ciborum in nouo Teſtamento, res plana, manifeſta, & nunc quidem extra controuerſiam eſt.

*Status quæſtionis cum Pontificiis.*

*An Eccleſia poßit cibos quoſdam prohibere.*

Supereſt verò illa quæſtio, de qua inter nos & Pontificios controuerſia eſt, cùm in nouo Teſtamento, abrogato legali ciborū diſcrimine, Chriſtus conceſſerit liberè quibuſuis cibis, quo adcōſcientiam veſci, poſſit ne in Eccleſia noui Teſtamenti per hominum traditiones, ſtatuta & decreta diſcrimen aliquod ciborum, quo ad conſcientiam, conſtitui & mandari, ita vt certis diebus in certorum ciborum manducatione peccatum, in abſtinentia verò cultus Dei conſtituatur. Hoc enim eſt, quod Pontificij in hoc articulo de delectu ciborum contendunt, ſed in Scriptura habemus fundamenta explicationis huius quæſtionis manifeſta & firma. Vt Act. 10. diuina hæc vox ter ad Petrum repetitur: Quæ Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Et Col. 2. Paulus primùm tractat de abrogatione diſcriminis legalis, quod verbo & mandato diuino ſancitum erat, poſtea loquitur etiam de doctrinis, decretis & mandatis hominum conſtituentium: Ne tetigeris, ne guſtaris, ne contrectaris. Hæc enim non poſſe de legali ſeu Moſaico ciborum diſcrimine intelligi, inde patet, quia vocat doctrinas & præcepta hominum, cùm Moſaicum diſcrimen verbo & mandato diuino ſit ſancitum. Et argumentatur Paulus à maiori ad minus, ſi mortui eſtis

*Reſponſio.*

*Locus Col. 2. explicatus.*

*Elementa mundi apud Paulū quid.*

tui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, hoc eſt, ſi in Chriſto à Leuitico diſcrimine ciborum, quod mandato diuino ſancitum erat, liberati eſtis, (legales enim pædagogias, quas paulò antè vmbras vocarat, iam in hac ſententia ςοιχεία quaſi primas delineationes appellat) cur decretis iuxta doctrinas & mandata hominum tenemini: Ne guſtaueris? &c. Hanc eſſe Pauli ſententiam contextus manifeſtè oſtendit. Eſt enim collatio inter abrogationem diſcriminis ciborum, quod in veteri Teſtamento, voce diuina, ſancitum erat, & inter decreta iuxta hominum doctrinas & mandata, de non guſtandis quibuſdam cibis facta. Et argumentatio grauiſſima eſt, ſi à Leuitico ciborum diſcrimine, quod tamen diuino mandato ſancitum fuerat, in Chriſto liberi facti eſtis, vt iam nec peccatum in vſu, nec cultum in abſtinentia illorum ciborum collocare debeatis.

*Argumenta Pontificiorū pro ciborum delectu aſſerendo à Paulo refelluntur.*

Multò minus igitur aliis decretis, quæ iuxta hominum doctrinas & mandata prohibēt quorundam ciborum vſum (ne guſtaueris) teneri debetis. Et illa ipſa argumenta, quæ Pontificij pro ſuo ciborum delectu ſtabiliendo adducere ſolent, Paulus in illo loco attingit & reiicit. Habent, inquit, illa decreta ſpeciem ſapientiæ, quòd ſint ἐθελοθρησκεία, voluntarij, ſpontanei, ſeu electitij cultus, quodq́; ad macerationem corporis & animi humilitatem faciant. Sed vos, inquit, cum Chriſto mortui eſtis ab huiuſmodi elementis mundi, & cum ipſo conreſurrexiſtis, vt ſcilicet cultui ſpirituali in ipſius regno operam detis. Cibi verò ipſo vſu abſumuntur. Ideò, ſicut Rom. 14. inquit, Regnum Dei non eſt eſca aut potus. Item 1. Corinth. 10. Eſca non commendat nos Deo, ſiue enim quiduis edamus, ſiue à quibuſdam abſtineamus, nihil amplius in regno Dei habebimus. Et Ebræor. 13. Bonum eſt gratia ſtabiliri cor, non eſcis, quæ non profuerunt his, qui in illis ambularunt, hoc eſt, qui diſcrimen illud ſuperſtitioſè obſeruarunt, poſt reuelatum Euangelium.

*Argumētum Pontificiorū ductum ex κακοζηλία Vet. Teſt.*

Hæc valdè illuſtris eſt explicatio huius quæſtionis, & grauiſſima refutatio humanarum traditionum, & Pontificiorum Decretorum, de ciborum delectu, diſcrimine & prohibitione. Solent enim Pontificij ita argumentari: Omnibus temporibus in populo Dei fuit delectus ſeu diſcrimen ciborum, vt in Paradiſo prohibita erat arbor ſcientiæ boni & mali. Ante diluuium carnes non erant permiſſæ: poſt diluuium ſanguinis vſus prohibitus erat: Sub Moſe varij cibi interdicti erant. Ergo in nouo Teſtamento debet eſſe delectus aliquis ciborum.

*Refutatio.*

Sed ex hoc loco Pauli ſumitur vera reſponſio. Deus enim diſcrimen illud in Paradiſo ante diluuium, poſt diluuium, & ſub Moſe, ſua voce inſtituit & ſanciuit: In nouo verò Teſtamento Deus ſua voce nullum diſcrimen ciborum, quo ad conſcientiam, conſtituit, ſed abrogatis omnibus veteribus ciborum diſcriminibus verbo ſuo libertatem omnium ciborum in novo teſtamento conceſſit.

*Exceptionem Eccleſiæ autoritate ſanciri.*

Sed excipiunt, Eccleſia conſtituit aliquem delectum, & ei debetur obedientia: Quid vero Paulus Coloſ. 2. reſpondeat, iam oſtenſum eſt. Si Leuiticum ciborum diſcrimen diuino mandato olim conſtitutum, iam in nouo teſtamento nos non obligat, cur decretis iuxta doctrinas & mādata hominū de non guſtandis quibuſdam cibis factis, teneremur, vel onerari nos pateremur?

*Mortificatio carnis, humilitas animi, &c.*

Similiter quando adducunt argumenta de mortificatione carnis, de humilitate animi, de voluntariis cultibus, Paulus illa ipſa argumenta in forma recitat, & dicit quidem ea habere ſpeciem ſapientiæ, ſed tamen reiicit ea ex fundamento libertatis Euangelicæ & cultus ſpiritualis in nouo Teſtamento.

Quod autem ad verum ieiuniū attinet, quod conſiſtit in abdicatione omnium delitiarū corporis, quod ad ſubigendum corpus vtile eſt, in præcedentibus explicauimus Scripturæ ſententiam. Ad hoc verò iſte ciborum delectus, de quo Pontificij dimicāt, nihil facit, ſicut oſtendimus. Et opiniones Pontificiorum de ſuo ciborum delectu, quòd ſcilicet illi aſſuunt opinionem neceſſitatis, cultus, meriti, & iuſtitiæ, prorſus cum veris pij ieiunij finibus, quos paulò antè ex verbo Dei oſtendimus, pugnant.

*Secunda refutatio figmenti Pontificij, de ciborum delectu ex loco 1. Tim. 4.*

Alius locus continens illuſtrem refutationem doctrinæ Pontificiæ de ciborum delectu, ſicut ab ipſis traditur, extat 1. Timoth. 4. Vbi Spiritus ſanctus diſertè denunciat, fore Spiritus impoſtores in poſterioribus temporibus, qui præcepturi ſint abſtinere à quibuſdam cibis, in hypocriſi, hoc eſt, ſub ſimulatione externæ ſanctitatis, cum intus conſciētia ſit impura ſeu cauterio notata.

*Quomodo Pōtificij locum, 1. Tim. 4. conētur eludere.*

Et Pontificij quidem admodum ſudant, vt hoc fulmen Spiritus ſancti à ſuis capitibus diuertant, contendunt enim Paulum loqui de Tatianis, Manichæis, Priſcillianiſtis, qui finxerūt, carnes vel per ſe eſſe immundas, vel Diaboli felle contaminatas: ſed concedatur ſanè, Paulum de illis hæreticis locutum, non tamen ideò Pontificia prohibitio ciborum libera euadet. Non enim de vna aliqua perſona, vel de vna ſingulari aliqua ſecta Paulus loquitur: Sed loquitur de omnibus doctrinis prohibentibus abſtinere à quibuſdam cibis, quibuſcunq́; temporibus Apoſtolorum ſeculum illud fiat, maximè verò poſtremis temporibus.

*An de ſolis Tatianis Paulus loquatur 1. Tim. 4.*

Inepta enim eſt eluſio dicere Tatiani, Manichæi, &c. qui olim conſcientiæ cauſa prohibuerunt vſum quorundam ciborum, peccarūt contra dictum hoc Pauli. Ergo ſi quis poſt illos vel ſimiliter, vel ſub alio prætextu iubeat abſtinere à quibuſdam cibis, non peccat ſed rectè facit: Ac ſi dicerem: Paulus ſcribit contra Pſeudoapoſtolos, qui iuſtitiam operum iuſtificatione fidei miſcebant. Ergo qui nunc alio prætextu, operibus nos iuſtificari docent, non peccant, ſed rectè faciunt, vel quòd Paulus ſcribit de ſcortatione, impletum eſt in Corinthiis. Ergo ad noſtri vel alterius ſeculi ſcortatores non pertinet. Et locus Pauli non tam de illis, qui cibos craſſa accuſatione, quaſi à Diabolo eſſent, damnant, agit, quàm de illis, qui ob hypocriſin, ſpeciem ſeu oſtentationem externæ ſanctitatis iubent à quibuſdam cibis abſtinere, ſicut & Coloſſ. 2. ſpecioſa decreta de non guſtando reiicit: Fundamenta certè quæ Paulus prohibitioni iſti ciborum, de qua 1. Tim. 4. loquitur, opponit, generalia ſunt contra quaſuis prohibitiones ciborum, quæ fiunt prætextu ſanctitatis & cultus, ideò enim hypocriſin in textu nominat. Veritatem igitur nominat, quam

fideles

fideles in nouo Teſtamento agnoſcere debeant, quòd ſcilicet omnis creatura Dei bona ſit, & nihil reiiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur, hoc eſt, ſicuti ipſe explicat, quod omnes cibi à Deo creati bona conſcientia ſumi poſſint cum gratiarum actione. Et ideò omnes illos, qui contra hanc veritatem iubent à cibis abſtinere, quacunque hypocriſi illud fiat, vt conſcientiis cauterium, ſi non abſtinuerint, inurant, taxat & damnat. Hæc luce meridiana clariora ſunt in loco Pauli.

Etiam colligantur encomia dogmatis ſeu decreti, iubentis abſtinere à quibuſdam cibis ſub prætextu ſanctitatis ſeu cultus: ſunt inquit Paulus, ſpiritus impoſtores, doctrinæ dæmoniorum, hypocritæ, falſiloqui, apoſtatæ à fide, cauteriatam habentes conſcientiam. Nec releuat Pontificios, quòd non in perpetuum, ſicut alij hæretici, ſed certis temporibus ſeu diebus iubet à quibuſdam cibis abſtinere. Paulus enim ipſam prohibitionem damnat, & eſt prohibitio ſiue ſit perpetua, ſiue certi temporis. Nec diſputat Paulus quanta temporis præſcriptio requiratur in hac prohibitione, vt fiat vel ſit peccatum, ſed ipſam prohibitionem damnat. Et ſicut ineptè diceretur, eum quidem, qui ſemper ſcortatur peccare, qui verò certis temporibus hoc faciat, non peccare. Similis eſt & hæc eluſio: Eum quidem peccare, qui cibos quoſdam in perpetuū prohibeat, qui verò certis temporibus hoc faciat, eum rectè facere: cùm tamē vtrunq; ſit contra hanc Euangelij veritatem, quòd omnium ciborū ſumptio libera ſit, quoad conſcientiam. Et hac ipſa eluſione Pontificij tanquam ſuo ſe gladio iugulant: fatentur enim hæreticum eſſe, ſi quorundam ciborum vſus in perpetuum prohibeatur: Et tamen apud ipſos Carthuſienſibus, ſub titulo maioris ſanctitatis, meriti & perfectionis, in perpetuum prohibetur vſus carnium. Ac Gregorius ſeptimus, Romæ in cōcilio, Monachis, præcipuè verò Benedictinis, vt ſanctioribus, in vniuerſum carnem prohibuit: reliquis verò, vt imperfectioribus, certis tantùm diebus prohibitionem illam impoſuit.

*Gregorius VII.*

Illæ ſuperſtitioſæ leges & opiniones de ciborum diſcrimine neceſſariò taxandæ ſunt in Eccleſia. Paulus enim 1. Timoth. 4. cùm doctrinam dæmoniorum de prohibitione ciborum damnaſſet, ſubiicit: De his ſi commonefeceris fratres, bonus eris miniſter Chriſti.

Et hæc patres Concilii Tridentini debuiſſent in ſuo Decreto explicare, ſuperſtitioſas opiniones reiicere, & prauos abuſus corrigere, & Eccleſiæ libertatem Euangelij reſtituere, vt ex Scripturæ fundamentis vera Chriſtiani ieiunij ratio, monſtratis piis, ſalutaribus, & verbo Dei conſentaneis finibus Eccleſiæ reſtitui poſſet. Sed Tridentinum Decretum ieiunia & ciborum delectum, nulla addita vel ſuperſtitionum vel abuſuum correctione ita cum obſequendi obligatione & neceſſitate proponit, vt non obſcurè totam lernam ſuperſtitionum Papiſtici ieiunij, de quibus paulò pòſt in ſpecie dicemus, retinere, ſtabilire, & confirmare moliatur. Præmittit enim in Decreto de ciborum delectu & ieiunio, vt paſtores illa omnia, quæ Romana Eccleſia ſtatuit, quibuſcunque fidelibus commendent, vt illis ſint obſequentes. Qualia verò illa in hoc articulo de ieiunio ſint, paulò pòſt detegemus.

## DE PONTIFICIIS CIBORVM CONSE*crationibus, Et quomodo iuxta Paulum cibus verbo & oratione ſanctificetur.*

LAborant quidem Pontificij magno conatu amoliri ſuſpicionē iſtam, quaſi cibos quoſdam prohibeant, ea opinione, ſicut olim Tatianus, Manichæi, Priſcillianiſtæ, quaſi ſcilicet vel maledicti ſint, vel à Diabolo occupati, ac propterea conſcientiam inquinent, ſed argumenta quibus ſuam prohibitionem ciborum ante hæc tempora probare & ſtabilire conati ſunt, & Pontificiæ conſecrationes creaturarum ſeu ciborum, prorſus oſtendunt, in eodem ipſos luto cum antiquis iſtis hæreticis hærere. Inter reliqua enim argumenta quibus prohibitionem carnium probare voluerunt, fuit & hoc vnum, quia ſcilicet Gen. 3. terra à Deo maledicta legitur, & per conſequens etiam animalia, quæ in terra viuunt, nō autem aqua cum piſcibus. Non dicam quàm inepta ſit hæc argumentatio, eadem enim conſequentia panes, herbas, olera, radices, fructus prohibere deberent. Et quare volucrum carnes prohibent, cùm aer non legatur maledictus, niſi forſitan auiculæ maledictionem inde contrahant, quòd terræ aliquando inſident, ſed cur non etiam piſces, cùm fluuiorum fundum ſæpius attingant. Poſſem euidenter oſtendere, quòd Deus ipſe explicet, quomodo maledictionem terræ intelligat, quia ſcilicet ſpinas & tribulos germinabit, & in laboribus & ſudore vultus ex ea comedes. Quodq; illa maledictione animalia non fecerit ad eſum immunda, ipſe poſt diluuium oſtendit, concedens eſum carnium, Gen. 9. Poſſem etiam per inſtantiam opponere de piſcibus, quòd Deus ſub Moſe quędam indicarit ad cibum immunda, non tantùm ex animantibus terræ, verumetiam ex piſcibus aquarum, & ex auiculis, quæ originem habent ex aquis, & in aere volitant. Sed hoc loco tantùm volui oſtendere, Pontificios eſum carnium certis diebus prohibuiſſe, ideò & ea opinione, quòd ſentiant carnes animalium maledictas, & per ſe immundas eſſe. Hoc enim argumentationibus ſuis manifeſtè oſtendunt.

*Pontificij congruunt cum veteribus hæreticis in dogmate de ciborū delectu & prohibitione.*

*Nota quam cauſam Pontificij adferant prohibitionis carnium.*

Simile eſt & illud argumentum, quo vſi fuerunt, ideò ſcilicet in ieiuniis abſtinendum carnibus, & veſcendum piſcibus, quia Chriſtus legitur non comediſſe carnes, ſed piſces, panes, mel, &c. Ergo ſentiunt hos cibos per ſe eſſe ſanctiores & mundiores, quàm carnes. Imò non obſcurè dicunt, carnium eam eſſe immundiciem, quòd in homine prauas carnis concupiſcentias excitent. An hæc procul abſint à Tatianorum & Manichæorum fundamentis, Lector iudicet. Venit mihi hoc loco in mentem fabellæ cuiuſdam, aliquando ſcilicet ſacerdoti, ex hiſce argumentis declamitanti contra eſum carnium, ſimplicem quendam Laicum oppoſuiſſe, quòd Chriſtus carnem, & quidem aſſam, agni ſcilicet Paſchalis, cum diſcipulis ſuis manducarit, Sacerdotem verò vi & euidentia obiectionis conſtrictum, cùm aliud quod reſponderet non haberet, dixiſſe: verum eſt, Chriſtus quidem comedit carnem, & quidem ante Paſcha, hoc eſt, in Quadrageſima,

*Aliud argumentum eiuſdem farinæ.*

*Nota fabellam.*

ſed valde malè ipſi conuenit, mox enim poſtea ligatus, cæſus, flagellatus, & cruci affixus eſt.

*Ex conſecrationibus ciborũ pontificiis, colligitur cauſa prohibitionis eorum.*

Omnium verò clariſſimè cauſa prohibitionis ciborum quorundam in Eccleſia Pontificia inde colligitur, quòd in conſecrationibus ſuis expreſſis verbis petunt, vt diaboli vis ac poteſtas à creaturis expellatur, & per conſecrationes hoc accipiant, vt ſint ſanitas mentis & corporis. Ergo ſentiunt creaturas per ſe, & prohibitis temporibus, quando non conſecrantur, à poteſtate diaboli infectas, inquinare, & corpus & animam, niſi diabolus pontificiis execrationibus inde exorciſetur. Hæc certè ſunt ipſiſſima fundamenta Tatianorum & Manichæorum, quos cùm damnare ſe ſimulent, quomodo ſuã prohibitionem iiſdem fundamentis ſubnixam, defendere poſſint, Lectoris ſit iudicium. Adſcribam autẽ formulas aliquot talium conſecrationum Papiſticarum, vt ex ipſorum verbis, preculis, & agendis, Lector de ſententia ipſorum ſtatuat.

*Formulæ conſecrationum Papiſticarũ ciborum.*

*Aqua.*

Aqua igitur ita benedicitur apud Pontificios: Exorciſo te creatura aquæ, vt omnis virtus aduerſarij ab hac creatura aquæ eradicetur & effugetur.

*Frondium & florum.*

Benedictio frondium & florum: Exorciſo te creatura frondium & florum, in nomine Patris, &c. proinde omnis virtus aduerſarij, omnis exercitus Diaboli, omnis poteſtas inimici, omnis incurſio dæmonum eradicetur, & explantetur ab hac creatura.

*Agni Paſchalis.*

Benedictio agni paſchalis: Dignare Domine quæſumus benedicere & ſanctificare has ouium mundare carnes, vt quicunq; ex populis tuis fidelibus comederit, omni benedictione cœleſti, & gratiæ tuæ ſaturitate, in bonis repleatur.

*Caſei.*

Benedictio caſei: Dignare benedicere & ſanctificare hanc creaturam caſei, vt quicunq; fidelium tuorũ de ea comederint, omni benedictione cœleſti & gratiæ tuæ ſanctitate repleantur.

*Panis & laganorum.*

Benedictio panis & laganorum: Benedic Domine creaturam iſtam panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, vt omnes guſtantes ex ea, accipiant tam corporis quàm animæ ſanitatem.

*Benedictio generalis.*

Benedictio generalis: Benedic Domine creaturam iſtam, vt ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per inuocationem nominis tui, vt quicunq; ex ea ſumpſerit, corporis ſanitatẽ & animæ tutelam percipiat. Item, Tu Domine mitte Spiritum tuum ſanctum in hanc creaturam, vt qui ex ea guſtauerint, proficiat illis ad æternam ſalutem.

*Vini in die Iohan. Euangeliſtæ.*

Benedictio vini in die Iohannis Euangeliſtæ: Benedicere & ſanctificare digneris hanc creaturam vini, vt quicunq; ex ea guſtauerint, per interceſſionem Mariæ & Iohannis Apoſtoli, vitam conſequãtur æternam, & extinguatur ab omnibus dignè ſumentibus, ſi quid venenoſum ſumpſerint. Item, benedicere digneris hanc creaturã vini, vt omnes ex eo ſumentes, expulſo omni nociuo guſtu infuſo tuę benedictionis myſterio, mereantur in corpore & anima miſericorditer exhilarari. Item: Benedic huius ſubſtantiam vini, vt qui de ea quantumcunq; ſumpſerint, vitam conſequantur ſempiternam. Benedic hanc creaturam vini tua ſancta benedictione cœleſti, vt omnibus, cum fide, reuerentia, & gratiarum actione ex ea ſumentibus, ſit ſalus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos, & venenata & immunda, atq; vniuerſas inimicorum inſidias tutamentum. Benedictio Trinitatis deſcendat ſuper hanc creaturam vini, vt ſit omnibus ex ea ſumentibus remediũ contra periculum corporis & animæ, & prægustatio ad vitam æternam.

Has formulas conſecrationum Papiſticarum ideo adſcripſi: oſtendunt enim quòd ſentiant, creaturas per ſe, vel diaboli poteſtate infectas, vel certè etiam mundis non eſſe mundas, niſi conſecrationibus iſtis purificentur. Atq; ideo diebus prohibitis, quando conſecrationibus iſtis deſtituuntur, non poſſe bona conſcientia ſumi. Quòd verò fingunt, ſuis iſtis conſecrationibus, ſine mandato & permiſſione diuina, creaturis conferri virtutem largiendi ſumẽtibus ſalutem corporis & animæ, ac vitam æternam, magicum & blaſphemum eſt: Sacramentorum verò alia ratio eſt, quæ habent expreſſum mandatum & promiſſionem diuinam, de quibus ſuo loco dictum eſt.

*Origo Papiſticarum conſecrationum.*

Ortæ autem ſunt Pontificiæ iſtæ conſecrationes ex ſiniſtro intellectu ſententiæ Paulinæ, quæ dicit, creaturam ſanctificari per verbum Dei & orationem. Quia enim in ſuis conſecrationibus vtuntur verbis quibuſdam Scripturæ, & certis preculis, ſentiunt, inde creaturis pręter phyſicas, alias & nouas virtutes, vel ad remedium corporis, vel ad ſanctificationem & ſalutem animæ conferri.

*Explicatio dicti Paulini 1. Timo. 4.*

Sed verba Paulinæ ſententiæ hæc commenta manifeſtè refutant, & verum ac vtilem ſenſum oſtendunt: I. Primò enim Paulus nequaquam ſentit, creaturas per ſe vel malas vel immundas eſſe, atq; ideo opus ipſis eſſe ſanctificatione. Expreſsè enim dicit: Omnem creaturã Dei bonam eſſe, & nihil reiiciendum, ac cibos bonitatem illam inde dicit habere, quia Deus illos crearit ad ſumẽdum. II. Secundò loquitur de ſanctificatione, non ſicut homo ſanctificatur per Spiritum ſanctum, vel ſicut Sacramenta ſanctificãtur, nec etiam, vt cibi nouas & alias virtutes præternaturales accipiant. Si quis enim totum Euangelium Ioannis legeret ſuper oua, ac peteret, vt acciperent virtutem globorum tormentariorum. Aut ſi ſuper olus aduſtum totum Pſalterium recitaretur, vt inde ſapor eius mutaretur, non tantùm fruſtrà illud fieret, ſed nomen Dei in uanum aſſumeretur, quia nec mandatum Dei, nec promiſſionem ea de re habemus: ſed loquitur de tali ſanctificatione, ſicut 1. Cor. 7. dicit. Virum infidelem ſanctificari per vxorem fidelem, quia ſcilicet vſus ſeu cohabitatio coniugalis fideli perſonæ munda & licita eſt, qua bona Dei gratia & ſalua bona conſcientia vti poteſt. Atq; ideo Paulus 1. Timot. 4. vtitur his verbis: εἰς μετάληψιν ad ſumptionem cum gratiarum actione. III. Tertiò, non quoduis vel qualecunq; verbum Dei intelligit, nec de quibuſcunq; preculis loquitur, ſed certum verbum Dei oſtendit, de creatione ſcilicet & vſu creaturarum ſeu ciborũ: Nempè quòd omnis creatura Dei bona ſit, & nihil reiiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur, quodq; Deus cibos crearit ad ſumẽdum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui agnouerunt veritatem. Hæc enim ſunt verba Pauli, quibus oſtendit, quodnam verbum Dei intelligat, per quod cibus ſanctificetur, ſcilicet, Primò illud verbum, Vidit Deus cuncta quæ fecerat,

*Quomodo verbo Dei ſanctificetur creatura.*

I. fecerat, & erant valde bona. Omnis enim creatura Dei bona, & nihil reiiciendum. II. Secundò, quòd Deus peculiari verbo, quaſi aperiens manum ſuam conceſſerit & dederit homini cibum. Gene. 1. III. Tertiò, licet ante diluuium tantùm terrę naſcentia fuerint in cibum conceſſa, & ſub Moſe quædam excepta ſeu prohibita fuerint, quod in nouo Teſtamento certo verbo Deus oſtenderit, nullum cibum iam eſſe immundum, quo ſine peccato veſci non liceat, ſed Deum purificaſſe omnes cibos, Actor. 10. vt ſcilicet mundis omnia ſint munda, Tit. 1. Et ideo Paulus, 1. Tim. 4. addit fidelibus, & iis, qui agnouerunt veritatem. Conſtat igitur & certum eſt, quodnam verbum Dei Paulus intelligat, & ex verbo colligi debet, *Qua gratiarum actione ſanctificetur.* qualem orationem & gratiarum actionem intelligat: Oratio enim debet ex fide procedere, fidem autem oportet certo verbo Dei niti. Cùm igitur verbum hoc loco certū ſit, certa etiam eſt forma orationis, ſcilicet iuxta verbum illud. Hinc manifeſtum eſt, verba & preculas, quibus Pontificij in ſuis conſecrationibus vtuntur, non eſſe illud verbum & illam orationem, de qua Paulus loquitur, 1. Timoth. 4.

*Cur verbum & orationem fideles adhibeant in vſu verum.* Vult autem Paulus illud verbum Dei, de quo diximus, & extructam inde precationem, & gratiarum actionem in vſu ciborum à fidelibus adhiberi.

I. Primò, vt admoneantur, ne cibos ſine piis cogitationibus, vel ſicut iumenta, vel ſicut infideles ſumant, ſed ſciant & cogitent, ſe eos ex manu Dei accipere, qui etiā hæc corpuſcula noſtra curat, & præbet nobis omnia ad fruendum.

II. Secundò, vt ſit commonefactio Adamum donationem illam, Gen. 1. nobis per lapſum, Gen. 3. amiſiſſe, & nos propter peccata, abuſus & ingratitudinem, indignos eſſe illis etiam corporalibus donis, ſed per ac propter Chriſtum donationem illam nobis reſtitui, qui etiam ideo panes in manus ſuas ſumpſit, & poſt benedictionē ſeu gratiarum actionem ex ſuis manibus iuſſit populo diuidi ac proponi. Inde in benedictione menſæ dicitur, Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

III. Tertiò, vt habeant fideles certum teſtimonium & priuilegium, ſe abſq; offenſione Dei & læſione conſcientiæ, cibis quibuſuis bona Dei gratis & ſalua conſcientia vti poſſe.

IIII. Quartò, vt precatione agnoſcamus & fateamur, benedictionis diuinæ eſſe, vt vſus cibi corpori & valetudini vtilis & ſalutaris ſit: ſicut inquit Pſal. 104. Aperiente te manum tuam omnia implentur bonis, vt vinum exhilaret, & panis confirmet cor hominis. Et Pſalm. 145. Aperis tu manum tuam, & imples omne viuens benedictione ſeu beneplacito.

V. Quintò, quia in vſu ciborum facilè admittitur vel abuſus vel intemperantia, ne igitur ita edamus, ſicut epulo iſte, Luc. 16. qui poſtea audit, Recepiſti bona tua in vita tua. Vel, ſicut inquit Pſalm. 17. de viris mundi, quorum pars eſt in hac vita, vt venter ipſorum impleatur. Et Ieremiæ 12. ſaginantur vt oues ad diem occiſionis. Ideo additur verbum & oratio, vt iuxta dictum Salomonis, Eccleſiaſt. 4. Edamus in lætitia panem noſtrum, vt Deo placeant illa ipſa etiam opera noſtra. Et ſicut Iob cap. 1. poſt conuiuia filios ſuos ſacrificiis ſanctificabat, ſi quid fortè peccaſſent. Vtq; moneamur in ipſo vſu cibi corporalis cogitandum eſſe, non tantùm vt edamus & ſaturemur, ſed vt operemur etiam cibum qui non pereat, ſed permaneat in vitam æternam, quem Filius hominis nobis dat, Ioh. 6. vel ſicut Luc. 14. dicitur, vt cogitemus etiam de edendo pane in Regno cœlorum.

Sextò, quia in ſaturitate facilè euenit, quòd VI. ſcriptum eſt: ſedit populus edere & bibere, ac ſurrexit ludere. Item: impinguatus & recalcitrauit. Ideo additur oratio & gratiarum actio, vt iuxta quod ſcriptum eſt, Deut. 8. Cùm comederis & ſaturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, ne poſtquam comederis & ſaturatus fueris, eleuetur cor tuum, & obliuiſcaris Domini Dei tui: vel Eſa. 5. Opus Domini non reſpicitis, & opera manuum eius non conſideratis.

Hæc eſt vera benedictio ſeu ſanctificatio ciborum per verbum Dei & orationem, de qua Paulus loquitur, quæ ſine magica prophanatione nominis Diuini, Deo grata, conſcientiis vtilis & ſalutaris eſt. Quodq; inter cetera doctrinæ cœleſtis capita, hoc etiam de vera ciborum ſanctificatione tradendum ſit in Eccleſia, Paulus manifeſtè oſtendit, 1. Tim. 4. Cùm de ſanctificatione ciborum locutus eſt, locum illum ita concludit: de his ſi commonefeceris fratres, bonus eris miniſter Chriſti. Et huiuſmodi benedictionibus mēſæ vetus Eccleſia vſa fuit. Chryſoſtomus aliquoties mentionem facit benedictionis menſæ, quæ *Benedictio menſæ Ægyptiis Monachis vſitata.* vſitata fuerit Monachis per Ægyptum, cuius etiam deſcriptio extat apud Clementem lib. 7. cōſtitutionum. In Horologio vero Græcæ Eccleſiæ integra formula huius benedictionis deſcribitur. Primò, antequam cibi apponantur legitur totus Pſalmus 145. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, &c. Deinde appoſitis cibis recitatur à Sacerdote benedictio menſæ, & quæ appoſita ſunt, ita benedicuntur: Chriſte Deus noſter benedic cibo ac potui ſeruorum tuorum, quoniam tu es ſanctus, & nūc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Poſtea, quando cibum guſtarunt in Menſa, ſurgunt, & ſimul omnes recitant illam benedictionem, cuius & Clemens & Chryſoſtomus mentionem faciunt: Benedictus es Domine Deus, ὁ ἐλεῶν, qui miſereris noſtri, & paſcis nos à iuuente noſtra, qui das eſcam omni carni; reple gaudio & lætitia ſeu hilaritate (εὐφροσύνης) corda noſtra, vt ſemper omnē habentes ſufficientiam (αὐτάρκειαν) ſeu habentes in omnibus animum præſentibus contentum (περισσευόμενοι) exuberemus in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor (κράτος) virtus ſeu imperium, & adoratio, cum ſancto Spiritu, Amen.

Poſt ſumptum cibum, primò recitatur hæc *Gratiarum actio poſt ſumptum cibum.* gratiarum actio: Gloria tibi Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dediſti nobis eſcas ad lætitiam: imple nos etiam Spiritu ſancto, vt inueniamur in conſpectu tuo (εὐάρεστοι) accepti, & nō (αἰσχυνόμενοι) confuſi ſeu pudefacti, quando reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Deinde legitur Pſalmus 122. Lætatus ſum in his qui dicunt mihi, in domum Domini ibimus, &c. Poſtea additur hic verſus: Sicut in medio diſcipulorum tuorum (cœnantium) adfuiſti Saluator, dans ipſis pacem: Ita veni etiam ad nos, & ſalua nos. Tandem

legitur ex Pſalmo 22. Edent pauperes, & ſaturabuntur, laudabunt Dominum, qui quærunt eum, vſque ad finem. Et verſus Kyrie eleeſon, Chriſte eleeſon, Kyrie eleeſon. Concluditur demum hac precatiuncula. Benedictus es Deus qui miſertus noſtri, ex opulentis donis tuis pauiſti nos. Eius gratia & benignitate (φιλανθρωπίᾳ) detur nobis frui & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

*Benedictio menſæ in Eccleſia Latina.*

In Latina Eccleſia fuit forma benedictionis mēſæ fermè ſimilis. Hæc ſcilicet: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore oportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c. Kyrie eleeſon, &c. Pater noſter, &c. Benedic Domine nos & tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi, per CHRISTVM Dominum noſtrum. Menſe cœleſti participes faciat nos rex æternæ gloriæ.

*Gratiarum actio poſt cibum ſumptū.*

Poſt ſumptum cibum: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicent tibi. Gloria Patri, &c. Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro vniuerſis beneficiis tuis, qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Deinde legitur Pſalmus 51. Miſerere mei Deus, &c. Et ſubiiciuntur verſus: Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus eius in ore meo. In Domino gloriabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exultemus nomini eius in idipſum. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſq; in ſecula. Deus det nobis ſuam pacem.

In cœna recitantur hi verſus: Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirūt eum. Viuent corda eorum in ſeculū ſeculi. Memoriā fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.

Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.

Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini in æternum. Gloria, &c.

Et fieri poteſt, cùm vulgus talia exercitia ſanctificandi cibos negligeret, quòd primùm exempli & commonefactionis gratia publicè cœperint in templis formulæ talium benedictionum proponi, ſicut extat Pernarum benedictio. Sanctifica collata nobis hæc dona largitatis tuæ, menteſq; noſtras pariter ſpiritualibus reple deliciis. Item benedictio ouorum: Adueniat Domine benedictionis tuę gratia huic ouorum creaturæ, vt cibus ſalubris fiat tuis fidelibus, cum gratiarum actione ſumentibus, per Chriſtum, &c. Sed poſtea ſubſtitutis aliis, de quibus ſupra dixi, conſecrationibus, abuſus & ſuperſtitiones acceſſerunt.

*Benedictio Pernarum. Ouorum.*

Has formas benedictionum veteris Eccleſiæ ideo hoc loco adſcripſi, vt inde appareat, quo verbo, & quali oratione ipſi cibos ſanctificarint: Et de tali ciborum ſanctificatione monendi eſſent homines, non deducendi vel ad magicas execrationes, de quibus ſupra diximus, vel ad ſuperſtitioſum ciborum delectum, quaſi in eo cultus conſiſtat.

Atque hactenus ex Scripturæ teſtimoniis & exemplis veram doctrinam de ieiunio explicauimus. De prohibitione etiam quorundam ciborum Scripturæ ſententiam oſtendimus: Et quomodo per verbum & orationem cibi verè ſanctificentur, vt cum gratiarum actione ſumantur. De veteris verò Eccleſiæ teſtimoniis & exemplis in ſequentibus quædam annotabimus.

## TESTIMONIA ALIQVOT VETERVM *conſentientia cum doctrina Scripturæ de vero Ieiunio.*

QVando de dogmate aliquo Eccleſiæ cōtrouerſia eſt, & mens ſolicita inquirit, quam ſententiam vt veram, firmam & ſalutarem ſequi, quas verò opiniones effugere debeat: Non ſatisfit conſcientiæ, ſi ex hominum tantùm ſcriptis teſtimonia & exempla proferantur. Fides enim, fundamentum & normam, cui certò ac tutò innitatur, quærit voce ipſius Dei, patefacientis in verbo voluntatem ſuam. Meminit enim ſcriptum eſſe, Non faciatis ſinguli, quid vobis rectum videtur, ſed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino Deo tuo. Deuter. 12. In præceptis patrum veſtrorum nolite ambulare. Ego Dominus Deus veſter, in meis præceptis ambulate, Ezech. 20. Fruſtra me colunt docentes doctrinas & mandata hominum, Matt. 15. Et Coloſ. 2. vbi ex profeſſo de cibis Paulus loquitur, inquit: Quæ ſecundum Præcepta & Doctrinas hominum fiunt, ſpeciem quidem habent ſapientiæ, ſeu in ſuperſtitione. Vnde Cyprianus rectè dixit: Non videndum eſſe, quid aliqui ante nos fecerint, ſed quid ille, qui ante omnes eſt, faciendum mandarit.

*Cyprianus.*

Ideò primùm veram de ieiunio ſententiam ex verbi Dei teſtimoniis, & exemplis proponere volui. Conſtituta verò & ex Scriptura confirmata vera ſententia, poſtea non inutiliter adiungi poſſunt veteris etiā Eccleſiæ conſentientia quædam teſtimonia, quod quo conſilio & fine fieri, & quo iudicio tales Patrum ſententiæ ſeligi debeant, quæ ſcilicet ad normam Scripturæ, quæ ideo canonica vocatur, congruunt, in prima parte huius examinis ipſorum Patrum verbis expoſuimus. De præcipuis igitur capitibus Doctrinæ de ieiunio aliquas Patrum ſententias adſcribemus, quæ cum norma Scripturæ conſentiūt, nec tamē illas omnes hoc loco afferemus, ſed præcipuas tantùm, quæ maximè videbuntur illuſtres. Et poſtea in hiſtoria certaminū de ieiunio multa talia Patrum dicta repetenda erunt. Sequemur autem illum ordinem, ſicut paulò antè Scripturæ ſententiam de ieiunio in certa aliquot capita diſtribuimus. Sicut igitur & ex veteri & ex nouo Teſtamento oſtendimus teſtimonia & exempla ieiunij, eodem modo etiam in primitiua ſeu veteri Eccleſia, ſemper fuerunt ieiuniorum exercitia & priuata & publica.

*Series & capita ſequentium membrorum.*

Nota eſt hiſtoria, quam Euſebius lib. 3. cap. 17. ex Clemente deſcribit, de adoleſcente, Iohannis Apoſtoli diſcipulo, quomodo, cùm ad latrones defeciſſet, à Iohanne rurſus conuerſus fuerit. In eius verò publica pœnitentia Iohannes ſcribitur crebris precibus Deum pro ipſo inuocaſſe, (καὶ συνέχεσι νηστείαις συναγωνιζόμενος) & continuis ieiuniis

*Hiſtoria de adoleſcente Iohannis diſcipulo.*

iuniis vna cum lapſo decertaſſe, & variis Scripturę ſententiis animum ipſius confirmaſſe, &c. Et Hieronymus ſcribit, Iohannem, cum ingreſſurus eſſet ſcriptionem Euangelicę ſuæ hiſtorię, flagitaſſe communes Eccleſiæ preces, ieiunio coniunctas. Ac licet de Apoſtolorum Doctrina & exemplis omnium rectiſſime ex Scriptura ſtatuimus, multa enim ſuppoſititia de Actis Apoſtolorum ſparſa fuiſſe, oſtendimus in prima parte. Hæc tamen exempla ad canonem & analogiã Scripturæ congruunt, quod ſcilicet in publica pœnitentia, & in publicis pro arduo aliquo negocio precibus adhibita fuerint ieiunia.

*Hieronymus de Euangelio Ioannis.*

*Exercitia piorum ieiuniorum poſt Apoſtolorum tempora.*

Poſt Apoſtolorum etiam tempora, exercitia illa ieiuniorũ ſemper in Eccleſia retenta & vſurpata fuerunt. Et de ſuppoſitiis Clementis Romani, Abdiæ, Hermæ, Ignatij & ſimiliũ ſcriptis, nihil hoc loco dicemus, pertinẽt enim ad hiſtoriam certaminum, de doctrina ieiunij, ſed ex vetuſtiſſimis certis Scriptoribus pauca quædam adferemus, pleraq; enim in hiſtoria ieiunij, quã poſtea ſubiiciemus, locum habebunt. Iuſtinus igitur in Apologia 2. ritum baptiſmi ita deſcribit, Docentur ante omnia precibus & ieiuniis, à Deo petere præteritorum peccatorum veniam, nobis vna preces iungentibus. Et Irenæus lib. 2. cap. 57. (quem locum etiam Euſebius tranſcripſit,) vbi donum miraculorum in ſuſcitandis mortuis, ad ſua vſq; tempora in Eccleſia duraſſe ſcribit, in huiuſmodi grauiſſimis ſupplicationibus ieiunia adhibita fuiſſe, dicit his verbis: Multi ex fratribus neceſſaria aliqua cauſa id poſtulãte mortuos ſuſcitarunt, vniuerſa Eccleſia illius loci (αἰτησαμένης μετὰ νηστείας πολλῆς καὶ ἁγνείας) ſupplicante cum ieiunio multo, & caſtimonia, ſeu ſanctimonia. Euſebius etiam lib. 5. cap. 24. ex Irenęi Epiſtola quædam tranſcribit, de publico ieiunio, quod ante Feſtum Paſchatos obſeruatum fuit, quia enim circa illud tempus, ſicut veteres Hiſtoriæ teſtantur, publice pœnitentes recipiebant, & adultos conuerſos baptizabant, adhibuerunt iuxta Scripturæ morem publica ieiunia, quia etiam illo tempore ad ſeriam meditationem paſſionis & reſurrectionis Chriſti, & ad ſolennem communionem ſe præparabant, & in huiumodi actionib. antiquitus vſitata fuiſſe ieiunia Scripturæ exemplis paulo ante oſtẽdimus. Et tamẽ obſeruationes illas ieiuniorum liberas tunc fuiſſe, quoad tempus & cibos, Irenæi illa Epiſtola & alia vetuſtatis teſtimonia, de quibus poſtea in hiſtoria ieiunij dicemus, oſtendunt. Tertullianus in libro de ieiunio ſcribit: Epiſcopum ſolicitudinis alicuius Eccleſiaſticæ cauſa ſolitum vniuerſæ plebi ieiunia indicere. Et in publicis ſolennioribus precibus, quas ſtationes vocabant, adhibita tunc fuiſſe ieiunia, in lib. de oratione & ieiunio oſtendit. In lib. de pœnitentia deſcribens publicam exomologeſin, inquit, Ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari & mugire dies noctesq; ad Dominũ. Cyprianus in Sermone de ieiunio, dicit: Sanctos olim res magnas geſturos & oraturos ieiuniis ſe præparaſe. Et ne opus ſit ſingulorum aliquot dicta recenſere, extant integri tractatus Baſilij, Chryſoſtomi, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, &c. de ieiunio: extant & exempla veteris Eccleſiæ omnium temporum, de quibus in hiſtoria ieiunij quædam annotabimus.

*Apud Iuſtinũ in Baptiſmo.*

*Apud Irenæũ in grauiſſimis ſupplicationibus.*

*Ieiunium ante Paſcha.*

*Tertullianus*

*Cyprianus.*

Oſtenderunt autem veteres, doctrinam & exercitia veri ieiunij habere teſtimonia & exempla Scripturæ, ſicut Auguſtinus inquit Epiſtola 86. Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; inſtrumento, quod vocatur Teſtamentum nouum, animo reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium. Et teſtimonia illa Scripturæ ferme omnia colligit Hieronymus, lib. 2. aduerſus Iouinianum.

Addendum vero & hoc eſt, quod veteres quidam, dum Encomia ieiunij nimis rhetorice amplificare voluerũt, alia etiam teſtimonia ex Scriptura, quę de ieiunio vſitato proprie nõ loquuntur, huc detorſerunt, quæ catachreſes nõ pauca incommoda huic doctrinæ attulerunt. Ex Tertulliano enim iam montanizante, pleriq; vt Baſilius, Chryſoſtomus, & Hieronymus hoc arripuerunt, Adamo indictũ fuiſſe ieiunium in Paradiſo, cum Deus prohiberet, ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederet. Addiderunt & ante diluuium pręceptũ fuiſſe ieiunium, ſcilicet quia carnium eſus non erat conceſſus. Ita dicunt ſub lege à quibuſdam cibis immundis indictum fuiſſe ieiunium; Sed abſtinere à cibis, quos Deus tunc vel non conceſſerat vel prohibuerat, proprie non erat ieiunium. Neq; enim Iudęi, quando ex mandato Dei carne ſuilla abſtinebant, & interea prandentes & cœnantes aliis cibis veſcebantur, ieiunare dicebantur. Ieiunare enim eſt à cibis licitis & conceſſis per diem abſtinere, ſicut ſupra ex Scriptura monſtrauimus. Et ſi definitio ieiunij inde ſumenda eſſet, quod Adamo vnius arboris vſus interdictus fuit. Item quod ante diluuium cibus carniũ non fuit conceſſus, quodq; ſub Moſe quorundam ciborum eſus prohibitus fuit, tunc in nouo Teſtamento, vbi ſine exceptione & prohibitione indifferenter omnium ciborum vſus vt licitus conceſſus eſt, nullum poſſet eſſe ieiunium.

*Peregrina teſtimonia detorta ſunt ad doctrinam ieiunij, & totã doctrinã peruerterunt.*

*Refutatio ex definitione ieiunij.*

*Ex abſurdo.*

Et quanquam ſimiles catachreſes teſtimoniorum, quæ impertinentia in Scholis vocãtur, Patribus non raro concedendæ ſunt, ex hac tamen catachreſi prohibitiones quorundam ciborum contra Scripturam ſub prætextu ieiunij poſtea exortæ ſunt, extructæ etiam inde ſuperſtitioſæ opiniones, de meritis ieiunij, vt quod dicũt. Sicut Adam non ſeruans ieiunium à fructu arboris vetitæ Paradiſo eiectus eſt, ita nos per ieiunium rurſus reſtitui in Paradiſum.

*Incommoda nata in doctrina de ieiunio ex teſtimoniis impertinentibus.*

*Prohibitiones ciborum.*

*Opinio meriti.*

Simili catachreſi omnes ferme ad ieiunandũ exhortantur Eccleſiam inde, quia Moſes, Helias & Chriſtus, per quadraginta dies & noctes ſine aliquo cibo vſu ieiunij perſeuerarũt. Cum ieiunia illa ſint miraculoſa, quæ imitari nos nõ poſſumus, nec etiam ad imitandum nobis ſint propoſita, ſicut Chryſoſtomus inquit, cumq; in ſcripturis alia ieiuniorum exempla extent, quæ imitari & poſſumus & iubemur. Hieronymus inde etiam ieiunium probare conatur, quod populus Iſrael, cum in deſerto tantum Manna paſceretur deſiderio carnium, piſcium, peponum, &c. in Ægypto, contra Dominũ murmurauit. Num. 11. Pſal. 78. Sed aliud eſt cibo deſiderato carere, quod neceſſitatis eſt, aliud eſt cibo licito & præſenti voluntarie abſtinere, quod proprium eſt ieiunij.

*Exempla miraculoſorum ieiuniorum.*

*Chryſoſtomus*

*Hieronymi teſtimonium peregrinum.*

Ex tali teſtimoniorum Scripturæ catachreſi progreſſum poſtea eſt, quod ex Patrum quorun-

dam exemplis & cõſuetudinibus extra Scripturam, leges ieiuniorum, & de tempore, & de prohibitione quorundam ciborum fieri cœperunt, ſicut in hiſtoria ieiunij oſtendemus.

Rectiſſima igitur & tutiſſima via eſt, vt, ſicut in aliis dogmatibus, ita etiam in Doctrina de ieiunio, ex ſola Scriptura inquiramus fundamenta, & ea ſumamus non ex peregrinis locis, ſed ex perſpicuis Scripturæ teſtimoniis, quæ proprie loquuntur de vero ieiunio. Non enim animo traducendi, ſed hoc conſilio quaſdam veterum catachreſes annotaui, vt ſit cõmonefactio, quantum incommodi ipſi doctrinæ afferat, ſi fundamenta non ex perſpicuis Scripturę locis, in quibus dogmata proprie ſedem ſuam habent, petantur, ſed impropria, aliena ſeu peregrina teſtimonia cumulentur & vrgeantur.

*Definitiones ieiunij quib. Patres commode ſunt vſi. Auguſtinus.*

Porro definitionem etiam ieiunij veteres eodem modo circũſcripſerunt, ſicut ſupra ex Scriptura oſtendimus, vt Auguſtin. quæſt. Euangel. lib. 2. cap. 18. Scriptura docet, generale ieiunium non à concupiſcentia ciborum tantum, ſed ab omni lætitia temporalium delectationũ.

*Chryſoſtomus*

Chryſoſtomus Hom. 1. in Geneſin, Velim vos valedicere deliciis & voracitati, ac ſuſcipere ieiunium.

*Baſilius.*

Baſilius Homil. 1. de ieiunio, Caue ne ieiunij vtilitatem ſola eſcarum abſtinentia metiaris. Verũ enim ieiuniũ eſt, ab omnibus vitiis eſſe alienum, expectas veſperam, vt cibum capias, ſed diem totum abſumis apud tribunalia. Idem Baſilius in definitionibus latioribus, cap. 19. ἐγκράτειαν (continentiam) dicimus, non omnimodam & perpetuam à cibis abſtinentiam, (hęc enim violenta eſſet vitæ diſſolutio) ἀλλὰ τὴν ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ φρονήματος σαρκὸς, πρὸς τὸν τῆς εὐσεβείας σκοπὸν ἐπιτηδευμένην ἀποχὴν τῶν ἡδέων, ſed abſtinentiam à lautitiis ſeu delitiis inſtitutam, & vſurpatam ad demoliendum ſenſum & ferocitatem carnis, eo fine, vt pietatis ſtudiũ eo expeditius excoli poſſit. Et addit, ideo continentiam abſtinere non tantum à ciborum voluptatibus, verumetiam ab omnibus, quæ huic fini impedimento ſunt. Et cap. 18. dicit, continentiam ita colendam, ne incidamus in illorum errorem, qui iubent abſtinere à cibis, 1. Tim. 4. Ideo pro ratione temporis contenti quibuſuis cibis, vt oſtendamus omnia munda eſſe mundis. Et in illis nihilominus ſeruari poſſe continentię ſcopum, vt ſcilicet ex iis non exquiſita, ſed quæ ad vitam neceſſaria ſunt, frugaliter ſumamus, & noxiam repletionem fugiamus, cap. 19. dicit: vſum, modum, & demenſum in cibis differre pro ratione ætatis, ſtudiorum, exercitiorũ, & diſpoſitionis corporum, vt impoſſibile ſit, ἑνὶ κανόνι πάντας περιλαμβάνεσθαι, vna ſimili vel æquali regula omnes complecti. In definitionibus breuioribus dicit, νηστείας καιρὸς οὐ τὸ θέλημα ἑκάστου, ἀλλ' ἡ χρεία, tempus ieiunandi, non eſt voluntas cuiuſque, ſed neceſſitas: quando illi, qui ad cultum Dei tendunt, ieiunio opus habent, ſicut acta Apoſtolorum teſtantur.

*Leo.*

Leo Sermo. 8. de ieiunio ſeptimi Menſis, ſubigendo corpori caſtigatio adhibenda eſt ieiunij.

Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem refertur, quando voluntate cibus non ſumitur. Idem Sermone ſexto, de ieiunio Pentecoſtes, Ieiunium impleatur non ciborum parcitate tantummodo, ſed & potionis maxime vinorum.

*Athanaſius.*

Athanaſius in vita diui Antonii, Edebat ſemel in die poſt Solis occaſum.

*Auguſtinus.*

Auguſtinus Epiſtol. 86. Prandere & ieiunare. Item: Prandentes & ieiunantes aliquoties inter ſe opponit: ieiunantes enim prandio abſtinebant, & ad veſperam primum in cœna cibum ſumebant, quando vero nõ ieiunabant, tunc prandebant.

*Epiphanius.*

Item: Epiphanius dicit in compendiaria Doctrina, Ieiunium ſeruari vſque ad horam nonam, hoc eſt, circa veſperam.

*Auguſtinus.*

Auguſtinus de moribus eccleſiæ catholicæ, ca. 33. Ieiunia prorſus incredibilia multos exercere didici, nõ quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaquam vſitatiſſimum, ſed continuũ triduum, vel amplius ſæpiſſime ſine cibo ac potu ducere. Idem: Sermone in die Calendarum Ianuarij. Gentiles inebriantur, vos ieiunate, aut ſi ieiunare non poteſtis, ſaltem cum ſobrietate prandete.

Et Epiſtola 86. Aliud eſt corda grauare crapula & ebrietate, quod ſemper eſt malum. Aliud eſt modeſtia & temperantia cuſtodita relaxare ieiunium.

*Hieronymus.*

Hieron. ad Euſtachium, à Pentecoſte quando non ieiunatur, cœnæ mutantur in prandia.

## QVOMODO VETERES DOCTRInam de cauſa finali ieiunij Scriptura conſentaneam tradiderint.

*Teſtimonia Patrum de veris finibus ieiunij.*

SVpra oſtendimus ex Scriptura, ieiunium per ſe ex opere operato, non eſſe virtutẽ, niſi ad certum & pium finem in Scriptura pręmonſtratum referatur. Idem & Patres docent, vrgent & veros ieiunij fines, aliquando verbis propriis, aliquando ſuis quibuſdam phraſibus explicant.

*Chryſoſtomus*

Chryſoſtomus in Matthęum Homil. 47. Non dicit ieiunium ſuum imitandum, quamuis quadraginta dies illos poſſet proponere, ſed diſcite à me, quoniam mitis ſum & humilis corde. Hæc dixi, non quod ieiunium mihi nõ placeat, quod magnis ſoleo efferre laudibus, ſed quia doleo, ſi cæteris neglectis, ſatis ad ſalutem nobis ieiuniũ exiſtimemus, quod in choro virtutum certe extremum ſortitur locum. Idem in Homilia de ieiunio ad populum Antiochenum, Niniuitas nõ ieiunium periculo eripuit, ſed vitę mutatio Deũ placatum reddidit. Hæc dixi, non vt ieiunium contemnamus, ſed vt ieiunium honoremus. Honor enim ieiunij non eſt ciborum abſtinentia, ſed peccatorum fuga. Itaque ciborum abſtinentia tantum ieiunium definiens, hic eſt, qui maxime ipſum vituperat. Idem in Geneſi Homilia ſecunda, Ieiunium dico abſtinentiam à vitiis, etenim abſtinentia à cibis propter hoc recepta eſt, vt petulãtiam carnis refrænet, & equum moderanti facile parere faciat. Ieiunantem igitur ante omnia oportet iam refrænare, manſuetudinem addiſcere, habere cor contritum, abſurdas concupiſcentias repellere, tribunal iudicis ante oculos proponere, dare Eleemoſynas, nullum malum aduerſus proximum in cor admittere.

Hoc eſt verum ieiunium, ſicut & Iſaias ex perſona Dei loquens, dicit, &c. Hoc nobis curæ ſit,

& non

&non vt pleriq; exiſtimemus, definiri in hoc ieiunium, ſi ad veſperã vſq; impranſi maneamus. In eandem ſententiam & Bernhardus inquit, Serm.3. de quadrageſima, Si gula ſola peccauit, ſola quoq; ieiunet & ſufficit, Si vero peccauerũt & cætera membra, cur nõ ieiunent & ipſa? Ieiunet ergo oculus, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipſa. Et Chryſoſtomus Homil.3. in Geneſin inquit: Mentem ita compeſcamus, ne quid nociuũ vel concipiat, vel effundat, ne exiſtimemus inediam ad veſperam vſq; ad ſalutem nobis ſufficere. Nam notum eſt, quid peruerſis Iudæis dicat Dominus, Zach. 7. Ibidem Homilia 9. cum quidam, qui ieiunia ferre non poterant, non auderent ad cõcionem venire tempore ieiunij, proponit illis Doctrinam de temperantia, & addit, non ſimpliciter exigi ieiunium, ſed vt ſpiritualibus eo rectius vacare poſſimus. Ac concludit, ſi quis ieiunare nõ poteſt, ſciat eum, qui manducat, Domino manducare. Ita in Homilia de ieiunio inquit: Si ieiunare non potes, potes tamẽ abſtinere à delicijs, hoc autem nõ minimum eſt, nec à ieiunio multum diſtans, ſed ipſum quoq; Diaboli furorem proſternere idoneum. Et in Geneſin Homilia 10. Qui cibum accipit, & ieiunare non valet, largiorem det Eleemoſynam, feruentior ſit in precibus, maiorem habeat alacritatem in audiendis Dominicis eloquijs: qui hæc fecerit, verum ieiunabit ieiunium, quod à nobis expoſcit Dominus. Et Homilia 15. Declinemus à malo, & virtuti ſtudeamus, hoc etenim verum eſt ieiunium. Idem Homil.3. ad Antiochenos: Ieiunium dico non hoc vulgare, ſed accuratum ieiunium, non tantum ciborum abſtinentiam, ſed & peccatorum. Non enim ieiunij natura peccata eripere ſufficit, niſi congrua cum lege fiat. Nam Phariſæus ieiunauit, ſed poſt ieiunium deſcendit inanis, Publicanus non ieiunauit, & Phariſæum ieiunantem præceſſit nõ ieiunans: Vt diſcas quod ieiunij vtilitas nulla ſit, niſi & reliqua, quæ puri cordis ſunt, cõſequantur. Auguſtin. in Ioannem Tract.17. Ieiunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſeculi, quod eſt perfectum ieiuniũ, vt abnegantes impietatem, & ſeculares cupiditates, temperanter, iuſte & pie viuamus in hoc ſeculo. Idem contra Fauſtum lib.30. cap.5. Chriſtiani edomãdi corporis cauſa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non ſolum à carnibus, verum à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent.

*Bernhardus.* *Chryſoſtomus* *Auguſtinus.*

Et in Tractatu de vtilitate ieiunij vtitur hac venuſta ſimilitudine: Si equo vtereris, qui geſtiendo te poſſet præcipitare, nõne, vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt, via mea Chriſtus plerunque rapit me, & de via conatur excludere. Ita exultantem certe cohibebo ieiunio, &c.

*Similitudo Auguſtini.*

Cyrillus in Leuiticum Hom.10. Vis tibi oſtendam quale te oporteat ieiunare ieiunium, ieiuna ab omni peccato, nullũ cibum ſumas malitię, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concaleſcas, ieiuna à malis artibus, abſtine à malis ſermonibus, contine te à cogitationibus peſſimis. Tale ieiunium Deo placet, Abſtinere vero à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarũ actione, & hoc facere cum his, qui Dominum crucifixerunt, acceptum eſſe nõ poteſt Deo. Illi ieiunent, qui perdiderunt ſpõſum, Nos habentes nobiſcum ſponſum ieiunare non poſſumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, vt abſtinentiæ Chriſtianæ fræna laxemus. Habemus enim quadrageſimæ dies ieiunijs conſecratos, habemus quartam & ſextam hebdomadæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Eſt certe libertas Chriſtiana per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiæ ſuperſtitione, ſed virtute continentię. Nam quomodo apud eos caſtitas incorrupta ſeruabitur, niſi arctioribus cõtinentię fulta pręſidijs? Quomodo Scripturis operam dabunt, quomodo ſcientię & ſapientiæ ſtudebunt? nonne per continentiam ventris & gulæ? quomodo quis ſeipſum caſtrat propter Regnum cœlorũ, niſi ciborum affluentiam reſeret, niſi abſtinentia vtatur miniſtra?

*Cyrillus.*

Hæc igitur Chriſtianis ieiunandi ratio eſt, ſed eſt & alia adhuc religioſa ieiunatio, inuenimus enim in quodam libello ab Apoſtolis dictum, Beatus eſt, qui ieiunat pro eo, vt alat pauperem.

Cyprianus de ieiunio & tentationibus Chriſti: Ieiunijs vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates, ieiunium ſi diſcretione rogatur omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ exarmat. Ieiunium Scripturarum delicijs paſcitur, contemplatione reficitur, gratia ſtabilitur. Quotquot vires virtutum vidimus ſine ieiunio non legimus conſcendiſſe, quoties aliquid à Deo obtinere conati ſunt, ieiunijs incubuere pernoctantes in orationibus, &c.

*Cyprianus.*

Sed priuſquam pergamus, præmittenda eſt hæc commonefactio (cum ieiunium ad mortificationem carnis, ad exercitia pœnitentię & orationis, tanquam ad veros ſuos fines referri & ordinari debeat, eo modo, ſicut ſupra ex Scriptura oſtendimus) quod Patres ea, quæ vel pœnitentiæ vel orationis fidei propria ſunt, ſæpius ieiunio, vt cauſæ remotiori, Rhetorica amplificatione tribuant. Exiſtimarunt enim ſe huiuſmodi Rhetoricis aggregationib. efficacius poſſe homines ad ſuſcipienda & exercenda ieiunia permouere, ſicut Chryſoſtomus fatetur in libro de cõpunctione cordis quædam cohortatorie magis quã vere dici, ſed inde poſtea ipſi operi operato ieiunij, aſſuta eſt opinio meriti, propiciationis, &c. Tales veterũ figuras libenter & merito iuxta analogiam Scripturæ interpretamur, vt talia vel pœnitentię vel orationi fidei, quibus ieiunium eo, quo ſupra dictum eſt, modo ſubſeruit, tribuantur, ſicut ipſi Patres in illis ſuis, quæ iam annotauimus, dictis huiuſmodi interpretationem oſtendunt & præbent. Sed Pontificij rigide vrgent, vt talia ipſi operi ieiunij tanquam merita tribuãtur, quæ vel ſolius Chriſti, vel pœnitentiæ, vel fidei propria ſunt, quod cum ſalua fidei analogia facere non poſſimus, neganda & reijcienda ſępius nobis ſunt talia veterum dicta, quando non admittitur interpretatio Scripturę conſentanea. Simul tamen etiam negari non poteſt, Patres in rhetoricis illis ieiunij encomijs ſæpe longius prouectos ab analogia fidei & norma Scripturæ non parum diſceſſiſſe. Non abſque cauſa igitur Paulus monet, & res ipſas, ſicut in verbo Dei traditæ ſunt, conſeruandas, &

*Patrum incommodiores de ieiunio locutiones.*

formam

formam etiam ſanorum verborum, ſicut in ſcripturis præformata eſt, retinendã & ſequendam, diſceſſio enim licet commoda interpretatione recte exponi poſſit, non tamen caret periculo, & tandem corruptelas ipſius doctrinæ poſt ſe trahit. Talia igitur veterum dicta quædam, quibus Pontificij abuti ſolent, paucis adſcribemus.

*Baſilius.*

Baſilius Homil. 1. de laudibus ieiunij: Sicut pharmaca vermes in inteſtinis germinantes excutiunt: ita ieiunium in intimis receſſibus habitans peccatum extinguit, in morbum incidimus per peccatum, ſanamur per pœnitentiam, ſed pœnitentia ſine ieiunio ocioſa eſt. Atq; vt ſemel dicã, reperies quotquot fuere ſancti omnes, per ieiuniũ ad vitam Deo dignam fuiſſe inſtitutos. Ieiunium preces noſtras ſubuehit in cœlum, dum illis alarum via fit, quibus in cœlũ ferantur. Adde quod non ſolum ad venturi ſeculi mala fugienda & aſſequenda bona vtile eſt ieiunium, ſed & huic ipſi carni cõducibilius eſt. Si cupis carnem reddere validam, fac carnẽ domes ieiunio, hoc enim eſt quod Apoſtolus ait, quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur, ieiunium eſt armatura ad confligẽdum cum diabolo. Nam hoc genus non eiicitur, niſi per precationem & ieiunium, &c.

*Interpretatio Baſilij iuxta analogiam fidei.*

Hæc ſi tribuantur non operi operato ieiunij, ſed pœnitẽtiæ & orationi fidei, quibus quomodo & quatenus ieiuniũ ſubſeruiat, ſupra ex Scriptura dictum eſt, recte intelligi poſſunt, ſed tamen non phraſi Scripturæ, ſed nimis rhetorice dicuntur. Et ipſe Baſilius poſt declamatoria illa encomia, addit ἐπανόρθωσιν quandã, Sed caue, inquit, ne ieiunium ſola eſcarum abſtinentia metiaris. Verum enim ieiuniũ eſt ab omnibus vitiis eſſe alienum, Iſaiæ 58. Carnes non edis, ſed comedis fratrem tuũ, vino abſtines, ſed ab iniuriis tibi non temperas. Væ his qui ebrij ſunt, non vino, eſt enim & mentis temulentia. Et Homil. 2. cum multis rhetoricatus fuiſſet, tandem inquit, Attamen ad hoc vt laudem promereatur ieiunium, non eſt per ſe ſatis temperare à cibis, ſed ieiunium ieiunemus acceptabile Deo. A vitiis enim abſtinere verum eſt ieiuniũ. Quod vero idem Baſilius Hom. 1. dicit: Quoniam Adam nõ ieiunauit à fructu prohibito, exulamus è Paradiſo, Ieiunemus igitur vt ad illum poſtliminio reuertamur. Item: iuſſus es non indulgere delitiis, per ieiunium ergo ſatisfacito Deo. Hæc poſſent ita ad analogiam fidei intelligi, ſi agamus pœnitentiam & fide propter Chriſtum petamus remiſſionẽ peccatorum, tũc aperiri nobis portas Paradiſi. Et ſupra dictum eſt ieiunium ſubſeruire pœnitentiæ & orationi fidei. Sed tamen non eſt Hypotypoſis ſanorum verborum in libris canonicis pręformata. Solus enim Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecit, & ipſe ſolus eſt via in Paradiſum, quem cum latro pœnitẽs vera fide inuocabat, audiuit, Hodie mecum eris in Paradiſo. Et quando contra hanc fidei analogiam Pontificij talia veterum dicta vrgent, cogimur ſalua reuerentia, quę tam magnis viris debetur, illa reiicere, vt fundamentum ſalutis ſaluum retineamus.

Et obſeruetur quod Ieſuitæ citantes hanc Baſilij ſententiam, in margine notant (ieiunium eſt ſatisfactio pro peccatis) quia ſcilicet interpres vſus fuit verbo Satisfaciendi, ſed Baſilius dicit, per ieiunium ἀπολογεῖσθαι Deo. Significat autem hoc loco ἀπολογεῖσθαι non excuſare vel defendere peccatum, ſed reatum agnoſcere, & culpam deprecari, quod fit in vero ieiunio. Nequaquam autem in Gręca lingua ἀπολογεῖσθαι ſignificat ita ſatisfacere, ſicut Pontificij intelligunt, compenſationem æquiualentẽ pro offenſa perſoluere.

*Chryſoſtomus.*

Chryſoſtomus Hom. 1. in Geneſin, Deus cupiens ea quæ peccauimus nos abluere, hanc nobis, quę per ieiunium fit curationem adinuenit. Intelligit autem ſeriam pœnitentiam, quæ fit adiuncto ieiunio, ſicut ſupra oſtendimus. Et ad ea, quæ ex Scriptura ſupra adduximus, congruunt ea quæ Chryſoſtomus ibi ſubiungit, ieiunium animam habiliorem efficit & valentiorem, leues ei pennas producit, vt in ſublime feratur, & ſumma contemplari queat. Item: ſicut crapula innumerorum malorum cauſa eſt, ita ieiunium omnium nobis bonorum ſemper cauſa fuit.

Idem Serm. 1. de ieiunio, Propitiationis tempus adeſt, abiiciendorum peccatorum tempus eſt, ieiunemus à cibis, ſed primũ à peccatis. Hîc ipſe ſe explicat, quando enim volumus peccata deponere, & cum Deo reconciliari, neceſſe eſt, vt agamus pœnitentiam, & fide propter Chriſtũ petamus reconciliationem. Pœnitentiæ vero & orationi fidei, quomodo ieiuniũ ſubordinetur, ſupra expoſuimus In eandem ſententiam in eodem Sermone dicit: Ieiuna, quia peccaſti, ieiuna vt non pecces, ieiuna vt accipias, ieiuna vt permaneant quæ accepiſti. Quod vero ibidem ſcribit, Deus dixit, ſubuertetur Niniue, illa adhibuerunt ieiunium & effugerunt. Hoc ipſe explicat in ſententia paulo ante citata, Niniue ciuitas nõ ieiunium, ſed pœnitentia periculo eripuit. Et quod poſtea ſubiungit, ieiunemus nos ipſos curantes, & operam dantes, vt paſſionum Chriſti participes ſimus.

*Ieſuitarum blaſphema de ieiunio ſententia.*

Hoc Ieſuitæ ita peruertunt, quaſi opere ieiunij applicetur nobis meritũ paſſionis Chriſti. Sed quia fide in vera pœnitentia, cui ieiunium ſubſeruit, fit illa applicatio, ideo Chryſoſtomus ita locutus eſt. Item: quia ieiuniũ pars eſt mortificationis carnis qua conformes efficimur Chriſto. Quod vero Ieſuitæ Patres ita interpretãtur, quaſi nulla poſſet eſſe vera pœnitentia, nulla oratio fidei, impetrãs gratiam Dei, ſine externo ceremoniali ieiunio, & Scriptura negat, ſicut ſupra oſtendimus, & Chryſoſtomus ipſe dicit, Phariſæum ieiunantem, Publicanus non ieiunans præceſſit.

*Epiphanij locus ex compendio doctrinæ, à Ieſuitis deprauatus.*

Ieſuitæ citant ex Epiphanio de compendiaria doctrina hanc ſententiam, Ieiunamus nõ vt beneficium aliquod ei, qui pro nobis paſſus eſt, exhibeamus, ſed vt Domini paſſionem, quam pro nobis ipſe ſuſcepit, ad ſalutem noſtram cõfiteamur, & vt pro peccatis noſtris ieiunia nobis apud Deum ſupputentur. Atque inde extruunt hoc dogma, ieiunia tanquam perſolutiones, ſatisfactiones, expiationes, pro peccatis noſtris apud Deum ſupputari.

*Refutatio.*

Sed ſi ieiuniis noſtris poſſemus debita noſtra coram iudicio Dei perſoluere, Chriſtus fruſtra mortuus eſſet. Aut enim Chriſti paſſio pro peccatis noſtris nõ ſatisfeciſſet, aut nõ totum noſtrũ debitum perſoluiſſet, quorum vtrumq; falſum & blaſphemum eſt. Et Epiphanius ipſe dicit, Ideo illis diebus, quando memoria paſſionis Chriſti celebratur, ieiunare, vt ſit confeſſio, Chriſtum ipſum paſſionem

pro ſalute noſtra ſuſcepiſſe. Ergo nequaquam hoc ſenſit Epiphanius, quod Ieſuitæ inde extruunt, ſed verba hæc ſunt: ὅπως ὑπὲρ τῶν ἡμῶν ἁμαρτιῶν αἱ νηστεῖαι ἡμῖν εὐλόγιστοι Θεῷ γένωνται, vt pro peccatis ieiunia nobis fiant grata & accepta Deo. Et vocat ieiunia pro peccatis, ſicut Syrach cap. 34. In pœnitentia enim oſtendentes luctum propter peccata adhibebant ieiunia. Hanc interpretationem analogam fidei ſi Ieſuitę noluerunt admittere, nos ab Epiphanio potius, quam à Chriſto, qui eſt λύτρον pro peccatis noſtris, diſcemus.

*Ambroſius.*

Ambroſius de Helia & ieiunio, c.3. Ieiunium eſt refectio animæ, cibus mentis, vita angelorū, culpæ mors, excidium delictorū, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis. Quę de pœnitentia & oratione fidei, ad quæ ieiuniū, vt ſupra dictum eſt, referri debet, recte intelliguntur. Sicut ipſe Ambroſius cap.3. explicationem addit, ieiunium eſt velamē, quod tegit culpam, quomodo vero? Tegit, inquit, abſtinentia, tegit gratia, gratia tegit dum remittit, & omnem abolet errorem. Tegit abſtinentia, dum vitium pœnitendo & mœſto affectu abluit & abſcondit. Hæc iuxta analogiam fidei recte hoc modo interpretātur, ſed ab illa analogia longius recedit, & durius profecto dictum eſt, quod Ambroſius ibidem ſcribit, c.9. Ieiunium eſt reconciliationis ſacrificium. Et cap.10. Menſa regni cœlorum ieiunio comparatur, famis acquiritur precio. Ad menſam illam ieiunia nos perducunt, hac fame illa, quæ ſunt æterna, mereamur, &c. Precium quo acquiſitum eſt regnum Dei, non eſt fames noſtra ſeu ieiuniū, ſed ſanguis immaculati agni Dei, 1.Pet.1. Et quę Sacramenta reconciliationis Chriſtus inſtituerit, ex Euangelio notū eſt. Ipſe etiam Ambroſius mitigationem quandam cogitur addere, quod de pœnitentia hæc velit intelligi, ſubiungit enim, Non autem omnis fames acceptabile ieiunium facit, ſed fames, quæ Dei timore ſuſcipitur, ieiunium enim culpę interfector eſt.

*Ieiunium reconciliationis ſacrificium.*

*Ieiunium meritum.*

Idem Ambroſius Epiſtola 82. ad Vercellenſes vſitata tunc phraſi ieiunium vocat meritum, hoc eſt, bonum opus, cuius aliqua ſpiritualis eſt vtilitas. Audio, inquit, Iouinianiſtas dicere, nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullum frugalitatis, delirare eos, qui caſtigent carnem ſuam, vt menti ſubditam faciant. Quod nunquam feciſſet, nunquam ſcripſiſſet Paulus, ſi deliramētum putaſſet, gloriatur enim, dicens: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne aliis prædicās ipſe reprobus inueniar. Quod vero ibidē addit, Quæ nobis ſalus eſſe poteſt, niſi ieiunio eluerimus peccata noſtra. Idque conatur probare ex Tobiæ c.4. & 12. Ieiunium & Eleemoſyna à peccato liberant. Primum textus Tobiæ de ieiunio hoc non habet. Deinde liberatio à peccato, redemptio ſeu remiſſio, non eſt à Chriſto ad noſtrum ieiunium transferenda. Sed de pœnitentia & oratione fidei, quibus ieiunium ſubſeruit, intelligi hęc poſſunt, ſicut Tobias cap.12. inquit: Bona eſt oratio cum ieiunio. Nec tamen canonica Scriptura ita vel docet vel loquitur, Ieiuniū liberare nos à peccato.

*Incommoda veterū dicta à poſterioribꝰ latius expoſita, maiores pepererunt errores.*

Illas veterum figuras poſteri latius extenderunt, & ipſi operi operato ieiunij omnia ea tribuerunt, quæ Chriſti merita ſunt, & fide accipiuntur. Ita Leo, Serm.4. de ieiunio ſeptimi menſis inquit, Quarta & ſexta feria ieiunemus, ſabbato vero apud beatiſſimum Petrum Apoſtolū vigilias celebremus, ſperantes nos ita eius orationibus adiuuandos, vt Deus miſericordiarum, ieiunij noſtri ſacrificio placatus exaudiat. Et Sermone 8. conuenientibus in vnum propoſitum tribus ſtudiis, oratione ſcilicet, eleemoſyna & ieiunio, præſtabitur nobis à Deo & cohibitio cupiditatum & exauditio precum, & remiſſio peccatorum per Chriſtum.

*Leo.*

Sermone 9. Peccatum quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiuniis & eleemoſynis deletur. Item, vt miſericordi Deo ieiunio noſtro & deuotione placeamus. Item de ieiunio decimi menſis, Sermone 4. Curandis lęſionibus, quas ſæpe incidunt, qui cum inuiſibili hoſte confligunt, trium maxime remediorū adhibenda eſt medicina, in orationis inſtantia, in caſtigatione ieiunij, in eleemoſynę largitate, quę cum pariter exercētur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentatio eliditur. Sermone 5. Velociter ad diuinas conſcendit auras oratio eleuata ſuffragiis ieiunij & eleemoſynæ. Idem de quadrageſima Sermone 1. dicit, Ieiunio obtineri propitiationem. Sermone 4. In quadrageſima aliorū temporum culpas & pia opera redimunt & ieiunia caſta decoquunt, &c. Quæ certe ita ſicut ſonant ſine contumelia Chriſti, & exinanitione fidei accipi nec poſſunt nec debent, ſub nomine etiam & titulo veterum, tales opiniones in ſcriptis non genuinis ſparſæ ſunt, vt ſub Ambroſij nomine, Sermone 47. de quadrageſima, ieiunemus continue & deuote hoc ſpatio temporis, vt propitietur nobis Dominus, pateant nobis cœli, & inferna contra nos non valeant. Sermone 58. Sicut Moſes & Helias quadragenarium numerum ieiunij obſeruando gratiam meruerunt, ita & nos hoc ipſum tempus cuſtodiendo mereamur. Sermone 40. dicit, Quemq; pro ſalute ſua debere ieiunare.

*Impiæ opiniones de ieiunio ſub nominib. veterū ſparſæ in ſcriptis ſuppoſititiis.*

*Sub nomine Ambroſii.*

Sicut Sermone 34. dicit, Pro peccatis ieiunādum eſſe. Ita ſub Auguſtini nomine, Sermone 60. de tempore dicitur, Pro peccatorum indulgentia, & pro miſericordia diuina ieiunemus. Sermone 65. Eiecit nos de Paradiſo cibus, reducat ieiunium. Sermone 69. Ieiunium vocatur redemptio ſalutis & remedium peccatorum. Item quadrageſimæ ieiuniis quæuis iniquitas peccatorum exorari poteſt, & quantauis iudicis ſeueritas mitigari. Sed Sermones illos non eſſe vel Ambroſij, vel Auguſtini, Eraſmus liquido oſtendit.

*Sub nomine Auguſtini.*

Inde vero poſteriores arripuerunt occaſionē affingendi ieiunio varias, partim ſuperſtitioſas, partim impias opiniones. Vt Bernhardus Sermone 66. in cantica inquit, Ego interdum abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccatis. Et ſermone 4. de quadrageſima, Pro eo quod ipſis quoq; licitis abſtinemus, ea nobis quę prius commiſimus illicita condonantur. Bonum ergo & ſalutare ieiunium, quo redimūtur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Nec ſolum obtinet veniam, ſed & promeretur gratiam, ieiunium, &c. Et ex huiuſmodi inclinationibus extructa tandem eſt pontificiæ Eccleſiæ doctrina de ieiunio, de qua in ſequentibus dicemus.

*Poſteriorum error natus ex ſcriptis ſuppoſititiis. Bernhardus.*

Has

*Qua de cauſa teſtimonia hac Patrum huc collecta ſunt.*

Has pauculas vero Patrum ſententias hoc loco adſcripſi, non vt viros illos eruditione & pietate præſtantes, & de Eccleſia optime meritos ſugillarem, ſed quia diſſimiles apud ipſos hac de re extant ſententiæ, vt oſtenderem illa, quæ ad normam Scripturæ & analogiã fidei congruũt, diſcernenda eſſe ab aliis, quæ minus commode dicta veteribus exciderunt. Et vt conſideretur quando Rhetoricis declamationibus indulgetur, & ab hypotypoſi ſanorum verborũ in canonicis Scripturis præformata, diſceditur, licet per figuras quaſdã talia excuſari, mitigari, & in partem meliorem exponi poſſint, tamen eo modo ſenſim fieri inclinationem à puritate doctrinæ, & ſpargi errorum ſeminaria, ac pręberi occaſiones, ad deprauationes & corruptelas ſanæ doctrinę, quæ tunc diſſimulari nec poſſunt, nec debent, quando peruerſi homines illis abutuntur ad ſtabiliendos errores, abuſus & ſuperſtitiones. Atq; ideo quando Pontificij tales veterum exceſſus ad palliandas & ſtabiliendas ſuperſtitioſas de ieiuniis opiniones producunt, cogimur contradicere, & à Patrum exorbitantibus veſtigiis aliquantiſper diſcedere, vt iuxta canonem Scripturæ recto pede ad veritatem Euangelij ambulare poſſimus.

Omnino enim & neceſſario fundamentum illud ſaluum retinendum eſt, quod ſolus Chriſtus gratiam, remiſſionem, & ſaluté nobis promeruerit, quod Pater illa beneficia Filij ſui per Spiritum ſanctum in verbo Euangelij & Sacramentis nobis proponat & offerat, quodq; fide, quæ exiſtit in vera pœnitentia, illa accipiamus & nobis applicemus.

Et quicquid cum hoc fundamento pugnat, reiiciendum eſt. Semper etiam memoria repetendum eſt, quod ſupra ex Scriptura oſtẽdimus, opus ieiunij per ſe, niſi ad fines ſupra monſtratos referatur & ordinetur, non eſſe tam eximiam virtutem.

Multi enim ſobrietate ad hoc abutuntur, vt proximo inſidias ſtruere, & mala machinari poſſint, ſicut & Eſaias inquit, Ieiunatis ad lites & contentiones. Et quantumcunq; encomia ieiunij amplificentur, ſemper cogitandum eſt, inſonare nobis illam vocem Pauli, Corporalis exercitatio modicum habet vtilitatis, pietas vero ad omnia vtilis eſt, Cuius Paulinæ vocis ſi Patres memores fuiſſent, non incidiſſent in hyperbolas iſtas de nimiis encomiis, quæ extra & præter, imo ſæpius contra Scripturam ieiunio ab ipſis tribuuntur, quę variis & pernicioſis corruptelis poſtea occaſionem præbuerunt, quod homines putarũt, totum Chriſtianiſmum in obſeruatione ieiuniorum & ſimilium traditionum ſitum eſſe, cum audirent talia externa magis extolli & amplificari, quam ſpirituales cultus mandatorum Dei, cumq; opinio curationis, propitiationis, expiationis, & remiſſionis peccatorum affingeretur operi ieiunio, obſcurata & tandem deprauata prorſus fuit ſana doctrina de pœnitentia, de fide, de merito Chriſti, & de gratuita iuſtitia. Hæc commonefactio in conſideratione talium ſententiarum, apud veteres vtilis & neceſſaria eſt.

*QVOD PATRES, SICVT ET SCRIptura ad ſubigendum corpus & mortificandas concupiſcentias carnis, non ſolum ieiunium, verumetiam temperantiam & ſobrietatem proponant.*

*De temperantia & ſobrietate, ſeruire has virtutes iisdem pietatis exercitiis quibus ieiunium.*

SVpra oſtendimus, cum gula, crapula, & ebrietas ſpirituales animæ actiones impediant, turbent, & ſuffocent, econtra vero carnis concupiſcentias excitent & inflamment, quod Scriptura pro ratione perſonarum & ætatum proponat non tantum ieiunium, verum etiam temperantiam & ſobrietatem. Ita veteres etiã, licet multi ſint in commendandis ieiuniis, eoſdem tamen fructus & effectus ad mortificãdam carnem, ad excitanda ſeria exercitia pœnitentiæ & orationis, tribuunt etiam temperantiæ & ſobrietati, ſicut ieiunio.

Et quidem illis qui non poterant vel non volebant abſtinere, vel ieiunare, proponebãt temperantiam & ſobrietatem, ſicut paulo ante tales ſententias Chryſoſtomi annotauimus, Qui ieiunare non poteſt, ſtudeat, inquit, temperantiæ, abſtineat à delitiis, &c. Finis enim eſt, vt ſpiritualibus exercitiis eo rectius vacare poſſimus, quod aliqui & aliquando temperantia aſſequi poſſunt, aliquando ieiunio opus eſt. Ita Auguſtinus contra Fauſtum lib. 30. cap. 5. inquit, Abſtinent, quanto magis quiſq; vel minus ſeu voluerit ſeu potuerit.

*Sententia Scriptura de temperantia & ſobrietate.*

Vrgent itaque veteres illas Scripturæ ſententias, quæ docent, temperantiam conducere ad mortificationem carnis, ad facienda officia vocationis, ad exercitia pœnitentię, orationis, fidei & pietatis. Roman. 13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, ſed induite Chriſtum. 1. Corinth. 9. Qui in agone contendit, πάντα ἐγκρατεύεται, per omnia temperans eſt. Atq; ita Paulus inquit, & ego corpus meum ſubigo. Et Tit. 1. Paulus ab Epiſcopo requirit, vt non ſit vinolentus, ſed temperans, quam temperantiam ad patientiam, pietatem, & charitatem vtilem eſſe Petrus confirmat, 2. Petri 1. Et Chriſtus Luc. 21. præſcribens ea, quę vtilia ſunt, vt ſemper vigilemus & oremus, dicit, Cauete ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate. Ita 1. Pet. 5. Vt poſſimus diabolo fide reſiſtere, inquit: Sobrij eſtote & vigilate, 1. Theſſ. 5. Sobrij ſimus, induti loricã fidei, charitatis, & ſpei. Et 2. Timoth. 4. vt Timotheus miniſterium ſuum implere poſſit, Paulus præcipit ei vt vigilet, in omnibus laboret, & ſobrius ſit. Tit. 2. ſobrietatem præſcribit & iuuenibus & ſenioribus. Syrach. 31. Modicum ſufficit homini πεπαιδευμένῳ tẽperanti, ſeu bene inſtituto, ſomnus ſalubris eſt in viſceribus temperãtiæ, mane ſurgit & anima eius cum ipſo eſt, vinum accommodatum eſt vitæ hominis, ſi moderate bibatur. Exultatio animæ & iucunditas vinum moderate potatum.

Vinum copioſe potatum irritationem animi creat. Eccleſiaſt. 10. Vę tibi terra cuius Principes mane comedunt. Beata terra cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, non ad luxuriam.

Ita ergo crapula & ebrietas in Scriptura damnatur, & fugienda præcipitur. Nec tamen illis vitiis immediate opponitur ieiunium, ſed temperantia, vt abſtineamus à crapula & ebrietate,

vt Iſa.

*Contra crapulam & ebrietatem.*

vt Iſa.28. Verum hi quoque præ ebrietate neſcierunt videre, ignorauerunt iudicium. Quem igitur docebit ſapientiam. Deuter.32. Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum ſuum. Prouerb.20. Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas. 1. Corinth.6. Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt. Galat.5. Commeſſationes, ebrietates ſunt opera carnis, & qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Oſeæ 4. Vinum & ebrietas auferunt cor. Prouerb.30. Ne bibant & obliuiſcantur iudiciorum. Ieſaiæ 5. Væ qui conſurgitis ad ſectandam ebrietatem, & potentes eſtis ad bibendum vinum. Epheſ.5. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Iſaiæ 22. Quando Dominus vocat ad fletum & ploratum, ecce gaudium & lætitia, comedere carnes, bibere vinum: cõedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et reuelatum hoc eſt in auribus Domini, non remittetur, &c. Amos 6. Væ, qui cum laſciuitis in ſtratis, comeditis agnum de grege, canitis bibentes vinum, vnguento delibuti & nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph. Luc.6. Væ qui ſaturati eſtis & ridetis, eſurietis enim, lugebitis & flebitis. Prouerb.23. Qui vina ſectantur, eorum oculi ſpectabunt extraneas, & cor peruerſa cogitabit.

Has Scripturæ ſententias ideo hoc loco annotaui, vt manifeſtum fiat, non ſolum ieiunium animam reddere idoneam & alacrem ad perficienda officia vocationis, ad exercitia pœnitentiæ, orationis & pietatis, ſed temperantiam & ſobrietatem idem etiam efficere, ſicut hæc Scripturæ teſtimonia oſtendunt. Scopus enim ſeu finis, quem Scriptura reſpicit, hic eſt, ne carnis petulantia exercitia ſpiritus impediantur & ſuffocentur. Ad illum finem aſſequendum Scriptura contra carnis rebellionem, quod ad cibum attinet, proponit hæc tria remedia. I. Cauere, vitare, fugere crapulam & ebrietatem. II. Sectari temperantiam & ſobrietatem. III. Si ratio domandæ carnis ita exigat, ieiunare. Iubet igitur Paulus neceſſaria ſuſtentatione corpori honorem exhibere, & carnem curare, ſed ne id cedat ad concupiſcentias carnis, vult adhiberi abſtinẽtiam à commeſſationibus & ebrietate, Romanorum 13. Deinde temperantiam ſeu ſobrietatem, ne cor grauetur, Lucæ 21. Quibus ſi finem propoſitum non aſſequamur, Scriptura proponit doctrinam de ieiunio, quod habet quidem teſtimonia & exempla ſcripturæ, ſicut ſupra mõſtratum eſt, non tamen in forma mandati, ſimpliciter ab omnibus & ſemper ita exigitur, ſicut temperantia, quæ ſimpliciter omnibus & ſemper præſtanda mandatur. Hæc ideo obſeruanda ſunt, ne quis Patrum declamationes de ieiunio ita accipiat, quaſi nullus vnquam poſſit ſpiritu actiones carnis mortificare, exercitia pœnitentiæ, orationis & pietatis, recte etiam in ſobrietate adminiſtrare, niſi adhibeatur externum ieiunium.

*Finis, quem Scriptura præſcribit temperantiæ & ieiunio.*

*Temperantiæ eadem à patribus tribuuntur quæ ieiunio.*

Eodem modo Patres etiam temperantiæ eadem tribuerunt quæ ieiunio, vt Ambroſius de Iacob & vita beata, Paſſiones animæ ſunt, ſuperbia, auaritia, ambitio, contentio, inuidia, corpori nexa ſunt vitia, vorandi libido, effuſio luxuriæ & laſciuiæ. Iſtarum paſſionum temperantia maxime reſtinguit ardorem, quæ primum ſobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat. Deinde etiam delitiarum abſtinentia reſtinguit habenas corporalis ferocitatis. Temperantia igitur eſt correctionis præuia diſciplina magiſtra, refrenans cupiditates, &c.

*Hieronymus.*

Hieronymus libro 2. contra Iouinianum, Si quis exiſtimat & abundantia ciborum potionumq; ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, & verſari in delitiis, & delitiarum vitiis non teneri, ſepiſum decipit. Abſque cibis impoſſibile eſt humanum corpus ſubſiſtere, adeſſe ergo debet ratio, vt tales ac tantas ſumamus eſcas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur.

Idem in 44. caput Ezechielis: Sunt opera, quæ pro neceſſitate corporis facere compellimur, vt cibum capere & potum, quæ tunc circumcidimus, ſi non ad delitias, luxuriam & inertiam, ſed ad neceſſitatem naturæ & corporis iſtius ſuſtentaculum cuncta faciamus. Ambroſius de Helia & ieiunio, ſicut mater fidei continentia, ita perfidiæ mater ebrietas eſt.

*Ambroſius.*

*Auguſtinus.*

Auguſtinus Epiſt. 68. Cum ei argumenta deficiunt, quibus probet ſabbato ieiunandum, in luxurias epularum & temulenta conuiuia & ebrietates inſultabundus inuehitur, quaſi non ieiunare ſit inebriari.

Aliud enim eſt grauare corda crapula & ebrietate, aliud modeſtia & temperantia cuſtodita relaxare ieiunium. Prandia ergo Sanctorum à voracitate & ebrioſitate ventricolarũ diſcernat.

*Proſper.*

Proſper de vita contemplatiua cap. 10. Temperantiæ virtus ſi in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placita tranquillitate componit, & ab omni vitiorum tempeſtate defendit, &c.

## *QVAE ET QVALIS SIT PONTIficiorum doctrina de ieiunio.*

*Antitheſis Pontificij dogmatis de ieiunio.*

HActenus ex Scriptura canonica oſtendimus, quæ ſit vera ſententia doctrinæ de ieiunio, quis pius & ſalutaris eius vſus. Addidimus etiam ex veteris Eccleſiæ ſcriptoribus ſententias quaſdam verbo Dei conſentaneas: & oſtendimus, quomodo ab hypotypoſi ſanorum verborum in Scripturis præformata, ſenſim cœperint diſcedere. Supereſt iam vt oſtendatur & doctrinam & exercitia ieiunij in Pontificia Eccleſia non congruere ad Canonem ſeu normam Scripturæ Canonicæ, ſicut illa teſtimoniis & exemplis doctrinam de ieiunio tradit & proponit, ſed leges & opiniones Pontificiorum expreſſe pugnare cum Scriptura.

*Partitio.*

Ad quod demonſtrandum non eſt opus prolixa oratione, ſed ſi tantum inſtituatur antitheſis doctrinæ Pontificiæ de ieiunio, ad ea, quæ ſupra ex teſtimoniis & exẽplis Scripturæ de ieiunio conſtituta ſunt, tunc diiudicatio facilis & plana erit. Vt igitur membra membris commodius opponi poſſint, ordine tantum recitabimus, quid pontificia Eccleſia de legibus temporis ieiunij, de ciborum quorundam prohibitione, & de meritis ieiunij ſtatuerit. Hæc enim eſt definitio pontificij ieiunij, quod ſit ſubtractio cibi, facta ſecun-

*Definitio Pōtificij ieiunij.*

*Alexander ab Ales.*

ſecundum inſtitutionem Eccleſiæ, ſcilicet ſtatutis temporibus, & abſtinentia ciborum prohibitorum ſub pœna peccati mortalis, ad ſatisfaciendum pro peccatis, & ad promerendam gratiam Dei, & vitam æternam. Vel ſicut Alexander Alenſis definit, Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu, ſecundũ formam Eccleſiæ, intuitu ſatisfaciendi pro peccato, & acquirendi vitam æternam.

*I.*

Primum igitur generale caput pontificiæ doctrinæ eſt de ieiunio, quomodo ſuum ieiunium deſcribant, ſupra enim ex Scriptura oſtendimus, ſanctos ieiunantes omnibus delitiis corporis renunciaſſe, & per diem ab omni cibo vſque ad veſperam ſeu cœnam abſtinuiſſe, & parce ac minus delicate etiam cœnaſſe, ſine vlla tamen prohibitione ciborum à Deo conceſſorum.

*Quomodo ieiunium ſuum deſcribunt Pontificij.*

Quomodo vero & quam miris technis veram illam rationem ieiunij, ſicut ſupra ex Scriptura eam mõſtrauimus, Pontificij eludant & peruertant, cum maxime ieiunare videri velint, ex ipſorum ſcriptis ordine annotabimus, idq; per partes & membra, vt fraus eo planior fiat.

*Abdicatio deliciarum non vrgetur à Pontificiis.*

*II. Diſcrimē ciborum apud Pontificios facit ieiunium.*

Et 1. de abdicatione aliarum delitiarum, ſeu delectationum corporis tempore ieiunij, nihil admodum in ſtatutis Pontificiorum præcipitur, certe in praxi apud ipſos non ſeruatur, ſed de cibis tantum ſtatuunt, cum ſcripturæ ieiunia plus, ſicut oſtendimus, complectantur, quam ciborum abſtinentiam. II. Ieiunium ſuum potiſſimum conſtituũt in diſcrimine, delectu, ſeu prohibitione potius ciborum quorundam, vt ſcilicet tempore ieiunij abſtineant ab eſu carnium, ouorum & lacticiniorum, diſt. 4. cap. deniq;. Parum eſt, vt his diebus à carnibus animalium abſtineamus, niſi ab his quoq; quæ ſementinã trahunt originem carnis, ieiunemus à lacte videlicet, caſeo & ouis. Et hoc ita ſtatutum ab ipſis & obſeruatum fuit, vt etiamſi quis per totum diem ab omni cibo abſtinuiſſet, ſi in cœna vel parum carnis etiam non laute præparatum, vel durum fruſtum caſei ſumeret, is iudicaretur ieiunium ſoluiſſe & fregiſſe, ac peccatum mortale admiſiſſe, quia ſcilicet Eccleſia ſuo ſtatuto diebus ieiunij hæc prohibuerit.

*Scholaſtici de cauſis prohibiti eſus carnium.*

Scholaſtici vero ſcriptores, dum rationes huius prohibitionis inquirunt, diſputant quidem de cauſis phyſicis, quod carnes animalium propter caliditatem & humiditatem maxime nutriant & delectent, ac prouocent fomitem peccati & incentiuum carnis ſeu libidinem, ſed hiſce rationibus vident multa obſtare, ſcilicet quod in piſcibus maior ſit delectatio, quam in carne fumo durata, quodq; condimenta piſcium plus ad libidinem prouocent, quam ſalſedo carnium ſalitarum. Argumentanturq; etiam ipſi, legumina propter ventoſitatem irritare libidinem magis quam carnes. Ex Ariſtotele etiam adducunt, quod maxime nutritiua ſint aqua & terra, minime autem aër & ignis, atque ideo piſces potius quam volatilia & eorum oua prohiberi debuiſſe. Fortiſſima vero obiectio eſt, quod de vino, cuius vſum in ieiuniis ſuis non prohibent Pontificij, & Scriptura dicat, & experiẽtia teſtetur, eſſe rem luxurioſam, Epheſ. 5. Et aliquid ſane conantur ad illa argumenta reſpondere, ſed tandem eo decurrunt. Ideo carnes ieiunij tempore prohibitas, quia terra propter peccatum Adæ ſit male-

*Scitum.*

dicta, aquæ vero non, vt quæ poſtea ſanctificata etiam ſit Baptiſmo Chriſti. Item: quia Chriſtus poſt reſurrectionem piſcem comederit, non carnes. Alenſis.

*Refutatio prohibitionis ciborum.*

Supra vero oſtenſum eſt, talem ciborum prohibitionem, ſub peccato mortali, & ex talibus cauſis, aduerſa fronte repugnare Scripturæ noui Teſtamenti, & eſſe ipſiſſimam doctrinam dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Cumq; Coloſ. 2. Paulus dicat: Neminẽ debere nos iudicare vel damnare in genere cibi vel potus, iuxta doctrinas & mandata hominum: Manifeſtum eſt, quo iure & quo ſpiritu Pontificij inde faciant peccatum mortale.

*Alenſis figmentum.*

*Nota.*

*Deprauatio ſententiæ Pauli.*

*Patres cõtra delectum ciborum.*

Vanum enim & falſum eſt, quod Alenſis dicit: Eum qui ſuſcipit Baptiſmum, eo quod tunc fiat membrum Eccleſiæ, ſubiicere ſe ſtatutis Eccleſiæ ſub peccato mortali obſeruandis. Chriſtus enim Matth. 28. inſtitutioni baptiſmi hoc addit, Docentes eos ſeruare, quæ ego præcepi vobis. Et Matth. 15. Fruſtra me colunt doctrinis & mandatis hominum. Falſum etiam & crimen falſi eſt, quod Iſidori verbis tradit libertatem omniũ ciborum, quæ poſt diluuium conceſſa fuerat, in nouo Teſtamento à Chriſto fuiſſe retractatam, vbi per Apoſtolum ſuum dixit: Bonum eſt non manducare carnem. Item, qui infirmus eſt, olus manducet. Paulus enim non ſimpliciter loquitur, ita enim & ſecum & cum Chriſto pugnaret: ſed addit, malum eſſe ſi fiat cum offendiculo fratris infirmi, quales tunc erant recens ex Iudaiſmo conuerſi qui præ infirmitate fidei nondum poterant capere libertatem Euangelij de omnibus cibis. Quodq; Paulus de huiuſmodi infirmis dicit, quod præ metu, ne inciderent in aliquod cibi genus à Moyſe interdictum, ſi ex macello gentium vel Chriſtianorum carnes emerẽt, olus manducarint, hoc iſti ita deprauant, quod infirmi, hoc eſt, qui non ſunt perfecti, ſi ad perfectionem tendant, debeant à carnibus abſtinere & oleribus veſci. Et ipſe Alenſis citat quædam veterum dicta contra delectũ illum ciborum, vt quod gloſſa Rom. 14. dicit: In vſu eſcarũ non acquiritur regnum Dei, ſicut etiam non amittitur. Non enim vſus ciborum interdicendus, ſed concupiſcentia frænãda eſt. Et alia gloſſa ex Auguſtino dicit, nõ intereſt quid alimentorum, vel quantum accipiat, dummodo hoc faciat pro cõgruentia eorũ, cum quibus viuit, vel pro vſu neceſſitatis & ſalutis corporis. Item ex eodem Auguſtino, nec in abſtinendo, nec manducando eſt iuſtitia, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam & temperandi abundantiam. Et quod Gregorius dicit, non cibus, ſed appetitus in vitio eſt. Sed dicta illa miſerabiliter eludit.

*III. Alenſis de quantitate ciborum.*

Tertio, Alenſis diſputat & decidit tempore ieiunij non tam à quanto, quam à quali abſtinendum eſſe. Et interpretatur hoc non tantum de cibis delicatis, ſed potiſſimum de cibis prohibitis: dicit enim, maius peccatum eſſe tempore ieiunij comedere vnum morſellum carnis, quam de piſcibus & aliis multum comedere. Item dicit, exceſſum manifeſtum in quantitate cibi minuere quidem meritum ieiunij, non tamen ſoluere ieiunium, quia, inquit, Eccleſia non determinauit, quantum debeat ſumi in communi, modo quis carnes non comedat.

*IIII.*

Quarto, ſcriptura tradit Danielem tempore

ieiunij

*Lautitias nõ prohibet Pontificium ieiunium.*

ieiunij panem deſiderabilem,hoc eſt, cibum delicatum non comediſſe.Pontificij vero ſua praxi oſtendunt quid ſentiãt, ieiunium eſſe modo abſtinentia à carnibus, ouis & lacticiniis præſtetur, etiamſi piſces & reliqua cibaria laute, delicate & opipare præparentur & condiantur. Et delitiæ illæ ſimulatorum ieiuniorum fuerunt quidem taxatæ à quibuſdam,ſicut Alanus inquit de planctu naturæ. Hodie gulæ vitium profundius ſe porrigit in Dominos & Prælatos, qui Salmones, Lucios, cæteroſq; piſces æquipollenti generoſitate inſignes, variis decoctionum cruciant martyriis,balneãtes officio ſacri piperis, vt multiformem ſaporis gratiam conſequantur. Alius miniſtrorum contundit, colat alius & conficit, ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in aërem, vt ſaturitas tranſeat in eſuriem. Similes Hieronymi ſententias poſtea in hiſtoria annotabimus. Sed talia ieiunij condimenta noluerunt ſibi eripi Prælati Pontificij, oppoſuerunt enim ex diſt. 41. dictum Auguſtini: Non cogantur diuites cibis pauperum veſci. Dicit igitur Innocentius, Si quis piſces & ſimilia lautius capiat vel nimis ardenter, non credimus, quod propter hoc ſoluatur ieiunium, licet in his exceſſibus eum peccare credamus, venialiter ſcilicet.

*Innocentius.*

*V. Vſus vini tẽpore ieiunij non prohibitus.*

Quinto, vſum vini tempore ieiunij non prohibent Pontificij, ſed concedunt non tantum in prandio vel cœna, verũ etiam poſtea, imo etiam ante prandium ſeu cœnam, modo cauſa ſit rationabilis. Albertus dicit, ieiunium frangi ſi ante cibum quis bibat vinum. Innocentius credit, non ſolui ieiunium ſiue ante cibum, ſiue poſt bibatur, & hoc maxime propter conſuetudinẽ. Alenſis vero ponit vnam notabilem regulam, ſcilicet tempore ieiunij cum piſcibus vinum eſſe neceſſarium. Atqui talia Pontificiorum ieiunia præcipuæ apud nos ſunt delitiæ. Et vinum profecto facilius & magis carnis concupiſcentias inflammat, quam arida caro, durus caſeus & rancida oua. Mirabile itaq; eſt ieiunium & expetenda ſane caſtigatio corporis, piſces optimi, condimenta lautiſſima, vinum fortiſſimum ſeu præſtantiſſimum, & quantitas indeterminata.

*Albertus. Innocentius. Alenſis.*

*VI. Tempus refectionis diebus ieiunii apud Pontificios.*

Sexto, pertinet & hoc ad deſcriptionem Pontificij ieiunij, quod de tempore confectionis ſeu comeſtionis tempore ieiunij tradũt. Cum enim veteres dicant, ieiunia ad horam nonam vſque producta fuiſſe: & horas more Scripturæ ſupputent, vt ſexta hora ſit meridies, tertia ſit intermedium tempus, inter ortum diei & meridiem, nona vero ſit intermedium tempus inter meridiem & veſperam: Pontificij excogitarunt artificium, quo conſtitutiones illas veterum eluderent, & nihilominus fortiter ieiunare viderentur. Veſperam enim vocarunt nõ horam veſpertinam, ſed quando veſpertinũ officium celebratur, illud vero ad horam ſecundã poſt meridiem celebrare cœperunt. Ita nonam vocare cœperũt, nõ tempus intermedium inter meridiem & veſperam, ſed quando nonæ officium cantabatur, quod faciebant per horam ante veſpertinum officium, hoc eſt, circa horam à meridie primã. Et tunc cœperũt diebus ieiuniorũ cœnam ſumere. Antonius vero dicit, modo ſexta, hoc eſt, meridiana hora tranſierit, poſſe diebus ieiunij cibum ſumi, hoc eſt, cœnari in meridie. Sed quia & hoc nimis graue putabatur, præſertim in quadrageſima, cum Cabilonenſe concilium dicat, Nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante mãducauerint, quam veſpertinum celebretur officium. Vetus enim erat conſtitutio, in reliquis ieiuniis, ante nonam horam non eſſe ſoluendum ieiunium, in quadrageſima vero ante horam veſpertinam non eſſe cibum ſumendũ. Mirifica igitur techna cœperunt ſextam, nonã, atq; adeo etiam veſpertinum officiũ in quadrageſima cantare ante meridiem. Et ſole in ſummo axe ſplendẽte, ipſi boatibus ſuis in Templis clamitãt, tenebras & chaos horridum terram occupaſſe. Atq; ita veſpertino officio ante meridiem decantato, libere comedunt, hoc eſt, ante meridiẽ cœnant, & tamen volunt videri per totum diem vſq; ad veſperam ieiunaſſe, ſed fictione iuris, ſicut ſumma Angelica dicit. Et ex illa quadrageſimali techna generaliter poſtea cœnæ ieiuniorum mutatæ ſunt in prãdia. Et nihilominus fingunt ſe veteris Eccleſiæ conſtitutiones de ieiuniis ſeruare. Durandus dicit, quia tam Papa, quam Cardinales, Prælati & religioſi ieiunantes, hora ſexta, hoc eſt, in meridie comedunt, ideo conſuetudo reliquos etiam totaliter excuſat. Septimo poſt tale prandium, deinde ſub veſperam non cœnã ſumunt, ſed collationem, ſicut loquuntur, faciunt Pontificij, vt ſcilicet menſa non ſolenniter ſternatur, ſed tantum mantili circumpoſito, cõfectiones, electuaria, placẽtę, ficus, boleti, nuces, dactyli, poma, pyra, & huiuſmodi ſpecies, præſertim in confectionibus imponãtur addito bono vino. Et quia per modum medicinæ hæc ſumi fingebantur, multa ibi diſputabantur de medicinis conſeruatiuis, & iuuãtibus digeſtionẽ, de medicinis cibalibus, de cibis medicinalibus, vt in tali luxu nihilominus ſtrenue ieiunare viderentur. Petrus de Palude dicit: Si quis etiam mane non propter voluptatem, ſed per modum medicinæ, ne deficeret in die ieiunij, ante horam comeſtionis vinum biberet, vel ficus & aliquid huiuſmodi prælibaret, non frangeret ieiunium. Sed hoc, inquit, vulgo non eſt prædicandum. Richardus vero ita diſputat, quamuis aliqui dicant, quod die ieiunij bibere vinum vel cereuiſiam mane, & comedere electuaria de ſero, delectationis cauſa, frangit ieiunium, ego tamen, inquit, credo cõtrarium, quia quamuis illa aliquo modo nutriant, in hoc tamen non eſt principaliter eorum vſus.

*Veſpera Pontificiorum.*

*Nona.*

*Antonius.*

*Cabilonenſe Concilium.*

*Veſpera ante meridiem.*

*Durandus.*

*VII. Collatio veſpertina, tempore ieiuniorum apud Põtificios.*

*Petrus de Palude.*

*Richardus.*

Antonius vero recitatis iſtis Scholaſticorum diſputationibus addit: ſed communis vſus Chriſtianorum eſt, diebus ieiunij facere collationem de ſero, & aliquid parum ſumere cum potu, ſine tali conſideratione, an per modum medicinæ ſumatur. Et hoc eorum factũ pie interpretandum, & excuſandum eſt, niſi ſumerẽt in notabili quantitate. Panormitanus vero fictiones ſeu potius ludificationes illas ridens & improbans inclinat in eam opinionem, licere in die ieiunij pluries comedere ſine fractione ieiunij, dummodo fiat ex cauſa rationabili & ſecundum cõſuetudinem eorum inter quos viuitur. Et hoc dicit, quia Gręcis addictus fuit: Alenſis enim ſcribit, Gręcorum ſententiam eſſe, melius eſſe in die ieiunij pluries & qualibet vice parum comedere, quam ſemel in die cum repletione. Cum Hieronymus etiam dicat: Melius eſt ſæpius comedere parum, quam ſemel ſatis ſumere. Et Iſidorus: Spernitur eius ieiunium, qui in veſpere ciborũ ſatietate reficitur.

*Antonius.*

*Panormitanus.*

*Gręcorum ſententia de ieiuniis.*

*Hieronymus.*

*Iſidorus.*

*Panormitanus.* Idem Panormitanus etiam dicit, putarem ego quod aliquid comedere pro collatione de ſero, magis ad ſuſtentationem naturæ, quam ad delitias, non ſit peccatum, nec frangit ieiunium. *Angelus.* Angelus vero in ſua Summa dicit, peccatum eſſe, niſi comeſtio potius ordinetur ad medicinã, quam ad cibum ex intentione ſumentis, & ex modo ac quantitate ſumpti, licet conſequenter aliquid nutriat. Et addit, Non reſtringo me ad electuaria ſolum ſicut quidam, ſed addo panem & fructus, & quodcunq; aliud, quod ſumitur per modum medicinæ.

*Pontificij ludibria ieiuniorum, non ieiunia habent.* Hęc de ieiunij Pontificij deſcriptione per partes tanquam in συνόψει exponere volui, vt propius aſpici poſſit, qualia non ieiunia, ſed veri ieiunij ludibria ſint apud Pontificios. Quam longe enim abſint ab illa ratione ieiunandi, quæ in Scriptura traditur, nuda collatio oſtẽdet, cumq; pudendis fictionibus iuris, ſicut ipſi loquuntur, Scripturæ ieiunium eludãt, & manifeſtam fraudem ei faciant, tamen talia ludibria ieiunij non verentur Deo ad ſatisfactionem pro peccatis opponere, & varia ipſis merita tribuere. Quomodo vero talia ludibria ieiunij ab Hieronymo exagitentur, in hiſtoria dicemus.

*Doctrina Põtificiorum de tempore ieiuniorum.* Secundum caput generale doctrinæ Pontificiæ de ieiunio complectitur Leges ſiue ſtatuta de temporibus, quibus ex præcepto ſub peccato mortali ieiunandum eſſe docent. *Scriptura nõ definit certũ tempus ieiuniorum.* Supra autem oſtendimus, quæ ſit Scripturæ ſententia de tempore, quando in nouo præcipue Teſtamento ieiunandum ſit. *Auguſtinus.* Nempe ſicut Auguſtinus inquit, Epiſt. 86. Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; inſtrumento quod appellatur nouum Teſtamentũ, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiuniũ. Quibus autem diebus oporteat ieiunare & quibus nõ oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorũ non inuenio definitum. Et in hiſtoria ieiunij oſtendimus, veterem Eccleſiam alicubi quibuſdam diebus ſeptimanæ, *Cauſa ieiuniorum, quarta & ſexta feria.* quarta ſcilicet feria & ſexta, quando publici Eccleſiæ cœtus celebrabantur, & populus ad auditũ verbi, ad vſum Sacramentorum, & ad publicas preces conueniebat ſeruaſſe ieiunia. *Ieiuniũ ante Paſcha.* Ita etiam ante feſtum Paſchatis propter publice pœnitentes, & baptiſandos. Et quando ordinationes miniſtrorum Eccleſiæ fiebant, publica obſeruabantur ieiunia. Sed illa ieiunia habebant liberas & diſſimiles in diuerſis Eccleſiis obſeruationes, ſicut poſtea oſtendemus. *Pontificij certa ieiuniis tẽpora præſcribunt, cum opinione neceſsitatis.* Pontificij vero ex liberis & diſſimilibus obſeruationibus, ſuis legibus & ſtatutis fecerunt præcepta, non ordinis tantum & diſciplinæ gratia, ſed opinione neceſſitatis, vt mortaliter peccare iudicetur is, qui ſtatuto illo die vel tempore nõ ieiunat, etiamſi alio tempore ieiunet. *Bernhardin.* Eccleſia enim, ſicut Bernhardinus inquit, ſub peccato mortali indicit ſtatuta ſua ieiunia. Et addit Bernhardinus: O quot ad infernũ demerguntur, quia non ieiunant, quot ſunt qui credunt ſufficere ſibi tres dies per hebdomadam ieiunare, qui ex hoc ſolo damnabuntur, quia totam quadrageſimam non ieiunant. *Durandus.* Durandus ita argumentatur. Auguſtini ſententia eſt, inſtituta maiorum pro lege ſunt tenenda, & Hieronymus addit, ſicut præuaricatores legum diuinarum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coercendi ſunt, ſed ſtatuta ieiuniorum ſunt ex inſtitutione Romanorum Pontificum, & præuaricatio legis diuinæ, eſt peccatum mortale, Ergo ſimiliter etiam peccatum mortale eſt, non ieiunare ſtatutis diebus. *Fons decreti Pontificij, de certo ieiuniorũ tempore.* Extructa autem illa fuerunt ex κακοζηλίᾳ legis Moſaicę, ſicut enim Leuitic. 23. ſcriptum eſt, de ſeptimi menſis decimo die: Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis ſuis, & delebo eam de populo ſuo. Ita Pontificij populo noui Teſtamenti, voluerunt imponere certorum temporum ieiunia ſub peccato mortali. Nec vero vnius tantum diei, ſicut ſub Moſe, ſed multorum & variorum dierum, vt ſcilicet ſub libertate noui Teſtamenti durior eſſet ſeruitus. *Chriſtus non tulit leges de certo ieiuniorum tempore, nec eas ferendi poteſtatem cuiquã dedit.* Atqui Chriſtus ſuo aduentu legalem neceſſitatem ieiunij Leuitici, quod erat certi temporis, abrogauit, nec aliud nouum mandatum, quo conſcientias ad certi alicuius temporis ieiunium obligaret, in nouo Teſtamento ſubſtituit. Nec etiam prælatis Eccleſiæ conceſſit, humanis traditionibus & mandatis, conſcientias opinione neceſſitatis, ſub peccato mortali, ad certorũ temporum ieiunia obligare. Si enim ab elementis Moſaicis in Chriſto mortui ſumus, quomodo hominum doctrinis & mandatis teneremur? Nemo ergo vos iudicet in cibo ac potu, aut in parte diei feſti, Coloſ. 2. Ad feſta vero etiam ieiuniorũ dies pertinebũt in veteri Teſtamento, Quando enim ieiunabant, nihil operis faciebant, Leuit. 23. Et Galat. 4. Paulus in genere dicit obſeruationem dierum & temporum, quo ad conſcientiam, ſcilicet opinione neceſſitatis, ſub peccato mortali pugnare contra Euangelium. Et capit. 5. concludit, in libertate igitur, qua Chriſtus vos liberauit, ſtate, & nolite rurſus iugo ſeruitutis implicari. Quomodo vero pro ratione incidentium cauſarum ordinis & diſciplinæ gratia, ſed conſcientiarum libertate, poſſint ieiunia, vel indici vel ſuſcipi, ſupra ex Scriptura oſtendimus, & in hiſtoria ieiunij etiam veteris Eccleſiæ exemplis oſtendemus. Nunc vero Pontificiæ Eccleſiæ doctrinam de hoc capite recenſebimus.

*Diſcrimina ieiuniorum Pontificiorũ.* Varias igitur tradunt ieiuniorum diſtinctiones, quod attinet ad tempus ieiunandi.

*I. Aſſumpta ieiunia.* Primo enim quædam vocant aſſumpta ieiunia, vt quando quis libere ex propria deuotione ſumit ſibi tempus aliquod ad ieiunandum. Hæc ieiunia dicunt eſſe voluntaria, & pertinere ad opera ſupererogationis.

*II. Votiua ieiunia.* Secundo, quędam vocant votiua ieiunia, quãdo ſcilicet vel ex voto ordinis alicuius Monaſtici (quiuis enim ordo peculiaria habet ſtatuta ieiunia) vel ex voto peculiariter emiſſo (vt quando Sancti peculiaria in morbis ieiunia vouebant) aliquis ſe ad certi alicuius temporis ieiunium obligat. Et hæc dicũt ratione voti eſſe neceſſaria.

*III. Iniuncta.* Tertio, quædam vocant iniuncta ieiunia, quæ ſcilicet à Sacerdote in confeſſione ad ſatisfactionem iniunguntur. Et hæc, ratione Sacramenti pœnitẽtiæ & ſatisfactionis dicunt eſſe neceſſaria.

*IIII. Indicta ſeu inſtituta.* Quarto, quędam vocant inſtituta ſeu indicta, quæ certis temporibus præcepto Eccleſiæ ſtatuta & mandata ſunt, Illa ratione præcepti dicunt eſſe neceſſaria.

*V. Ieiunia conſilij.* Quinto, quædam ieiunia vocant conſilij, quæ ſcilicet non omnibus ſunt præcepta, ſed tantum illis conſulta, qui per opera ſupererogationis ad ſtatum perfectionis contendere volunt.

Sexto,

*VI. Conſuetudinaria.*

Sexto, quædam vocant ieiunia conſuetudinaria, quando ſcilicet in aliqua regione eſt ieiunium aliquod conſuetum, quod tamen non eſt præceptum per ius ſcriptum.

*VII. Extraordinaria.*

Septimo, quædam vocant extraordinaria, quæ pro ratione incidentium cauſarum extraordinarie indicuntur.

*Species ieiunij indicti ſeu præcepti Quadrageſimale. Quatuor tempora. Ieiunia in vigiliis certarũ feſtiuitatum. Ieiuniorum, ex conſuetudine receptorum ſpecies. Ieiuniorum è conſilio ſpecies. Cauſa inſtituti ieiunij quadrageſimalis & quatuor temporum.*

Indicta autem ſeu inſtituta ieiunia, quæ ſunt præcepti, hæc numerant: Primo, quadrageſimam totam exceptis Dominicis. Secundo, quatuor tempora. Tertio, vigilias natiuitatis Domini & aſſumptionis Mariæ. Quarto, vigilias Apoſtolorũ, excepta vigilia Ioannis Euangeliſtæ, Philippi & Iacobi. Ex conſuetudine recepta ieiunia hęc numerant: In vigilia omnium Sanctorum, Ioannis Baptiſtæ & Laurentij. Conſilij ieiunia dicunt eſſe in aduentu Domini, in Rogationibus, in vigilia Pentecoſtes, & à ſecũda feria quinquageſimæ vſque ad quartam. Item, iuxta ſummam Angelicam, quarta & ſexta feria ac Sabbata omnia ſunt ieiunia conſilij. Alij dicunt, olim in primitiua Eccleſia hæc ieiunia fuiſſe præcepti, iam eſſe conſilij. Ex hac nuda commemoratione varietas & multitudo laqueorum conſcientiis iniectorum, aliquo modo æſtimari poteſt, cum ſub peccato mortali pleraq; ieiunia neceſſaria fecerint, & quidem ad vitam æternã neceſſaria, imo plus vltra vitam æternam ieiunia poſſe mereri finxerunt. Operæ precium vero eſt audire rationes inſtitutionis ieiuniorum, quadrageſimę pręſertim & quatuor temporum.

*Exemplum Chriſti.*

Omnes quidem in eo conſentiunt, quadrageſimam ideo inſtitutam, quia Chriſtus ieiunarit 40. dies.

*I. Exceptiones Alenſis.*

Sed Alenſis videt multa poſſe obiici, quia ſcilicet Chriſti illud ieiunium fuit miraculoſum, & ſicut recte dicit, in miraculis Chriſtus proponitur nobis non imitandus, ſed admirandus.

*II.*

Item, Chriſtus cum diceret (Diſcite a me) Apoſtolis ſuis non iniunxit, vt ieiunium ſuum quadrageſimæ imitarentur, imo noluit ipſos ieiunare quamdiu cum ipſis fuit.

*III.*

Item, cum Moſes ieiunaſſet quadraginta diebus, itidem & Helias, inde tamen non inſtitutum fuit ieiunium quadrageſimę in veteri Teſtamento, cum non extaret mandatum Dei generale. Obiicit ſibi & illud argumentum, quod Paulus illos arguit, qui obſeruant tempora & dies. Et ſi imitandum eſſet ieiunium illud Chriſti, ſtatim poſt Epiphaniam eſſet ieiunandum. Illas obiectiones conatur quoquo modo eludere, ſed cum agnoſcat, ſolidi nihil poſſe contradici, ad alias rationes confugit:

*Cur quadrageſimale ieiunium in Vere ſeruetur.*

In Vere ſcilicet celebrandam eſſe quadrageſimam. Primo, quia ieiunium dicit inſtitutum eſſe propter peccatum primi hominis, ille autem in Vere peccauit. Secundo, quia in Vere maxime inſurgunt motus carnales, ergo in Vere inſtituenda fuit quadrageſima. Et tamen mox ex Ariſtotele adducit, libidinem in viris magis dominari in hyeme, in fœminis in æſtate.

*Philoſophia & argutatio de numero quadragenario ieiunij Verni.*

*I.*

De numero vero quadragenario mirifice philoſophantur, vt ex Gregorio, ſicut in veteri Teſtamento mandata fuit ſolutio decimarum, & laudabantur, qui de omnibus dabant decimas, (ſcilicet ſicut Phariſæus ille, Luc. 18.) ita in nouo etiam Teſtamento mandandas & ſoluendas eſſe decimas, vtque etiam temporis decimas ſolueremus, ideo ieiunium quadrageſimæ inſtitutum eſſe. Cumque decima pars dierum totius anni faciat tantum 36. dies, de ſupplemẽto numeri quadragenarij anxie laborant.

*II.*

Item, tenemur ſatisfacere Deo pro tranſgreſſione Decalogi ſecundũ inordinationem quatuor affectionum contra ſingula præcepta, ſed quater decies faciunt quadraginta.

*III.*

Item, ieiunia noſtra fiunt in remiſſionem peccatorum & numerus quinquagenarius, vt iubilæi eſt remiſſiuus, quinquageſimus vero numerus componitur ex partibus quadragenarij, ergo in numero quadragenario inſtituendum fuit ieiunium. Hæc Alenſis.

*Thomæ ratiuncula.*

Thomas dicit, virtus Decalogi impletur per libros 4. Euangeliſtarum. Item, caro cuius voluptatibus præceptis Decalogi cõtraimus, ex quatuor elementis conſtat, Ergo quadrageſimale ieiunium debuit inſtitui. Quam ineptæ vero ſint rationes iſtæ, iam Dei beneficio patet, vt tantum recitaſſe ſit confutaſſe.

*Bernhardini ratiocinatio.*

Bernhardinus vero ſuis Rhetoricationibus addit plures rationes, quia ſcilicet quadraginta diebus & noctibus, Deus pluit aquam diluuij, quadraginta dies dati ſunt Niniuitis ad pœnitentiam, quadraginta manſionibus filij Iſrael ex Ægypto, peruenerunt ad terram promiſſionis, Elias quadraginta diebus peruenit ad montem Dei. Chriſtus poſt quadraginta dies à ſua reſurrectione aſcendit in cœlum, &c. Sed eadem conſequentia ex quibuſuis aliis numeris Scripturæ, & hoc & quiduis aliud poſſet concludi. Mirum vero, ni harum ineptiarum Pontificios iam pudeat, ſed qui ſemel frontem perfricuit, eum oportet gnauiter impudentem eſſe.

*Ratio ieiunij Pontificij quatuor temporum.*

*I.*

Ex eadem logica afferunt etiam rationes de ieiuniis quatuor temporum, quia ſcilicet in veteri Teſtamento dandæ fuerunt primitiæ. Ergo in nouo Teſtamento ſub peccato mortali inſtituenda fuerunt quatuor temporum ieiunia, ad ſolutionem primitiarum temporis.

*II.*

Item, in veteri Teſtamento in quatuor menſibus ſcribuntur fuiſſe ieiunia. Zachar. octauo. Ergo in nouo Teſtamento debent eſſe quatuor temporum ieiunia. Quin igitur eadem opera toti ad totum Moſen, abnegato aduentu Chriſti, redimus.

*III.*

Addunt & hanc rationem, quod ad expiationem offenſarum in ſingulis quadris anni inſtituenda fuerint ieiunia. Sed hoc pertinet ad caput de meritis ieiunij.

*Cauſa ieiunij quartæ & ſextæ feriæ.*

De ieiunio quartæ & ſextæ feriæ afferunt hanc rationem, quia Chriſtus dixerit, venient dies quando auferetur ſponſus, & tunc ieiunabunt. Sed feria quarta Iudæi tractarunt de occidendo Chriſto, ſexta autem feria crucifixerunt ipſum, Ergo illis diebus ieiunandum eſt. Chriſtum vero ibi loqui non de ſtatis ieiuniorum diebus, ſed de perſecutionibus, cruce, & aliis calamitatibus ſuperuenturis poſt abitum ſuum, & de luctu Apoſtolorum in cruce, ex contextu manifeſtum eſt.

*Refutatio generalis omnium ſuperiorũ commentorum.*

Et omnibus Pontificiorum argumentis vnicam tantum illam Auguſtini ſententiam oppono. Quibus diebus oporteat ieiunare quibus non oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non inuenio definitum. Et tamen cum opinione neceſſitatis ſub peccato mortali, ſtata ſua ieiunia conſcientiis obtrudunt Pontificij.

*De finib. ſeu meritis ieiuniorum Pontificiorum.*

Tertium generale caput doctrinæ Pontificiæ de ieiunio oſtendit, quo fine & ieiunent & ieiunari velint Pontificij, vel vt ipſorum phraſibus

*De opere operato ieiunij.* *Alenſis.* *Albertus.* *Bonauētura.*

vtar, quale meritum, qualem efficaciam ſeu fructificationem ieiuniis ſuis tribuant. Et hoc caput præcipue obſeruandum eſt. Supra enim oſtendimus, non actu, ſeu ipſo opere operato, ſed finibus diſcerni ieiunia prophana, ſuperſtitioſa, & impia, à veris, piis, & Chriſtianis ieiuniis. Scholaſtici igitur diſputant, ſicut Alenſis dicit, Hominem non teneri vt ieiunet, ſiue in charitate, ſiue ex charitate, quia inſtitutio ſiue iniunctio ieiunii ad actum obligat, non ad modum. Albertus dicit ieiunium in peccato mortali præſtitum non prodeſſe quidem ad promerendam vitam æternam, prodeſſe tamen ad alia, quia ſcilicet impleat mandatum ad quod tenebatur, obligante ſiue Eccleſia ſiue confeſſore, & quia ieiunium quoquomodo factum, relinquat diſpoſitionem bonam ad caſtitatem, & præcipue quia magis confinem faciat gratiæ Dei, ad quam diſponat: vel ſicut Bonauentura loquitur, quia valeat ad gratiæ impetrationem. Si vero in charitate fiant ieiunia, tribuunt illis multas & varias vtilitates. Et non male loquuntur, cum dicunt, ieiunium ordinari ad refrenationem libidinis, & eleuationem mentis, iuxta Auguſtini dictum, quod allegant, ieiunium purgat mētem, ſubleuat ſenſum, & carnem ſpiritui ſubiicit, cor contritum & humiliatum facit, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis vero lumen accendit. Sed opus operatum ieiunij per ſe illa nō poteſt efficere, niſi ſpiritu actiones carnis mortificantur, ſicut Hieronymus ipſe de ſe fatetur: Quoties, inquit, in eremo conſtitutus, in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta Solis ardoribus, horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delitiis, ſedebam ſolus, quia amaritudine plenus eram, horrebant ſacco mēbra deformia, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſit, nudæ humo vix oſſibus hærentia membra collidebam. De cibo vero ac potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit, ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarū, ſæpe choreis intereram puellarum, pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat, & in frigido corpore, & ſicca iam ac præmortua carne, ſola libidinum incendia bulliebant, &c.

*Ieiunia valere ad ſatisfactionem pro peccatis.* *Satisfactio quid.* *Durandus.*

Sed audi quæſo quomodo loquantur, quando de meritis ieiunij ſui diſputant, verba enim tantum ipſorum adſcribam, communis igitur omnium ipſorum vox & opinio eſt indici ieiunia, & valere ad ſatisfactionem pro peccatis. Et quid ſit ſatisfactio, Durandus ita declarat, quod in iuſtitia commiſſa per offenſam, reducatur ad ęqualitatem iuſtitiæ & amicitiæ per ſatisfactionem, vt ſatisfactio ſit recompenſatio offenſæ, ad reconciliandam amicitiam.

*Scotus.* *Gabriel.*

Hæc ſunt verba Durandi. Scotus dicit, ſatisfactionem eſſe operationem externā laborioſam ſeu pœnalem, voluntarie aſſumpta ad puniendum peccatum à ſe commiſſum, & ad placādum Deum. Gabriel dicit eſſe paſſionem ſeu pœnam voluntarie toleratam in ordine ad peccatum, vel peccati remiſſionem. Et proprium ſatisfactionis eſſe dicit, vt ſit æqua correſpondentia, ſeu æquiualentia eius, ꝙ redditur ad illud, pro quo redditur. Quia vero in ſatisfactione oportet eſſe æqualitatē inter offenſam & recompenſationem, diſputant, hominem quidem ex ſe nō poſſe reddere Deo aliquid ęquiualens pro peccatis, ſed tamē vel cum acceptatione diuina, vel ex communicatione meriti paſſionis Chriſti hoc poſſe.

*Alenſis de meritis ieiunij.*

In hanc ergo ſententiam Alenſis dicit, ieiunamus, vt ſatisfaciamus pro tranſgreſſione decalogi. Et ieiunium ab Eccleſia ſtatutum eſt in ſatisfactionem reatus culpæ. Item, Ieiunia noſtra fiunt propter remiſſionem peccatorum, ieiunia quatuor temporum inſtituta ſunt, ad expiationem offenſarum commiſſarum in quatuor quadris anni. Item, Per modicum ieiunium ſatisfacit homo pro peccato, cui debetur pœna permaxima. Item, Ieiunium neceſſarium eſt ad tollenda peccata, vt ſit recōciliatio & pax cum Deo. Ieiunium inſtitutum eſt, vt perfectam reconciliationem cum Deo mereamur per ieiunium. Dicit etiam, ieiuniū eſt cauſa obtinendi vitam ęternam. Item, ieiunium voluntariū factum in charitate, meritorium eſt vitæ æternę: non autē poſſet mereri vitam æternam, niſi omnis pœna dimiſſa eſſet. Ergo meritorium eſt ieiunium etiam dimiſſionis omnis pœnæ. Hæc omnia ſunt verba Alenſis in ſumma de ieiunio.

*Bernhardinus.*

Bernhardinus addit placationem iræ Dei & æternam glorificationem, quia Eccleſia canat, Paradiſi portas aperuit nobis ieiunij tēpus. Addit & hoc, ſicut quadraginta diebus Deus pluit in diluuio, ita, inquit, ſi nolumus incurrere diluuium æternę punitionis, debemus quadrageſimam ieiunare. Et ſicut per 40. manſiones filij Iſrael ex Ægypto venerunt ad terram promiſſionis, ita nos quadraginta diebus ieiunij tranſimus de tenebris peccati ad ſupernæ patriæ lucem. Sicut etiam Elias in fortitudine cibi ab Angelo allati 40. diebus peruenit ad montem Dei: Ita nos comedendo cibum quadrageſimalem, quam Eccleſia præſcribit, perueniemus ad montem æternæ gloriæ. Et ſicut Chriſtus poſt quadraginta dies à ſua reſurrectione aſcendit in cœlum, ita nemo poteſt in cœlum aſcendere, niſi his quadraginta diebus ieiunauerit. Hæc Bernhardinus.

*Refutatio horū omnium.*

Nec vero prolixas refutationes hoc loco addere opus eſt, in prima enim parte oſtendimus, nullam aliam eſſe expiationem peccatorum noſtrorum coram Deo, nullum aliud meritum remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ, niſi ſanguinem vnigeniti filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod meritum verbo Euangelij & Sacramentis offertur, & fide accipitur. Cumque Pontificij omnia hæc ieiunio ſuo tribuant, atque ita Chriſto Mediatori detrahant, nuda hæc recitatio ſufficit, ad oſtendendum piis mentibus, quid de ieiunio Pontificiæ Eccleſiæ ſentire debeant.

*Tridentinorū patrum artificiū & techna in tegendis his opinionibus impiis, de ieiunio.*

Atque iterum obſeruetur artificium patrum Tridentinorum, illa enim, quæ ex Scholaſticis iam recitauimus, quæ in ſanctiſſimū & perfectiſſimum meritum Chriſti, manifeſte contumelioſa & blaſphema ſunt, ſtudioſe in ſuo decreto diſſimulant, ac tantum mortificationis carnis mētionem faciunt. Num vero hoc modo tecte ac tacite Scholaſticorum blaſphemas de ieiunio opiniones abiectas & damnādas eſſe volunt? Vtinam hoc ſentirent ac vellent, via enim quædam

ad emen-

ad emendationem ita aperta eſſet. Sed quid de ſuis ſatisfactionibus, ad quas ieiunium etiam pertinet, ſentiant, in ſecunda parte oſtendimus. Et reliqui Pontificij huius ſeculi ſcriptores myſterium illud Tridentini Decreti ſine inuolucris explicant.

*Petri Aſoti interpretatio decreti Trid. de ieiunio.*

Et ne longe eamus, ex aſſertione Catholicæ fidei conſcripta à Petro Aſoto, qui Tridentinæ Synodo immortuus fuit, quædam verba huc adſcribemus. Dicit itaque, ieiunium non ſolum ad carnem ſubiiciendam ſpiritui, ſed & placandum etiam Deum, ſatisfaciendum ipſi pro peccatis, & Chriſti meritum nobis applicandum, neceſſarium eſſe, Item finis ieiuniorum eſt, vt peccata expientur, ira Dei mitigetur, vtque Deo gratiores efficiamur. Item negare ieiunium opus eſſe, quo æternam vitam mereamur, & ſatisfacimus pro peccatis, error inquit eſt apertiſſimus, &c.

Hæc Aſotus. Atque hæc eſt gloſſa ordinaria Decreti Tridentini de ieiunio, tradita ab illo, qui Concilio interfuit, & Decretorum pars magna fuit.

*De diſpenſationibus Pontificiis in ieiuniis.*

Quartum caput eſt, doctrina de Pontificiis diſpenſationibus in ieiunio. Tradunt enim eſſe cauſas quaſdam rationabiles ſeu legitimas, propter quas aliqui à ieiunio excuſentur, vt eſt infirmitas morbi & languoris, vt in ægrotis, ſiue infirmitas cõplexionis, vt qui ex inanitate ſtomachi incidunt, vel in vertiginem capitis, vel in inſomnia, ſiue infirmitas ætatis, vt in pueris vſque ad annum 21. in ſenibus circa annum 70. ſiue infirmitas ſexus, vt in prægnantibus & lactantibus, ſiue infirmitas paupertatis, vt qui non tantum ſemel habent, quo quantum eſt poſſint refici, ſiue infirmitas laboris neceſſarij, qui non poteſt ſuſtineri à ieiunantibus, ſiue infirmitas peregrinantium. Excipiuntur itaque à neceſſitate ieiunij. I. ægroti. II. infirmæ complexionis. III. pueri. IIII. ſenes. V. prægnantes & lactantes. VI. Pauperes. VII. laborantes. VIII. peregrinantes. Et ſumpta ſunt hæc ex veteris Eccleſiæ ἐπιεικείᾳ quæ non propoſuit ieiunia cum opinione neceſſitatis, ſed abſtinebant quantum quiſque vel valebat vel volebat, ſicut Auguſtinus inquit: Nam qui ieiunare non valet, poteſt, iuxta Chryſoſtomi ſententiam, temperanter viuere, & in ſobrietate poteſt etiam carnem mortificare, pœnitentiam, orationem & reliqua pietatis officia exercere.

*Qui à ieiunãdi neceſſitate excipiãtur.*

*Nundinationes diſpenſationũ ieiunij.*

Inde vero Pontificij fecerunt nundinationes ſuarum diſpenſationum, non pro cauſis legitimis, ſed pro pecunia legitima. Hoc enim primo recte traditum fuit, & conſuetudine etiam obſeruatum, ſicut ipſi fatentur, quando cauſa excuſans à ieiunio legitima & euidens eſſet, non opus eſſe quærere diſpenſationem, ſed quemque per ſeipſum poſſe ſoluere ieiunium. In dubiis vero caſibus recurrendum eſſe, vel ad confeſſorem, vel ad arbitrium boni viri. Poſtea Hoſtienſis cœpit diſputare: Non ſufficere licentiam ſimplicis presbyteri, etiam ex iuſta cauſa, niſi ſumma neceſſitas immineat, ita quod ad Epiſcopum non poſſit haberi recurſus. Tales igitur diſpenſationes Epiſcopi ſenſim ad ſuas curias traxerũt, quia non gratis cõcedebantur, & factæ inde ſunt magnæ nundinationes. Quod cum Romana curia animaduerteret, pleroſque tales caſus ad ſe reuocauit, præſertim in redemptionibus & commutationibus ieiuniorum. Cumq; in curia Romana non ſcrupuloſe de cauſis legitimis, ſed de pecunia tantum pro diſpenſationib. numerãda diſputaretur, maluerunt pleriq; à ſede Romana tales bullas mercari, ſicut extant certæ taxæ indultorum pro licentia vtendi lacticiniis temporib. prohibitis, vt pro vna perſona Turonenſes 6. ducatos 2. pro tota familia Turonenſes 12. ducatos 3. Carolinos 6. pro toto oppido Turonenſes 200. ducatos 50. Nec difficilem ſe præbebat curia Romana, quando taxa illa numerabatur, ſicut Gabriel inquit: Noſtris temporibus per Apoſtolicę ſedis diſpenſationem, quæ facile conceditur, in quadrageſima lacticiniis generaliter pleriq; omnes vtuntur, frigeſcente vbiq; charitate & tepeſcente diſciplina Chriſtiana. Vnde reliqui nulla conceſſa diſpẽſatione ſimiliter lacticiniis vtuntur. Hæc Gabriel.

*Hoſtienſis.*

*Precia Romanorum indultorũ & licentia veſcendi cibis interdictis.*

*Gabriel.*

In hiſce capitibus conſiſtit ſumma doctrinæ Pontificiorum de ieiunio, quam ideo ipſorum verbis exponere volui, vt ad ea, quæ ex Scriptura & ex Patribus de ieiunio ſupra annotauimus, conferri poſſit, & ex ipſa collatione conſtitui, quam ingens ſit diſſimilitudo, vtq; eo rectius intelligatur, quid Pontificij velint intelligi, quando vel in Tridentino Decreto, vel in aliis ſcriptis de ieiunio loquuntur.

Honeſta eſt oratio, quando loquuntur de vtilitate exercitiorum ieiunij, vt quod habeat teſtimonia & exempla cum Scripturæ tum totius antiquitatis. Et quando declamitant, in noſtris Eccleſijs prorſus ſublata eſſe ieiunia, poteſt Lector turbari, exiſtimans eos loqui de ieiunio, quod in Scriptura traditum, & in veteri Eccleſia vſitatum fuit. Sed meminerit Lector ingens eſſe diſcrimen, & ſciat ipſos loqui de ſuo ieiunio, quod quale ſit, ipſorum verbis expoſuimus. Et talia ludibria ieiunij, tales ſuperſtitiones & impias opiniones, ſicut ex Pontificiorum libris deſcripſimus, ex noſtris Eccleſijs exploſa eſſe, gaudemus, & Deo gratias agimus, quod accenſa verbi ſui luce tenebras illas diſcuſſit: falſum vero eſt, nos in Eccleſiis noſtris nihil, vel de doctrina, vel de exercitiis veri ieiunij reſidui habere. Scimus enim ipſos etiam Scholaſticos tradere quod duplex ſit ieiunium, nempe ieiunium virtutis, quod dicunt eſſe actum temperantiæ ſeu ſobrietatis, & ieiunium Eccleſiæ, quod magis proprie ceremoniale ſeu pædagogicum ieiunium nominaretur: dicunt enim eſſe determinationem de tempore comedẽdi, & de qualitate ciborum. Nos igitur ad temperantiam ac ſobrietatem auditores noſtros ex verbo Dei ſedulo exhortamur, propoſitis prohibitionibus & comminationibus diuinis, contra crapulam & ebrietatem. Et Deo bene iuuante, inter poſtremi huius ſeculi crapulas, habemus multos, qui non ſimulato ſtudio, temperantiam & ſobrietatem ſectãtur ac colunt. Sed, inquis, ieiunium proprie dictum, aliquid amplius complectitur, quam temperantiam, quæ quotidiana & perpetua eſſe debet. Ego vero hoc non nego, ſupra enim ex Scriptura manifeſte hoc oſtendi. Reſpondeo autem per diſtinctionem: Si intelligatur ceremoniale ieiunium Pontificiæ Eccleſiæ, quod in prohibitione quorũdam ciborum, in obſeruatione temporum, & in tali opinione meriti, ſicut ipſi tra-

*Quale ieiuniũ in noſtris Eccleſiis. Temperantia docetur.*

dunt, conſiſtit, fatemur nos illud, non tantum non docere & exercere, ſed ex verbo Dei reiicere & damnare. Si vero intelligatur pedagogicum ieiunium, ſicut in teſtimoniis & exemplis Scripturæ deſcribitur, & in veteri puriori Eccleſia vſitatum fuit, certe doctrinam illam, ſicut eam ſupra ex verbo Dei deſcripſimus, Eccleſiis noſtris proponimus, & ad talia exercitia, ſicut in Scriptura proponũtur, quando carnis vel petulantia vel inertia hoc poſtulat, ad ſtudium ſeriæ pœnitentiæ, orationis, meditationis verbi & Sacramentorum, auditores noſtros exhortamur. Ac multi ſunt, qui acceſſuri ad meditationem verbi, ad exercitia precum communium, & ad cõmunionem Sacramentorum, pridie vel à cœna abſtinent, vel certe parciſſime cœnant. Exercitia vero talia Scripturis conſentanea, non magis vigere & florere, dolemus, vtque iuxta Scripturæ normam & exempla ſine ſuperſtitioſis legibus & impiis opinionibus, publice & priuatim reſtitui aliquando poſſint, ex animo optamus.

*Pædagogicum ieiunium in noſtris Eccleſiis.*

Conquerimur autem Pontificiorum ſuperſtitioſas leges, & impias de ieiuniis opiniones, cauſam dediſſe ad collapſam hanc diſciplinæ partem, & nunc etiam quo minus reſtituatur, obſtare, quod pro ſuis legibus & opinionibus accerrime pugnent Pontificij. Ex iis enim, quę in deſcriptione ieiunij Pontificij ipſorum verbis expoſuimus, facile colligi poteſt, quomodo vetera veri ieiunij exercitia iamdudũ collapſa fuerint. Lutherus certe ea non ſuſtulit, quia iampridem in Pontificia Eccleſia nulla talia ieiunia fuerunt, ſicut in verbo Dei traduntur, ſed ludibria potius veri ieiunij, ſicut collatio manifeſte oſtendit. Quod vero dictitant quidam, Lutherum in primo certamine debuiſſe abiectis abuſibus, ſuperſtitionibus, & impiis opinionibus ipſam ſubſtantiam ieiuniorum retinere. Ad hoc non difficilis eſt reſponſio: Nulla enim vera veri ieiunij exercitia tunc erant in Eccleſia Pontificia, ſed ludificationes tantum, ſicut oſtẽdimus, quas certe retinere nec voluit nec debuit Lutherus, imo prohibitionem ciborum, obſeruationẽ temporum, cum opinione neceſſitatis, & impias de merito opiniones, ſicut expoſuimus, omnino debuit iuxta verbum Dei reiicere & damnare. Atqui hæc tota ſubſtantia erat Pontificij ieiunij, quid igitur de illa vel debuit vel potuit retinere? Alia vero eſt quæſtio, quare non repudiato Pontificio ieiunio, exercitia Biblici (vt ita loquar) ieiunij Lutherus inter initia ſuorum certaminum reſtituerit? Sed ad hanc etiam quæſtionem facilis eſt reſponſio: Quia enim regnum Dei non conſiſtit in externis obſeruationibus, præſertim cibi & potus, Romanor. 14. ſed in pulchritudine filij regis interiori, Pſalm. 45. hoc eſt, in iuſtitia fidei, in cultibus interioribus, & in ſpiritualibus pietatis exercitiis. Corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis eſt, 1. Timoth. 4. Inepta & inutilis eſſet inſtauratio ſeu reformatio, ordiri ab externis obſeruationibus. Cum igitur abolitis ferme interioribus cultibus, & ſpiritualibus exercitiis pietatis, exiſtimaretur tunc totus Chriſtianiſmus conſiſtere in obſeruatione traditionum de ieiuniis & ſimilibus, additis impiis opinionibus neceſſitatis, iuſtitiæ, meriti, &c. Luthero vt ſapienti architecto de fundamento cogitandum fuit, vt ſcilicet falſas ac pernicioſas iſtas opiniones verbo Dei animis hominum eximeret, doctrinam de pœnitentia & iuſtitia fidei ex Scriptura illuſtraret, & ex hoc fundamento cultus ſpirituales reſtitueret, ac libertatem Euangelij in externis obſeruationib. ex verbo Dei declararet. Hæc fuerunt primaria præcipui momenti capita, quæ nec exigui temporis, nec pauci laboris fuerunt. Poſitis vero & illuſtratis primariis illis fundamentis, certe ieiunij etiam non oblitus fuit Lutherus, ſed diligenter oſtendit, quomodo genuina eius exercitia reſtitui poſſent, non externa illa ſpecie, ſicut veteri Prouerbio dicitur: Italorum deuotio, Germanorum ieiunia, fabam valent omnia, ſed iuxta normam verbi Dei, vt acceptabilia fierent ieiunia ad reprimendam carnis petulantiam. Hæc tractat in explicatione 6. capitis Matth. vbi dicit, à Magiſtratu poſſe externum ordinem politico fine inſtitui, de carne & piſcibus: ſicut in Saxonia abſque vllo mandato talis ordo politicus & Oeconomicus libere ſeruatur. Deinde addit, præcipue & ante omnia temperantię & ſobrietati ſtudendum. Poſtea adiungenda eſſe etiam exercitia ieiunij, proprie dicti, vt aliquando corpus caſtigetur, ſubtractione & cibi & omnium deliciarum corporis, non impia aliqua opinione meriti, ſed hoc fine vt carnis petulantia & inertia reprimatur, & caro ſpiritui ſubiiciatur, vtq; ad ferendas afflictiones, vbi opus fuerit aſſueſiat. Illud vero dicit, nec poſſe nec debere certis ac generalib. regulis præſcribi, ſed conſcientiis liberum eſſe relinquendum, prout quiſque carni ſuæ fræno opus eſſe animaduerterit. Temperantiam vero & ſobrietatem, ſemper & omnibus eſſe colendam. Illam doctrinam tradit in multis aliis locis, vt in libello germanico de vſu Chriſtianæ libertatis, in fine. Item, de bonis operibus, vt dicit, talem habendum eſſe delectum ciborũ in ieiuniis, prout quiſq; animaduertit, cibo aliquo concupiſcentias carnis ſuæ, vel inflammari vel reprimi. Eadem doctrina etiam in Auguſtana confeſſione, & eius Apologia repetitur: Et multis explicatur à Domino Brentio, in Apologia VVirtenbergenſi.

*Lutherus non ſuſtulit vera ieiunia.*

*Cur non retinuerit.*

*Cur non retinuerit ieiunia.*

*Quid Lutherus de ieiunio docuerit.*

Hæc volui hoc loco adiicere, ad reprimendam calumniam iſtam, quaſi in noſtris Eccleſiis, & doctrina & exercitia ieiunij proprie dicti, prorſus ſint extincta. Nobis certe exemplo Lutheri opera danda eſt, vt & doctrina de ieiunio diligenter tradatur & vera eius atq; vtilia exercitia, quantum in hac diſſolutione diſciplinæ fieri poteſt, reſtituantur. Nota eſt Domini Philippi querela in loco de mortificatione. Mundus nunc ſuperbiſſime excuſſit diſciplinam, & ſumit ſibi immodicam licentiam, pro qua graues pœnas aliquando Deo daturus eſt. Nam præterquam quod ipſa licentia coniuncta eſt cum intemperantia & aliis multis vitiis, illud mali etiam habet, quod in tali barbarica vita non poteſt doceri aut aſſueſieri iuuentus ad religionem, & paulatim induit contemptum religionis. Poſtea grandior ætas, neq; intellectum, neq; reuerentiam, neq; exercitia vlla religionis habet. Hæc ibi.

HISTO-

## HISTORIA CERTAMINVM DE ABSTINENTIA *& Ieiunio.*

IN tota hac diſputatione multa diſſimilia dicta Patrum, & varia exempla antiquitatis, ad ſuperſtitiones ſuas pingendas & ſtabiliendas, obiiciunt Pontificij. Ad quas obiectiones recte quidem, oppoſitis aliis ſanioribus ſententiis & exemplis antiquitatis, congruentibus ad normam ſacræ Scripturæ, reſpondetur: Sed illuſtrior eſt refutatio & explicatio ſolidior, ſi occaſiones ſententiarum & exemplorum, quæ in hac controuerſia agitari ſolent, monſtrentur. Intelligentia enim dictorum ſumenda eſt ex cauſis dicendi, ſicut Hilarius recte inquit. Illud vero cõmodiſſime oſtendi poteſt in obſeruatione hiſtorica, qualia ſingulis temporib. in Ecclesia de hac controuerſia fuerint certamina, quæ conſideratio & alias præterea habet vtilitates. Quia enim Paulus dicit, traditiones hominũ in hoc genere habere ſpeciem ſapientiæ in ſuperſtitione, ſiue cultibus electitiis ſeu voluntariis (vocat enim ἐθελοθρησκίαν) & in humilitate affligente corpus, Col. 2. Et doctrinas dæmoniorum habere prætextum externæ ſeu ſimulatæ ſanctitatis, quæ hypocriſis vocatur, 1. Tim. 4. vtile eſt in hiſtoria Eccleſię obſeruare, quomodo myſterium illud ſuperſtitionis & hypocriſeos, partim per hominum traditiones, partim per doctrinas dæmoniacas, omnibus temporibus ſe exeruerit, qua ſpecie ſimplicibus & bonis ſæpe impoſuerit, & quos veritatis ſuę teſtes Deus ſingulis temporibus excitarit, qui oppoſita norma ſacræ Scripturæ hypocriſin illã detexerunt, & ſuperſtitionem repreſſerunt, donec fermentum illud prorſus perſuaſit, & doctrinam & exercitia ieiunij.

*Hiſtoria ieiunij vtilis & neceſſaria.*

Contexemus igitur, quantum pro inſtituti noſtri ratione fieri poterit, breuiſſime hiſtoriam certaminum de ieiunio. Certum autem eſt, doctrinam & exercitia temperantiæ, ſobrietatis, ieiunij, & abſtinentiæ, oppugnari tanquam caſtris ex aduerſo poſitis, à ſpiritu γαστριμαργίας, crapulæ, ebrietatis, commeſſationum, intemperantiæ & luxuriæ, quæ vitia ex verbo Dei ſerio ſunt reprehendenda & damnanda, propoſitis ſeueriſſimis prohibitionibus & comminationibus diuinis. Sed illa vitia, vt opera carnis manifeſta, non poſſunt vlla ſpecie ſanctitatis velari, impietas enim eorum nullo prætextu, vel excuſari, vel defendi poteſt. Et ſi quid prætendatur ad excuſandas excuſationes in peccatis, facile prætextus omnes poſſunt detrahi, maxime ipſa conſcientia cogitationibus inuicem accuſantibus, atteſtante in mentibus non prorſus reprobis. Neceſſario tamen & ſerio hoſtes illi, qui abſtinentiam & ieiunium à ſiniſtris crapula & ebrietate impugnant, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, iuſto zelo ſunt inuadendi, & ex Eccleſia Dei profligandi. A dextris vero, quo maiori ſpecie, eo periculoſius per ſuperſtitionem & hypocriſin ſana doctrina, & vera exercitia ieiunij impugnantur, & admixto ſuperſtitionis fermento deprauantur. Verum enim eſt quod Chryſoſtomus dicit: Nihil tam periculoſe deprauat bonum, quam hypocriſis ſeu ſimulationum malum ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, non cauetur. Quod igitur ad hãc partem de ſuperſtitioſis opinionibus, ieiunio admixtis, attinet: hiſtoricas quaſdã obſeruationes annotabimus. Primo, quomodo ipſa Scriptura tales ſuperſtitiones, & taxet & cauendas præmonſtret. Secundo, quomodo externæ Gentium Religiones hypocriſin illam æmulatæ ſint. Tertio, quomodo ſub nomine & titulo Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum, Apocrypha Scripta & ſuppoſititia exempla, ab ſtabiliendas iſtas ſuperſtitiones, Eccleſiis obtruſa fuerint. Quarto, quomodo ſæpe ſimplices & boni ſpecie illa ſapientiæ & ſanctitatis circumuenti, ligna, fœnum, & ſtipulas ſuper fundamentum extruxerint. Quinto, quomodo ab hæreticis doctrinæ iſtæ dæmoniorum ſparſæ, & qua ſpecie propugnatæ fuerint. Sexto, quomodo & per quos teſtes, ex quibus etiam fundamentis Eccleſia melioribus temporibus ſuperſtitionibus illis ſe oppoſuerit. Et quomodo facta inclinatione ſenſim fermentum ſuperſtitionum in doctrinam & exercitia ieiunij primũ admiſſum, poſtea vero certatim inuectum & receptum fuerit. Hęc capita in quibus pręcipuę obſeruationes conſiſtunt, prout ordo hiſtorię ſe obtulerit, ſimpliciter explicabimus, atque inde multarum obiectionum ſolutiones vltro ſe offerent.

*Oppugnatur ieiunium à crapula.*

*Hypocriſis.*

*Capita hiſtoria de ieiunio.*

### QVALES SVPERSTITIOSAS OPI*niones ieiunio, tunc admixtas ipſa Scriptura taxet & refutet.*

SVpra ex Scriptura ipſa oſtendimus, quod optimis etiam Eccleſiæ temporibus, quando ſcilicet Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli docuerũt, ieiuniis admiſceri cœperint prauæ & ſuperſtitioſæ opiniones, quas quando Scriptura refutarit, in præcedentibus explicauimus. Hoc loco tantũ hiſtoricas obſeruationes ex locis illis Scripturæ annotabimus, quæ ſcilicet, & quales ſuperſtitioſæ opiniones illis temporibus in doctrinam & exercitia ieiunij irrepere cœperint, quas Deus ipſe magno zelo improbauit.

*Certamina Scripturæ cõtra ſuperſtitiones ieiunij.*

Et in Scriptura ſane non occurrit exemplum de talibus ieiunij ludibriis, qualia in papatu vſitata eſſe iam oſtendimus. Quod ſcilicet ſimularint ſe ieiunare, & interea vel piſcium lautitiis, vel aliis confectionibus ſe, vel ad nauſeam, vel ad ſaturitatem repleuerint. Sed per totum diem nõ cibis tãtum, verum aliis etiam corporis delectationibus, aſſumptis lugentium ritibus abſtinuerunt, ita vt ieiunium eſſet afflictio animæ ſiue caſtigatio corporis, ſicut oſtendunt loci Iſai. 50. Ier. 14. Zach. 7. Matth. 6. In huiuſmodi vero ieiuniis, in quibus, quo ad ſubſtantiam (vt ita loquar) nihil deſiderabatur, Scriptura tamen ſuperſtitioſas opiniones reprehendit, vt quod exercitia ieiunij non referebant ad pios illos fines, quos ſupra ex verbo Dei deſcripſimus: ſed fingebant ipſum opus operatũ ieiunij per ſe eſſe cultũ Dei. Quare aiunt, Eſai. 58. Ieiunauimus & non aſpexiſti, afflixımus animas noſtras, & tu ignoras? Imo fingebant, ieiunium opus eſſe meritorium, propter quod & oratio exaudiretur, Ierem. 14. & ira Dei verteretur, ſicut Zach. 7. fingunt, ſe ob ieiunia ſua 4. Menſium ex captiuitate eſſe liberatos. Taxatur & illa opinio in Zacharia, quod tẽporalia ieiunia, quæ exemplo Scripturæ ob præſentes calamitates, ad excitandam pœnitentiæ & orationis maiorẽ deuotionem, indicta fuerãt, vole-

*Vetus Teſtamentum, contra opus operatũ ieiunij. Contra meritum. Contra leges traditionum.*

volebant conuertere in ſtata, perpetua, & neceſſaria ieiunia,& ex talibus ieiuniis, à Deo non mandatis, peculiares cultus facere. Et hæ ſunt præcipuæ ſuperſtitioſæ opiniones, quæ tempore veteris Teſtamenti leguntur in exercitia ieiuniorum irrepſiſſe, quas Prophetæ magno zelo damnarunt. Illas hoc loco breuiter tantum perſtringo, ſupra enim refutationes plenius ſunt explicatæ.

*Nouum Teſtamentum. Contra hypocriſin ieiunij.*

In nouo vero Teſtamẽto Chriſtus, Mat.6. illam Phariſæorum opinionem reprehẽdit, quod pietatem & ſanctitatem putabant ſitam eſſe in externa obſeruatione traditionum de ieiuniis, nam propter opinionem & laudem ſanctitatis, oſtendebant ſe externis geſtibus, vt ab hominibus viderentur ieiunare. Sed Phariſæus Luc.18. habuit opinionem meriti iuſtitiæ coram DEO per ſuum Ieiunium. Cum enim non eſſet à Deo mandatum bis in ſeptimana ieiunare, tanquam opus ſupererogationis hoc ſuum ieiunium iudicio Dei opponit in articulo iuſtificationis: hoc enim parabola agit, vter inter duos illos iuſtificatus deſcẽderit, & quid vterq; ad Deum pro iuſtitia attulerit. Atq; in hanc ſententiam Phariſæus inter cætera dicit: Ieiunio bis in Sabbato, ſed deſcendit nõ iuſtificatus. Hoc manifeſtiſſimum eſt, quod ea fuerit opinio Phariſæi iſtius de ſuo ieiunio.

*Contra meritum iuſtitiæ. Cõtra ſupererogationem.*

*Contra leges ieiuniorum.*

De ſtatis etiam ſeu certis ieiuniorũ temporibus Phariſæi & Baptiſtæ diſcipuli, quaſi exprobrandi cauſa, quęſtionem Chriſto proponũt, quare ſuos etiam diſcipulos non aſſuefaciat ad ieiunia certi ſeu ſtati temporis, ſicut nõ Phariſæi tantum, ſed Baptiſta etiam ſuos diſcipulos ad talem diſciplinam aſſuefecerit, & ibi certe tempus & occaſio fuiſſet, ſi quid tale in nouo Teſtamento Chriſtus ſtatuere, & diſcipulis ſuis iniungere voluiſſet. Ieiunauerat ipſe 40. dies, & hoc ſuum ieiunium poterat diſcipulis, vel quo ad anniuerſarium tempus, vel quo ad numerum dierum, vel quo ad ciborum diſcrimen, imitandum proponere. Sed nihil horum etiam oblata per quæſtionem illam occaſione facit. Viuebat ipſe cum diſcipulis, non in abundantia, ſed ex piorum Eleemoſynis, temperanter, ſobrie, & parce, vt ob carnis laſciuiam ſubigendam, nõ opus ipſis eſſet Ieiunio. Cumq; perſecutiones & aliæ calamitates nondum vrgerent Apoſtolos, dicit ipſos, qui tunc vt filij nuptiarum tractabantur non eſſe adigendos ad ieiunia, Luc.5. Superuenturas vero perſecutiones & calamitates monſtraturas ipſis tempus, quibus diebus lugendum & ieiunãdum ſit. Et hoc diligenter obſeruetur: valde ſpecioſum enim argumentum eſt, quod Baptiſta inter natos mulierũ Propheta maximus, à cuius prædicatione nouum Teſtamẽtum initium ſumpſit, rigidam & auſteram vitam duxerit, non veſcens vulgaribus & vſitatis cibis. Cumq; diſcipulos etiam ſuos, ad diſciplinam certis temporibus frequenter ieiunandi aſſuefecerit, ſicut hiſtoria illa indicat, Matth.9. Et Phariſæi ex ipſo fundamento proponunt Chriſto quæſtionem, quare non illud Baptiſtæ exemplum diſcipulis ſuis imitandum proponat, ſi maxime Phariſæorũ traditiones de ieiuniis probare nolit? Chriſtus vero reſpondet: Filios nuptiarum non eſſe huiuſmodi legibus ad ieiunia adigẽdos (hoc enim verba Lucæ volunt μὴ δύνασθαι ποιῆσαι νηστεύειν.) Et rationem addit, vetuſtatem, ſiue diſciplinæ legalis, ex qua Baptiſta aliquid retinuit, ſiue traditionũ humanarum vnde Phariſæi ieiunabant, non eſſe aſſuendam nouitati Euangelicæ, talem enim mixturam non prodeſſe, ſed obeſſe.

*Baptiſtæ exemplum.*

Ita enim & Hieronymus ſimilitudinem de veſtimento veteri, & aſſumento nouo, interpretatur. Num vero, quia liberum facit Chriſtus ieiunium in nouo Teſtamẽto, prorſus tollit vel prohibet illud? Minime. Oſtendit enim Matth. 9. quomodo ſit ieiunandũ, vt pater cœleſtis, videns rependat. Sed non vult legibus ad certa tempora neceſſitatis opinione alligatum eſſe ieiunium. Crux vero inquit, & negotiorum grauitas præbebunt occaſionem, & monſtrabunt tempus ieiunandi, ſicut & in veterum exemplis illud conſpicitur. Et valde memorabilis eſt hæc obſeruatio, de exemplo Baptiſtæ & diſcipulorum eius. Ne enim hęc in nouo Teſtamento, opinione neceſſitatis, meriti, vel ſupererogationis, ad imitationem traherentur, & leges inde conderentur, vel de temporibus ieiuniorum, vel de qualitate cibi, Chriſtus noluit diſcipulis ſuis imitationem eius exempli iniungere, imo oſtendit illud pertinere ad vetuſtatem veteris Teſtamenti, quæ nõ ſit aſſuenda libertati noui Teſtamenti.

*Ciborum delectus.*

Et ipſe Chriſtus propter hanc ipſam cauſam, noluit rationem victus à Baptiſta ſeruatam imitari, ſed maluit in collatione ad Baptiſtam, vocari à Phariſæis homo vorax, & potator vini, vt oſtenderet, nec in abſtinendo nec in manducando ſitam eſſe iuſtitiam Euangelij, ſicut Auguſtini Gloſſa tradit. Et videtur Chriſtus huc etiam reſpexiſſe, cum diſcipulis emiſſis hoc mandati daret: Quicquid vobis apponitur, comedite. Paulus enim 1. Corin.10. ſententiam illam repetens addit: Nihil interrogantes propter conſcientiam. Et hæc ex Euangelica hiſtoria Chriſti de ſuperſtitioſis ieiuniorum opinionibus obſeruanda ſunt.

In Pauli vero ſcriptis apparet opiniones iſtas longius progreſſas. Quia enim Apoſtoli in caſu ſcandali propter infirmos in fide, vſum libertatis in cibis ita moderabantur, ſicut prolixe tradit Paulus, Rom.14. Et Synodus Apoſtolica, Act. 15. cõſtituerat, neceſſarium eſſe abſtinere ab idolothytis, ſuffocato & ſanguine, neceſſitate ſcilicet charitatis erga infirmos, in fide, in caſu ſcandali: Inde Pſeudoapoſtoli fecerunt neceſſitatem legis, iudicantes conſcientias, etiam extra caſum ſcandali, in talibus & ſimilibus cibis. Paulus igitur ex loco de libertate Chriſtiana reſpondet, ſine ſcrupulo propriæ conſcientiæ, quicquid in macellio venditur, & quidquid apponitur, libere manducari poſſe, 1. Corinth.10. & neminem debere nos iudicare in cibo & potu, Col.2. Vbi non obſcure etiam Paulus oſtendit, ſuo tempore tentata fuiſſe noua Decreta iuxta doctrinas & mandata hominum, de non guſtandis quibuſdam cibis, idq; nõ Moſaica opinione, ſicut Pſeudoapoſtoli faciebant, ſed ſub ſpecie ſingularis ſapientiæ, ſub prætextu humilitatis & afflictionis corporis, ad peculiarem cultum Dei. Hæc enim ſunt Pauli verba, Col.2. ex quibus colligitur Pauli tempore traditas fuiſſe à quibuſdam has de ieiunio opiniones, quas ipſe, vt ſuperſtitioſas, reprehẽdit. Quia enim ieiuniũ ad humiliationem animi, & caſtigationem corporis facere conſtabat, iſti ſub hoc prætextu, ſapientiæ ſpecie, primo certis

*Paulus cõtra Leuiticum ciborum diſcrimen.*

*Contra traditiones humanas.*

*De tempore. De cibis. De opere operato.*

certis decretis & mandatis humanis, ad certa tempora determinabant ieiunia. Secundo, in prohibitione & delectu ciborum quorundam conſtituebant ieiunium, ne tetigeris, ne guſtaris. Tertio, ex opere operato ieiunij faciebãt peculiarem cultum Dei ἐθελοθρησκίαν. Quarto, corporis nullam curam habere, ſed ſubtractione debiti honoris, ſeu neceſſarij ſubſidij illud vexare, lædere, & male afficere, putabant magnam eſſe humilitatem, ſanctitatem, & peculiarem cultum Dei. Quomodo vero Paulus hæc refutet, ſupra ex contextu oſtendimus. Hoc loco tantũ hiſtoriam colligimus, quæ ſuperſtitioſæ opiniones tempore Apoſtolorum, doctrinæ & exercitiis ieiunij aſſui cœperint, quas Apoſtoli refutarunt & dãnarunt. Nec vero de ſui tantũ temporis ſuperſtitionibus in ieiunio Paulus loquitur, ſed per ſpiritum præmonſtrat, quod ex ſuperſtitionibus iſtis humanarum traditionum, in poſterioribus temporibus futuræ ſint doctrinæ dæmoniorum, prohibentium quoſdam cibos, ſeu in hypocriſi præcipientium abſtinere à quibuſdam cibis. Et tradit Timotheo, quomodo hac in re erga tales opiniones in officio ſuo ſe gerere debeat, vt ſit bonus miniſter Chriſti, retinens formã ſanæ Apoſtolicæ doctrinę, ne ſcilicet tales opiniones, & doctrinas, vel excuſet, vel diſſimulet, ſed detracta hypocriſi, tanquam falſas & ſeductrices, imo diabolicas arguat, & oppoſita vera ſententia, refutet. Sed de loco illo Pauli ſupra dictum eſt, nunc tantum, quæ hiſtorica ſunt, annotamus.

*Vaticinium Pauli.*

*Nota.*

Hæc de certaminibus in hac materia ieiunij, quorum in Scriptura mentio fit, in principio huius hiſtoriæ, exponere volui, vt obſeruetur, non nouũ eſſe, ſed facile accidere poſſe, quod ſuperſtitioſę opiniones aſſuantur ieiunio, vt nec vetuſtati opinionum, nec antiquitati exemplorum, niſi ad normam verbi Dei cõgruant, aliquid tribuatur. Si enim temporib. Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, tales opiniones irrepſerũt, quid non putamus poſterioribus temporibus factum eſſe? Et vt moueamur exemplo Scripturæ diligẽter vigilandum eſſe, ne fermentum ſuperſtitioſarum opinionum in doctrina ieiunij diſſimuletur, quaſi nõ multum referat, ſed vt ſerio taxetur, refutetur, expurgetur, & damnetur. Poſtremo ideo etiam hiſtoricam illam obſeruationem ex Scriptura præmittere volui, quia omnes ferme ſuperſtitioſæ opiniones, quæ in regno Pontificio, & aliis temporibus ieiunio admixtæ fuerunt, in Scriptura præmonſtratæ & damnatæ ſunt, vel in ſpecie, vel certe in genere, vt mirum ſit hypocriſin tantum valuiſſe, quod cõtra luculentas Scripturæ præmonitiones, illæ ipſæ opiniones, quæ in Scriptura damnatæ ſunt, in Eccleſiã poſtea inuaſerint. Sed Paulus dicit, Spiritum ſanctum diſerte, quod hoc futurum eſſet, prædixiſſe. Ad omnia igitur, quæ in hac hiſtoria ſequentur, illa quæ ex Scriptura iam annotauimus, normam & regulam diiudicandi præbebunt.

*Superſtitiones in ieiunio non nouæ.*

*QVID EXTRA GENTIVM RELIgiones operi operato ieiunij, & delectui ſeu prohibitioni quorundam ciborum tribuerunt.*

A Quo ſpiritu profecta ſit illa opinio, quod ipſum opus operatum ieiunij, præcipue vero abſtinentia à quibuſdã cibis, ſit cultus Dei; Paulus manifeſte oſtẽdit, cum vocat doctrinam Dæmoniorum. Id quod inde etiã apparet, quod idem Spiritus, in externis gentium Religionibus idololatrici cultus ſanctitatis & puritatis partem non poſtremam, in opere operato ieiunij, & pręcipue in abſtinentia quorundam ciborum poſitam eſſe voluit, κακοζηλίᾳ quadam legis Moſaicæ. Ita Hieronymus aduerſus Iouinianum, libro ſecundo, citat ex Chæremone Stoico deſcriptionem vitę antiquorum Ægypti ſacerdotum, quod ſcilicet ex eo tempore, quo cœpiſſent diuino cultui deſeruire, carnibus & vino ſe ſemper abſtinuerint, propter tenuitatem ſenſus & vertiginem capitis, quem ex prauo cibo patiebantur, & maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & hoc potu naſcuntur. Pane raro veſcebantur, ne onerarent ſtomachum, & ſi quando comedebant, tuſum pariter hyſſopum ſumebant in cibo, vt eſcam grauiorem illius calore decoquerent, oleum tantum in oleribus nouerant, verum & ipſum parum propter nauſeam & aſperitatem guſtus leniendam. Quid loquar, inquit de volatilibus, cum ouum quoque pro carnibus vitauerint & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant colore mutato. Ibidem ex Eubulo citat Hieronymus, quod apud Perſas tria fuerunt Magorum genera, quorum primi doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo ſumpſerint. Ex Euripide etiam citat, Iouis Prophetas in Creta, non ſolum carnibus, ſed & coctis cibis abſtinuiſſe. Et ex Xenocrate, quod apud Athenienſes in Templo Eleuſinæ tria præcepta fuerunt propoſita: Honorandos parentes, venerandos Deos, & carnibus non veſcendum. Ita Volateranus lib. 13. cap. 4. Antrop. ſcribit, Amphiaratum ſummum vatem iuſſiſſe Sacerdotes, qui reſponſa clara accipere & reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduo abſtinere. Et Alexander ab Alexandro, libr. ſexto. cap. ſecundo ſcribit, apud Trœzenios, qui ad Aridali aram rem diuinam facere, & Deorum reſponſa petere vellent, per integrum diem à cibo, à vino autem per triduum, abſtinuiſſe. Idem libr. 4. cap. 7. ſcribit: Indorum Magos, quando ad Solis Sacerdotium euecti erant, carnibus penitus abſtinuiſſe. Et capit. 17. Qui Iſidis ſacris initiandi erant, dies decem carnibus & vino abſtinebant. Numa enim pro frugibus ſacra facturus, eſu carnium & Venere abſtinebat. Rauiſius ſcribit, Ægyptiorum Sacerdotes tridui inediam ſolitos ſuſtinere, priusquam ſacra faceret. Polydorus Virgilius ex Liuio citat, Matrem initiaturam filium Bacchanalibus dixiſſe, decem dierum caſtimonia opus eſſe. Idem ex Herodoto narrat, Ægyptios pridie diei feſti, quo immolaturi erant, ſolitos ſolenne ieiunium habere. Ita enim diabolus Magis ſuis coniuratoribus iniungit, vt ante coniurationes per aliquot dies ieiunent, & à carnibus abſtineant. Mahomet etiam partem cultus ſuæ religionis conſtituit in abſtinentia vini, & in ſtatis ieiuniis, ſicut in obſidione Conſtantinopolis tridui ieiunium indixerunt Turcæ, ac captam deinde vrbem, merito operis ieiunij acceptam tulerunt. Illa exempla gentilium præbent explicationem eius, quod ciborum quorundam ſub ſpecie ſanctitatis prohibitio-

*Delectus ciborum apud Sacerdotes Aegypti.*

*Apud Magos.*

*Apud Iouis Prophetas.*

*In ſacris Eleuſiniis.*

*Apud Vates.*

*In ſacris Solis, & Iſidis.*

*Numa.*

*Magi.*

hibitionem, Paulus vocat doctrinam dæmoniorum. Et oſtendunt qualis ſit opinio conſtituens cultum Dei in opere operato ieiunij.

### *DE ESSAEORVM ABSTINENtia & quomodo illa in Eccleſiam irrepſerit.*

HIeronymus lib.2.aduerſus Iouinianum, ita ſcribit: Ioſephus Eſſæos miris effert laudibus, quod & ab vxoribus, & vino, & carnibus ſemper abſtinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam. *Eſſæi apud Ioſephum.* Sed Ioſephus in Eſſeorum deſcriptione, in libris de antiquitate, & de bello Iudaico, illa de ieiuniis Eſſæorum, & de abſtinentia & carnibus non habet, ſed deſcribit νῆψιν, hoc eſt, ſobrietatem, frugalitatem, ſeu temperantiam ipſorum, quod ſcilicet à laborib. hora quinta, quæ nobis eſt vndecima, conuenerint ad prandium, & veſperi ad cœnam, vbi panis & vaſculum ex vno & eodem pulmento ſingulis fuerit propoſitum. Et quia interpres pulmentum vocat, colligere quidam inde voluerũt, id quod Hieronymus ſcribit. Sed Ioſephus vocat ἔδεσμα, quod generaliter ſignificat quoduis edulium. Apud Philonem vero deſcriptio illa extat, qui dicit: Eſſæorum quoſdã coluiſſe vtiam practicam quos Ioſephus deſcripſit. Alios vero circa θεωρίαν fuiſſe occupatos, qui vulgo ἱεραπευταὶ vocati fuerint, *Eſſæi Philonis.* illorum vitam peculiari libello Philo deſcripſit, in quo de ieiuniis & abſtinentia ipſorum hæc ſcribit: ἐγκράτειαν, inquit, hoc eſt temperantiam ſeu abſtinentiam, quaſi fundamẽtum quoddam in anima iacientes reliquas virtutes ſuperſtruunt. *Eſſæorum ieiunia.* Et qualis fuerit ipſorum abſtinentia ita deſcribit. Cibum, inquit, aut potum nemo ipſorum capit ante Solis occaſum. Quidam, porro inquit, quibus maius ſcientiæ deſiderium inſidet, per totum triduum non cogitant de cibo. Nonnulli vero ita capti ſunt illecebris ſapientiæ, vt duplo plus temporis abſtineant, & expletis ſex diebus vix alimentum neceſſarium deguſtent, imitati cicadas, quæ cantantes aëre nutriuntur. Septima vero die, inquit, quæ ſacra eſt, poſt animarum curam, etiam corpus paſcunt. Nihil autem opipari vel lauti parant, ſed vtuntur pane ſimplici: obſonium ipſorum, eſt ſal: quibus οἱ ἁβροδίαιτοι, delicatiores, hyſſopum adiiciunt. Potus ipſorum aqua ex fluentis hauſta. Et poſtea inquit: In diebus quibus cœnant, vinum non præbetur, ſed aqua limpidiſſima, pluribus quidem frigida, ſenioribus vero calida, τράπεζα καθαρὰ τῶν ἐναίμων, menſa pura eſt à dapibus cruentis, hoc eſt, animantium, quæ ſanguinem habent. In qua menſa panes ſunt cibus, obſonium verò ſales, quibus aliquando hyſſopus tanquam condimentum pro delicatioribus addit. Et rationem addit, οἶνος γὰρ ἀφροσύνης φάρμακον, vinum enim ipſis habetur, vt venenum dementiæ: obſonia vero opipara (τῶν θρεμμάτων) ex animantibus iudicant, maxime prouocare concupiſcentiam, διερεθίζειν τὴν ἐπιθυμίαν. Hæc Philo.

Quia vero Philo ſcribit, quemlibet ipſorum habuiſſe domunculam quãdam ſacram, quæ vocitata fuerit σεμνεῖον καὶ μοναστήριον. Euſebius inde vult elicere, fuiſſe ritus primorum Chriſtianorum, temporibus Apoſtolorum: maxime cum Euſebij tempore ferme talis fuerit Monachorũ vita. Et quia Philo illud genus hominum ſcribit vbique in aliis etiam orbis locis fuiſſe, maxima vero copia in Ægypto, & circa Alexãdriam multiplicatum fuiſſe. Pontificij ex Hieronymo fingunt, Marcum ex traditione & præſcripto Petri, tale genus vitæ inſtituiſſe, vt eſſet peculiaris cultus ſeu θεραπεία Dei. Et formam vitæ monaſticæ inde ſumptã eſſe, tota illa deſcriptio Philonis oſtendit. De carniũ etiam eſu pleriq; patres Eſſæorum rationem reddunt, quod ſcilicet cõcupiſcentiam carnis prouocent. Et Hieronymus etiã hinc ſumpſit, quod ad Euſtochium virginẽ ſcribit: Vinum vt venenum fugiendum eſſe, propter quod dictũ ipſe fatetur, ſe à multis reprehenſum fuiſſe. Ac magnã profecto ſpeciem illa antiquitas habet, ſi ab Apoſtolis inſtituta & probata, atq; à primis fidelibus Apoſtolorum tempore vſurpata fuiſſet. Quæ ſpecies & olim valde multos ſeduxit, & nunc à Pontificiis tanquam caput Gorgonis prætenditur. Sed ne opus ſit coniecturis agere, habemus teſtes certiſſimos, quomodo deſcriptio illa Philonis intelligenda ſit. *Sozomenus.* Sozomenus enim lib.1.cap.12. inquit: Hæc ſcribens Philo, voluit ſignificare illos Ebræos, qui ſua ætate Religionem quidem Chriſtianum profitebantur, adhuc tamen morem Iudæorum ἰουδαϊκώτερον in vita ſequebantur, & eorum inſtituta ſeruabant. *Sophronius.* Idem repetit etiam Nicephorus. Et Sophronius in vita Marci inquit: Philo videns primã Eccleſiam Alexandriæ iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ, ſuper eorum conuerſatione ſcripſit: Hæc diligenter ſunt notanda, ne titulo & prætextu antiquitatis nobis imponatur. *Vnde illud inſtitutũ apud Philonem.* Non enim Apoſtolica eſt traditio, quã Philo deſcribit, nec ex Apoſtolorum doctrina, aut præſcripto inſtituti fuerunt tales cultus: ſed reliquiæ fuerũt veteris fermenti Eſſeorum, quod ipſius etiam ad fidem Chriſti conuerſis adhæſit. Et ſi deſcriptio hæc Philonis conferatur ad ea, quæ Hieronymus ex Chæremonte de vita veterũ idololatricorum Ægypti Sacerdotum tranſcripſit, apparebit, Philonis Eſſæos mixturam feciſſe ex Iudaiſmo & Paganiſmi traditionibus, & illis opinionem cultus affinxiſſe. Et tamen ſub titulo & prætextu Apoſtolicæ antiquitatis exemplum illud ad imitationem & olim obtruſum fuit multis, & nunc etiam à Pontificiis tanquam in triumpho ducitur, ad ſtabiliendam prohibitionem ciborum, & opinionem cultus, tanquam Apoſtolicam, quod diligenter obſeruandum eſt, valde multa enim diiudicari poſſunt.

Quia vero Philo hiſtoriam illam ſcripſit, docentibus adhuc, & in carne viuentibus Apoſtolis, (ad Caligulam enim legatus fuit miſſus, & poſtea ſub Claudio orationem contra Cajum in frequẽti Senatu recitauit) operæ precium eſt cõſiderare, extentne in Apoſtolorum ſcriptis veſtigia quædam, vnde colligi poſſit, quid de inſtituto illo (quod cum eſſet celebre, & varia loca, ſicut Philo inquit, peruagaretur, Apoſtolos latere nõ potuit) ſenſerint probarintne illud, aut ad imitationem propoſuerint, an vero improbarint? Si enim tale quid oſtẽdi poſſet, res eſſet planiſſima. *Paul. Col. 2. ad inſtitutũ illud apud Philonem reſpexit.* Aliquoties autem iam dictum eſt de loco Pauli Col. 2. Et quia Paulus ibi reiicit doctrinas & mãdata hominum, quæ ſub ſpecie ſapientiæ, cultus & humilitatis decreta tunc faciebant, de non guſtandis quibuſdam cibis, & de immodica

abſti-

abſtinentia lædente corpus. Inde, quòd ad res ipſas attinet, manifeſtum eſt, quid Paulus de iudaizante illo Eſſæorum inſtituto ſenſerit.

Diligenter autem contuli hunc Pauli locum ad Philonis illam deſcriptionem, & deprehendi, verba in eo loco à Paulo ita poſita, vt quaſi intento ad fontem digito, monſtrare voluerit, quòd de illo Eſſæiſantium inſtituto loquatur. Quia enim Philo dicit, quoſdam ob amorem σοφίας, neglecta corporis cura per triduum, imò per ſex ſępe dies, vix deguſtare aliquid, hoc Paulus ita exprimit: Habent ſpeciem σοφίας, non habentes curã corporis. Et quòd Philo dicit, ipſos σωματικὰς ἀνάγκας non dignas ducere, quibus aliquid temporis in die tribuant, hoc Paulus vocat ἀφειδίαν σώματος, gloriabantur enim, ſe ſoli animæ viuere. Philo dicit, ipſos inſtitutum ſuum vocaſſe θεραπείαν, hoc eſt, cultum; & ſe θεραπευτὰς, hoc eſt, cultores. Illud verò Paulus in eo loco ἐθελοθρησκείαν, cultũ peculiarem vocat. Cumque illi ſe vocarent ἱκέτας, ſicut titulus Philonis habet, quaſi ſupplices tatione humilitatis: Paulus ideò ſpeciem ταπεινοφροσύνης taxat. Ipſum etiã verbũ δογματίζεσθαι, quod Paulus ibi vſurpat, ex Philonis deſcriptione ſumptum eſt, illa enim Eſſæorum exercitia vocat σοφίας δόγματα. Et illa ipſa Mimeſis Pauli μὴ γεύσῃ, ne guſtaris, reſpicit ad id, quod Philo dicit: Vix poſt ſex dies ἀπογεύεσθαι neceſſarium cibum. Sicut & vocabulum πλησμονῆς, quod in deſcriptione illa Philonis extat, Paulus eo in loco vſurpat.

Et quia Philo de theoriis ipſorum grandia philoſophatur, ita vt concludat, ipſos eſſe cœli ciues, ac Patri ac Creatori omnium verè aſſiſtere. Ideò Paulus dicit: Inflatus mente carnis in his, quę non vidit ἐμβατεύων. Ioſephus etiam ſcribit, Eſſæos iactare nomina quædã Angelorum, ideò Paulus in illo loco Angelorum etiam mentionem facit. Cumq; ἄσκησις illa multis arrideret, & magnis præconiis extolleretur, Paulus 1. Timo. 4. dicit: Corporalis exercitatio ad modicum prodeſt, pietas verò ad omnia vtilis eſt. Rationes etiam Eſſæorum de potu aquæ, & abſtinentię à carnibus, quaſi vſus vini & carnium per ſe (aliud eſt enim loqui de crapula & ebrietate) ſit venenum dementiæ, & irritamentũ concupiſcentiæ carnis: Paulus quaſi ex profeſſo refutat, cùm Timotheo præſcribit, ne amplius aquã bibat, ſed modico vino vtatur propter ſtomachum, & cum de cibis dicit. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur.

Hæc ideò annotaui, vt Lector vtrunq; locum & Philonis & Pauli inter ſe conferat. Videbit enim, Paulum & verbis & ſententiis oſtendere, quòd de illo Eſſęorum inſtituto, quod tantis encomiis Philo euehit, loquatur. Rem ipſam certè quod in illo Eſſęorum inſtituto, ad abſtinentiam à quibuſdam cibis, & in multos dies cum læſione corporis producta ieiunia, eo fine, vt eſſet cultus Dei, attinet, Paulus in eo loco manifeſtè, & quaſi ex profeſſo improbat & refutat. Et vtile eſt obſeruare, cùm Apoſtoli ieiunium, & docuerint, & ipſi exercuerint, quòd tamen ſuperſtitioſas opiniones, quæ primis etiam illis temporibus, inter Chriſti nomen profitentes, magna ſpecie irrepere incipiebant, acriter reprehenderint & refutarint. Ac tota hæc hiſtoria monet, ne teſtimoniis & exemplis extra Scripturam canonicam, etiam ſi ſpecioſo titulo antiquitatis, & Apoſtolicarum traditionũ, à multis & magnis etiam viris cõmendẽtur, temerè credamus, niſi ad normam Canonicæ Scripturæ ꝓbè examinata fuerint, iuxta Pauli præceptum: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

*DE ADVLTERINIS ET SVPPOSITITIIS Scriptis, quibus ſuperſtitioſæ Leges & opiniones de ieiuniis, extra & contra Scripturam Canonicam ſtabiliuntur.*

HActenus oſtendimus, & extra controuerſiam manifeſtum eſt, nec Chriſtum tuliſſe nec Apoſtolos Eccleſiæ præſcripſiſſe Leges, ſiue de tempore, quibus diebus ſit ieiunandum vel nõ ieiunandum, ſiue de diſcrimine aut delectu ciborũ, quibus tempore ieiunii, vel ſit vtendũ, vel non vtendum. Sparſa autem fuerunt varia adulterina & ſuppoſititia ſcripta, ſub nomine & titulo, vel Apoſtolorũ, vel virorũ Apoſtolicorũ, in quibus tales leges de ieiunio continentur. Et illa quidẽ Scripta in primitiua Eccleſia, tanquam Apocrypha reiecta fuerunt. Sed *Apocrypha.* cùm poſtea quidam ex veteribus (ſicut in prima parte oſtendimus) ſolerẽt illis, quæ in huiuſmodi apocryphis ſcriptis extant, titulum traditionum Apoſtolicarum tribuere, ſpecies illorum titulorũ multis impoſuit. Et quia nunc etiam ta- *Titulus traditionũ quid.* lia, quaſi ab Apoſtolis tradita, à Pontificiis vrgẽtur, annotandæ nobis erunt hiſtoricæ quædam obſeruationes de ſuppoſititiis ſeu adulterinis illis Scriptis, quæ obſeruatio ad hoc etiam vtilis erit: Quando enim Patres quidã dicunt, ieiuniũ quadrageſimę, vel aliquod aliud, item delectum ciborum ex Apoſtolorum traditione deſcendere, non ſtatim turbemur: Intelligẽda enim ſunt apocrypha illa ſcripta, quæ quàm incerta, dubia, & ſuſpecta ſint, iam oſtendemus.

Ante annos igitur non multos editi ſunt Græcè & latinè octo libri de conſtitutionibus Apoſtolicis, quaſi à Clemẽte Romano cõſcripti, tanquam doctrina catholica & Apoſtolica. Titulus enim eſt, Διαταγαὶ ἢ διατάξεις τῶν ἀποςόλων καθολικὴ διδασκαλία. Et in quinto libro capit. 13. quaſi ex Apoſtolorum perſona dicitur: Obſeruandum vobis eſt ieiunium τῆς τεσσαρακοςῆς, quadrageſimæ, continens memoriam τῆς πολιτείας καὶ νομοθεσίας, conuerſationis & legiſlationis Domini. Hoc ieiunium celebretur ante ieiuniũ Paſchæ, quod incipiens à ſecunda feria, deſinat in Paraſceuen. Ibidem cap. 16. ſcribitur: Ipſe Dominus παρήγγειλε, præcepit nobis ieiunare ſex illis diebus ante Paſcha ob Iudæorum impietatem, iubens lugere ob interitũ eorum. Item, προσέταξε ἡμῖν νηςεύειν τετράδα καὶ παρασκευὴν: Indixit ſeu mandauit nobis, vt ieiunemus quartam feriam & Paraſceuen: illam ob proditionem, hanc ob paſſionem. Item, ſolo ſabbatho ſanctæ ſeptimanæ ieiunare oportet, quia in illo Opifex ipſe ſub terra fuit. At ca. 18. Ieiunate ſex illos ante Paſcha dies, ſolo pane vtentes & ſale, atq; oleribus & aqua in potum, οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθαι: A vino verò & carnibus vos abſtinete in diebus illis, ſunt enim dies luctus non feſtiuitatis. Paraſceuẽ verò & ſabbatum totum ieiunate (qui quidem poſſunt) nihil guſtantes vſque ad galli cantum

noctis. In reliquis diebus ante Paraſceuē ad horam nonā vel ad veſperam quiſq; cibum ſumat, vel quemadmodum quiſq; poterit. Cap.21. poſt hebdomadā Pentecoſtes ieiunare vnā ſeptimanam. Item: προστάσσομεν, præcipimus vobis, vt in omni quarta feria & Paraſceue ieiunetis, & quod à Ieiunio ſupereſt, pauperibus erogetis. In omni ſabbato excepto vno, & die Dominico, conuentus celebrantes exhilaremini. Peccati enim reus eſt, qui die Dominico ieiunat. Et lib. 7. Ieiunia veſtra nō ſint cum hypocritis, illi enim ieiunant in ſecunda & quinta ſabbati. Vos verò, vel quinq; dies ieiuniate, vel quartam feriam & Paraſceuen: In illa enim Iudas pecuniā proditionis accepit: In hac verò Dominus crucifixus eſt. Sabbatum & Dominicū diem feſtum agite: Illud enim creationis, hic reſurrectionis ὑπόμνημα monumentum ſeu commonefactio eſt.

Hæc in libris iſtis tanquam Apoſtolicæ conſtitutiones. Eccleſiis ab Apoſtolis traditę & mādatæ, deſcribuntur. Et illo traditionum titulo multos deceptos fuiſſe, exempla multorum oſtendunt, qui talia ieiunia, vt ab Apoſtolis mandata neceſſitatis opinione obſeruarūt.

*Quid Epiphanius illis conſtitutionibus tribuerit.*

Epiphanius etiam contra Aerium, atq; in compendio doctrinæ, ex hoc ſcripto aſſeuerat Apoſtolorū conſtitutione traditum, ordinatum, & præceptum eſſe, vt in quarta feria, & pro ſabbato ieiunetur vſque ad horam nonam. Ac mandaſſe Apoſtolos tunc nihil ſumendum eſſe pręter panem, ſalem, & aquam. Cumq; Clementis conſtitutiones addant hanc limitationem ſeu diſpenſationem, οἷς δύναμις πρόσεσι τοιαύτη. Item ἅπως ἄν τις δύναιτο, qui poſſunt, & quemadmodum quiſq; poterit. Epiphanius ſine exceptione neceſſariū mandatum inde facit. Ita creſcunt leges traditionum.

*De ſcriptis Clementis Rom.*

Sed Librorum iſtorum, qui Clementis Romani nomine feruntur, nulla certa eſt autoritas. Multa enim adulterina ſcripta ſub eius nomine ſparſa fuiſſe, Euſebius teſtatur lib.3.cap.38. Et Ruffinus queritur libris huius Clementis, multa adulterina inſerta, quæ Eccleſiaſtica Regula non recipiat.

*Conſtitutiones illas eſſe apocriphas.*

Inde Gelaſius Diſtin. 15. Clementis ſcripta inter Apocripha reiicit. Et de his ipſorum Apoſtolorum conſtitutionibus Epiphanius, qui eas frequenter allegat, & magnifacere videtur, non diſſimulat, quale fuerit Eccleſiæ iudicium. Nam contra Audianos dicit: διατάξεις illas Apoſtolorū eſſe τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, hoc eſt, à multis ſeu pleriſq; conſtitutiones illas Apoſtolorum haberi pro dubiis & incertis. Et addit quidem, non eſſe ἀδοκίμους, hoc eſt, reprobatas illas conſtitutiones, multum enim Epiphanius illis traditionibus tribuit.

*Sexta Synodi Canon.*

Sed ſexta Synodus in Trullo circa annum 690. Canone 2. ita de illis ſtatuit: Quia Apoſtolorum illis per Clementem conſtitutionibus (πάλαι νόθα καὶ ξένα ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων ἐπὶ λύμῃ τῆς ἐκκλησίας) iam olim adulterina quædam, & peregrina ab iis, qui à fide aliena ſentiunt, ad Eccleſiæ perniciem admixta ſunt, ideo meritò viſum fuit Synodo ποιήσασθαι αὐτῶν ἀποβολὴν, illas ad Eccleſiæ ædificationem & ſecuritatem reiiciendas aut abiiciendas eſſe. Præterea Leges illas de ieiuniis, quæ in libris illis deſcribūtur, reliqui etiam Patres non agnouerunt pro Apoſtolicis.

*Patres illas cōſtitutiones Apoſtolicas non agnouerunt.*

Auguſtinus enim diſertè inquit: Quibus diebus oporteat ieiunare, & quibus non oporteat, præcepto Domini & Apoſtolorum, non inuenio definitū. Et Socrates lib. 5. expreſsè dicit: Apoſtolos de tempore Ieiunii aut delectu ciborum nihil præcepiſſe. Imò Irenæus, & ipſe etiam Epiphanius, ſicut mox indicabimus, teſtantur diſſimiles & liberas in hoc genere fuiſſe Eccleſiarum obſeruationes, quod nunquam factum fuiſſet, ſi Eccleſia iudicaſſet conſtitutiones illas, de quibus iam diximus, eſſe Apoſtolicas. Et ſingulari iudicio Dei arbitror factum, quòd in conſtitutionibus iſtis poſita ſunt illa ipſa verba, quibus Paulus 1. Tim. 4. vtitur in deſcriptione humanarum traditionum, & doctrinarum diabolicarum de abſtinentia: Quales ſcilicet cibos non oporteat γεύσασθαι, & à quibus cibis oporteat abſtinere diebus ieiunii, ita enim conſtitutiones illæ loquuntur, vt ſcilicet ex ipſis verbis agnoſcerētur conſtitutiones nō eſſe Apoſtolicæ. Et tamen cū olim, tùm hoc etiam tempore illæ traditiones tanquā Apoſtolicæ ab ſtabiliendas ſuperſtitioſas Leges de ieiuniis & de ciborum delectu obtruduntur Eccleſiis. Ad quam diiudicationem vtilis eſt hæc hiſtorica obſeruatio.

*Canones Apoſtolorum.*

Eiuſdem generis ſunt & Canones qui Apoſtolis tribuūtur, quos res ipſa & collatio oſtendit, eſſe quaſi aphoriſmos conſtitutionum illarum de quibus iam diximus. Ex illis igitur Canonibus quinquageſimus ita ſtatuit.

Si quis à carnibus & vino abſtinuit, οὐ δι' ἄσκησιν, ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν, non propter exercitationem, ad cultum pietatis, ſed propter abominationem, aut corrigitor, aut ex Eccleſia eiicitor.

Sexageſimus ſecundus dicit: Si quis comederit carnes in ſanguine animæ eius, aut à beſtiis laceratum, aut ſuffocatum, à communione excluditor. Sexageſimus octauus: Si quis ſacram Quadrageſimam, aut quartam feriam, aut Paraſceuen non ieiunarit, niſi imbecillitate corporis impediatur, communione priuator. Hæc Canones illi, qui Apoſtolici vocantur. Sed ne titulus nobis oculos perſtringat, hiſtoriæ oſtendunt, Canonum illorum authoritatem non eſſe certam & authenticam.

*Canones Apocriphi.*

Nam diſt. 16. Iſidorus ita dicit: Canones qui dicuntur Apoſtolorū, quia eos nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dinoſcuntur, quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab authoritate Canonica & Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter Apocripha deputata.

Ita etiam Diſtinctio. 15. Gelaſius Canones illos, qui Apoſtolorum dicuntur, inter Apocripha ponit. Alij verò Canones illos probarunt, ſed ex illis quidam agnoſcunt tantùm quinquaginta, quidam ſexaginta, quidā octoginta quinque capita, ſicut diſtinctio. 16. Gratianus recitat. Sed quicquid ſit de ſimilibus illis teſtimoniis, hoc conſtat ex illa varietate iudiciorum antiquitatis, Canones illos eſſe ἐν ἀμφιλέκτῳ, ſicut de cōſtitutionibus Apoſtolicis Epiphanius loquitur, hoc eſt, authoritatem illorum eſſe dubiam & incertam.

Et hoc nobis ſufficit, qui certius & firmius habemus verbum in Canonica ſcilicet Scriptura compreheſum, cui, dum vt lucernæ in loco obſcuro apparenti attendimus, benè & rectè facimus, inquit Apoſtolus, 1. Petri primo. Et Paulus præmo-

præmonet, ne turbemur, aut à ſenſu doctrinæ quam certò conſtat eſſe Apoſtolicam, dimoueamur, ſiue per ſermonem, ſiue per ſcriptum aliquod, tanquam ab Apoſtolis profectum, 2. Theſſalon. 2.

Adde quòd Canones illi nō ſeruent characterem Apoſtolicæ doctrinæ, inde nō obſcurè animaduertitur, quod ſexageſimus ſecundus Canō dicit: Quia lex in veteri Teſtamento prohibuit ſanguinem & ſuffocatum, ideò in nouo Teſtamento ſub pœna excōmunicationis ab illis eſſe abſtinendum. Hoc enim pugnat cum doctrina Apoſtolorum de abrogatione veteris Teſtamenti, & de libertate Euangelij. Apoſtoli quidem Actor. 15. ob charitatem in caſu ſcandali infirmiorum fecerunt decretum de ſanguine, ſuffocato, & Idolothytis. Et qui ex Iudaiſmo erant, ſicut & hodie Iudæi faciunt, ideò ex macellis Gentium non emebant carnes, nec quicquid à gentibus apponebatur comedebant, Gentium enim laniones quædam ſuffocabant, non emiſſo ſanguine, & quando etiam mactabant, tamen non tam diligenter ſanguinem exprimebant, ſicut Iudæi facere ſolebant.

*De ſanguine & ſuffocato.*

Illud verò decretum Actor. 15. de cibis non fuiſſe Legem vniuerſalem aut perpetuam, ſed tantùm temporariam diſpenſationem propter infirmiores Paulus oſtendit 1. Cor. 10. Vbi dicit: Quicquid in macello venditur, & quicquid vobis apponitur, comedite, non inquirentes propter conſcientiam. In hiſce verò Canonibus Clemens poſt mortem Apoſtolorum inde Legem vniuerſalem, & perpetuam facit ſub pœna excommunicationis, quod certè contra normam Scripturæ Canonicæ pugnat.

*Patres canones illos pro Apoſtolicis non agnouerunt.*

Quodq; vetus etiam Eccleſia Canonibus illis in materia ieiunii nō tribuerit Apoſtolicam authoritatem, inde manifeſtum eſt. Tempore Auguſtini enim acris erat concertatio de ieiunio ſabbati. Romanis prætendentibus traditionem Petri, hiſce Canonibus cōtrariam, quòd ſabbato eſſet ieiunandum: Aſiaticis verò opponentibus aliorum Apoſtolorum traditionem, ſabbato non eſſe ieiunandum. Cumq; Vrbicus quidā ex ieiunio ſabbati faceret legem neceſſariam: Alij verò neceſſitatem inde facerent, quòd ſabbato non ſit ieiunandum, Auguſtinus reſpondet: Interminabilis eſt iſta concertatio generans lites, non finiens quæſtiones.

Et quia inquit: Præcepto Domini aut Apoſtolorum non inuenio definitum, quibus diebus nō oporteat ieiunare, & quibus oporteat. Ideo dicit, obſeruationes illas diuerſas & liberas eſſe. & ad obtinendam, quam fides obtinet, iuſtitiam non eſſe neceſſarias, Auguſtinus Epiſtola 86. Vbi etiam docet, per ſe liberum & non peccatū eſſe die Dominico ieiunare, atq; poſt Manicheorum demum hæreſin ieiuniū diei Dominicæ factum eſſe horribile & ſcandaloſum. Ita Origenes in Leuiticum etiam docet, liberum eſſe per omne tempus ieiunare, & omne tempus totius anni aptū eſſe ieiunio. Et Hieronymus ad Lucinium oſtendit, Paulum & cum eo credentes ipſa die Dominica ieiunaſſe. Sicut Auguſtinus dicit, Chriſtum, quia quadraginta continuos dies ieiunauit, etiam Dominicis diebus ieiunaſſe. Ergo Canones illos Apoſtolicos prohibentes ieiuniū Sabbati & Dominicæ diei Patres vel ignorarūt, vel pro Apoſtolicis non agnouerunt. Ita quòd Canones illi de ieiunio quadraginta dierum ſtatuunt, hoc Irenæus, ſicut mox oſtendemus, non agnouit, Legem eſſe Apoſtolicam: dicit enim, diſſimiles & liberas fuiſſe obſeruationes.

Et ipſi iam Pontificii, ſicut paulò antè oſtendimus, docent ieiunium quartæ & ſextæ feriæ nō eſſe præcepti, ſed tantùm conſilij, quòd certè cum hiſce Canonibus pugnat. Socrates enim lib. 5. cap. 22. expreſsè dicit de temporibus & ritibus ieiuniorū neminem poſſe ſcriptum aliquod mandatum Apoſtolorum oſtendere. Hoſce ergo Canones non agnouit pro Apoſtolicis. Ipſi quoq; Pontificij prohibitionem Ieiunij in die Dominico tribuunt Melchiadi Pontifici circa annum Domini 315.

Poſteriorum igitur decreta, vt maiorem haberent authoritatem, Apoſtolicis adſcribere voluerunt. Quòd verò quinquageſimus Canon dicit: δι' ἄσκησιν, à carnibus abſtinendum, ex inſtituto Eſſæorum, ſicut paulò antè oſtendimus, & ex poſteriorum, vt Euſtachij diſputationibus, ſumptum eſt, in Attalo verò ac Blandina mox dicemus, quomodo Deus opinionem illam refutarit.

Huc pertinent etiam Hermæ Scripta, cui fingunt Angelum in habitu Paſtoris apparuiſſe, & multa myſteria reuelaſſe. Is igitur Hermas ſimilitudine 5. de ieiuniis multa diſputat, & genus quoddam ieiunij vocat ſtationē, de quo in Tertulliano dicemus. Ibi verò Angelus Hermæ hoc mandatum dat: Die ieiunij nihil guſtabis, niſi panem & aquam, & ſupputato ſumptu quem facturus eras, illum da pauperibus. Cumq; in Scriptura noui Teſtamenti de prohibitione ciborū nullum extet mandatum Dei, Angelus iſte dicit ibi: Si mandata Domini cuſtodieris, ſcriberis cum electis: ſi autem præter ea, quæ mandauit Dominus, aliquid boni adieceris, honoratior eris apud Deum, quàm futurus eras. Idq; probat hac ſimilitudine: Si ſeruus diligentius, melius & rectius aliquid, quàm à Domino mandatū erat, efficiat, Dominus adeo hoc probat vt faciat eum cohæredem filio. Et hoc diligenter obſeruetur, vnde ſumptum ſit fundamentum operum ſupererogationis in ieiunio & aliis operibus, vt ſcilicet ſeruus ſit prudentior Domino, de qua materia in prima parte diximus. Quod verò ad traditionem ieiunii in pane & aqua attinet: conſideret Lector eadem eſſe cum illis, quæ in Eſſæorum inſtituto, & in conſtitutionibus Pſeudoapoſtolicis notauimus.

*Hermas de ieiunio.*

*Vnde ſupererogationes.*

Cùm enim illa non ſatis per ſe autoritatis habere viderētur, per viſiones & reuelationes ſtabiliri cœperunt: Ideo enim fingunt, Angelum Hermæ talia mandata dediſſe, Sed Paulus præmonet, ne à ſano verbi Dei ſenſu dimoueamur per ſpiritum ſeu reuelationem, 2. Theſſalo. 2. Et de prohibitione ciborum, 1. Timoth. 4. diſertè dicit: orituram illam à ſpiritibus impoſtoribus. Qualis igitur Angelus ille Hermæ fuerit, non obſcurum eſſe poteſt. Pręterea libros illius Hermæ ex veteribus quidam, quia vtilia aliqua continebant, legerunt quidem & commendarunt, Irenæus præcipuè & Origenes: Sed Euſebius libro 3. Hieronymus in Prologo galeato, & Tertullianus etiam in libro de pudicitia, libros illos inter Apocrypha & adulterina ponūt. Et ex huiuſmodi

*Angelus Hermæ qualis.*

*Apocrypha Herma.*

iuſmodi fontibus exorti ſunt riuuli traditionum de ieiuniis, quos poſteri ipſis Apoſtolicis tribuere cœperunt.

*Abdias de vitis Apoſtolorum.*

De Abdia etiam Babylonico ſimilis ratio eſt. Notum enim eſt ex Euſebio & Gelaſio, diſtin. 15. ſparſa olim fuiſſe varia Scripta de actis ſingulorum Apoſtolorum, quæ vetus Eccleſia habito diligenti Examine, inter Apocrypha & adulterina reiecit. Sed quia mundus vult decipi, ſicut vetus prouerbium habet, & pro eo, quòd homines veritatis dilectionem nõ accipiunt, ſolet ipſis Deus mittere efficacem errorem: Inde igitur factum eſt, quod adulterinæ illæ fabulationes de vitis Apoſtolorum, quæ in primitiua Eccleſia reiectæ fuerunt, poſtea in Legenda, quam auream tunc vocarunt, Eccleſiis rurſus obtruſæ fuerunt. Sed quia Legenda illa profectò non aurea, ſed ferrei oris & plumbei cordis, ſicut Ludouicus Viues rectè iudicauit, noſtris temporibus fœtere cœpit hominibus, alio igitur habitu per nouum Actorem, exploſas illas fabulas, in theatrum Pontificij nuper reduxerunt, ſub nomine ſcilicet Abdiæ Babylonici. Sed Affricani liber eſſe videtur, cuius ſcripta inter apocrypha refert Gelaſius. Ibi ergo à Matthæo fingitur inſtitutum ieiunium quadrageſimæ & aliorũ ſtatorum temporum. Et prohibitio carnium certis diebus à Matthæo ibi inſtituta legitur: de meritis etiam ieiunij quædam ibi traduntur. Et in vita Andreæ & Thomæ, fingit Abdias iſte, Apoſtolos definiiſſe, quibus diebus ſit ieiunandum, quod Auguſtinus palam negat, & Socrates prolixa diſputatione falſum eſſe oſtendit. Sed nos iuxta conſilium Petri non ſequimur arte compoſitas fabulas: habemus enim certum & firmum ſermonem in Scriptura canonica, quæ ſit vera & germana Apoſtolorum doctrina. Nec tamen inutile eſt noſſe & aſpicere qualia fundamenta habeat Pontificium ieiunium.

*Legenda plumbea.*

*Ignatij Epiſtola.*

Sed ne recenſendis Apocryphis fabulis nimium immoremur, tantùm pauca quædam de loco Ignatii in Epiſtola ad Philippenſes dicam: Editæ ſunt Ignatij Epiſtolæ Græcè, in quibus elegans ſanè dictio eſt, & multæ continentur piæ ac illuſtres ſententiæ. Oſtendimus autem in prima parte ſententias quaſdam, quæ veteres ex Ignatij Epiſtolis citarunt, nunc nec in Græca, nec in Latina editione legi: ſicut eſt ſententia de Euchariſtia, quam Theodoretus allegat. Et author Græcæ editionis oſtendit, multas ſententias aliter à veteribus citari, quàm nunc in Ignatij Epiſtolis legantur. Poſſent etiam oſtendi quædã ſententiæ, quæ de Filii diuinitate ita loquuntur, vt non obſcurè ab hæreticis inſertæ videantur. Ex conſtitutionibus verò, quas Apoſtolicas vocant, multa ſatis ineptè variis locis aſſuta eſſe, manifeſtum eſt. Tale eſt etiam aſſumentum in fine Epiſtolæ Ignatij ad Philippenſes, quod ad verbum ex conſtitutionibus, quas Apoſtolicas vocarunt, ſumptũ, & Ignatio aſſutum eſt. Quadrageſimam, inquit, nolite contemnere, imitationem enim continet politiæ Domini. Quartam feriam & Paraſceuen ieiunantes, reliquias pauperibus erogate. Quæ planè totidem & iiſdem verbis leguntur in conſtitutionibus Clementis. Aſſumẽtum autem illud non eſſe Ignatianum aut Apoſtolicum, ex iis, quæ ſequuntur, manifeſtum eſt: nam ibidem dicitur: Si quis cum Iudæis (quod ſcilicet ad tempus attinet) Paſcha celebrat, κοινωνὸς ſocius eſt eorum, qui Dominũ occiderunt. Sumptum quidem & hoc eſt ex conſtitutionibus Clementis, ſed non eſſe Apoſtolicum, prolixa oratione apud Euſebium Polycrates oſtendit lib. 6. cap. 23. In illo etiam Ignatii loco dicitur: Si quis diem Dominicam aut Sabbatum ieiunauerit, χριστοκτόνος interfector Chriſti eſt. Sed hoc non eſſe Apoſtolicum, Auguſtinus prolixa illa ad Caſulanum Epiſtola oſtendit, ſicut iam expoſuimus. Ita ergo non obſcuris indiciis ſuppoſititia deprehenduntur. Et hæc eo conſilio hoc loco annotauimus, vt conſideretur, cùm doctrina de ieiunio in libris canonicis ſimplex, plana, & certa ſit: quomodo humanæ traditiones, nouas inſuper Leges & opiniones addere conatæ ſint, idq; ſparſis apocryphis ſcriptis, vt viderentur illa ab Apoſtolis profecta. Ne igitur titulo traditionum & antiquitatis, in iis, quæ verbi Dei teſtimoniis deſtituuntur, moueamur: indicatum iam eſt vnde originem ſumpſerint.

*De ieiuniis locus Ignatij.*

*QVOMODO VETVS ECCLESIA IEIVnium quarta & ſexta feria: Item Paſchale ieiunium ex pijs cauſis & finibus, ſalua libertate Euangelica ſeruarit.*

OStendemus iam porrò, quomodo in primitiua Eccleſia quidam, iuxta Scripturæ teſtimonia & exempla ieiuniorũ exercitia inſtituerint: quidam verò ad traditionũ opiniones inclinarint, & quomodo ſuperſtitioſæ illæ opiniones tunc repreſſę fuerint. Paulò antè igitur, cùm de Patrũ ſententiis tractaremus, oſtendimus ex Iuſtino, vſitatũ tunc fuiſſe, quando illi, qui in ætate adulta ex gentibus conuertebãtur, baptizandi erant, quòd docebantur de peccatis pręteritis pœnitentiã agere, ac petere à Deo veniam. Vtq; in actione pœnitentiæ conſideratio abominationis peccati ac irę diuinę: in oratione verò fidei deuotio eò magis excitaretur & accẽderetur, precibus iunxerunt ieiunia, nõ tantùm pœnitentes, ſed cum ipſis reliqua etiã Eccleſia. Ita in publica pœnitentia poſt lapſus vſitatũ fuiſſe precib. addere ieiunia, ex Tertulliano oſtendimus. Idẽ in publicis precibus & grauioribus ſupplicationibus vſitatũ fuiſſe, ex Irenæo, Tertulliano, & Cypriano docuimus. Et hæ cauſæ ac tales fines ieiunij cum Scripturæ teſtimoniis & exemplis conſentiunt. Tempus verò talium ieiuniorum, vel Epiſcopi, incidente ſolicitudine aliqua Eccleſiaſtica, indicebant, ſicut ex Tertulliano diximus, vel tunc obſeruabantur, quando Eccleſia, vel ad publicas & ſolennes preces, ſeu ſupplicationes, vel ad publicam pœnitentię ſeu Baptiſmi actionẽ conueniebat. Ita cùm publici & ordinarij Eccleſiæ conuentus, ad auditum & meditationem verbi, ad vſum cœnæ Dominicę, & ad ſolennes ſupplicationes, præter Dominicam in Septimana feria quarta & ſexta pleriſq; in locis fierent: ſeruata illis diebus fuerunt etiã ieiunia, vt ad auditũ & meditationem verbi maior intentio, atq; ad ſupplicationes publicas excitatior eſſet deuotio. Vtq; oſtenderetur ad hũc finem directum debere eſſe ieiunium, cœnam Dominicam illis diebus adminiſtrabant circa horam nonam (ſicut ipſi horas numerabant) & poſtea

*Quando primitiua Eccleſia ieiunarit.*

*IV & VI feria conuentus & ieiunia.*

poſtea ſoluebant ieiunium. Sicut hæc conſuetudo deſcribitur apud Epiphanium in compendiaria doctrina.

Et contra Aetium Clemens etiam Alexandrinus quinto Stromatum meminit ieiunij die Mercurii & Veneris. Et Origenes in Leuiticum (quod ſcriptum alii Cyrillo, alii Heſychio tribuunt) dicit: Habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Et ſi in hanc ſententiam intelligatur, quod extat in Ignatii Epiſtola ad Philippenſes (quartam feriam & Paraſceuen ieiunantes, reliquias pauperibus erogetis) nihil habet incommodi. Illis verò diebus communionem celebratam ad horam nonam vel veſperam, Caſſander multis exemplis oſtendit, & colligitur ex Chryſoſtomi prima Epiſtola ad Innocentium. Eadem de cauſa, quia ante feſtum Paſchatis publicam agebant pœnitentiam, vel baptizandi, vel lapſi, vt in feſto abſoluerentur & baptizarentur: & quia tota Eccleſia ad ſeriam meditationem paſſionis & reſurrectionis Chriſti, & ad communem ac ſolennem communionē cum reconciliatis & baptizatis tunc ſe præparabat: obſeruatum fuit ieiunium, quod Paſchale tunc vocarunt, poſtea verò quadrageſimale nominatum fuit: ſicut Irenæi hiſtoria apud Euſebium teſtatur. Et Origenes etiam in hanc ſententiam dicit: Habemus Quadrageſimæ dies ieiuniis conſecratos.

*Ieiunium Paſchale.*

Quod igitur ad cauſas ſeu fines ieiunii attinet hæc primitiuæ Eccleſiæ exempla ad Scripturæ normam non malè conueniunt. Tempus verò talium ieiuniorum, ſine ſuperſtitioſis Legibus, ordinis gratia, liberè & diſſimiliter ſeruatum fuiſſe, hiſtoriæ oſtendunt. Quidam enim non ſexta feria, ſed die ſabbati Synaxes celebrabant & ieiunabant. Aegyptij verò ſabbato participabant quidem myſteria, ſed non ieiunabant, ſicut Socrates refert lib. 5. cap. 22.

*Liberæ obſeruationes.*

Et ne opinio neceſſitatis inde oriretur, quaſi auditus, meditatio verbi, oratio, & vſus cœnæ Dominicæ, non poſſent abſq; ceremoniali illo ieiunio fieri: noluerunt die Dominico, qui ad ſpiritualia illa exercitia præcipuè deſtinatus erat, ieiunare. Cumq; referente Hieronymo, in multis Eccleſiis quotidie communicarent, non tamen quotidie ieiunarunt.

Valdè illuſtris verò extat locus in Epiſtola Irenæi, quam deſcribit Euſebius lib. 5. cap. 24. Dicit enim: In forma ſiue in modo ieiunij Paſchalis magnam eſſe diuerſitatem, ſeu obſeruationes diſſimiles: quidam enim, inquit, vnum diem ante Paſcha ieiunant, quidam duos, alij verò plures dies, alij quadraginta, diurnas & nocturnas horas ſupputantes pro die. Et hæc ποικιλία, varietas ſeu diuerſitas obſeruationum ieiunii, nō iam noſtra, inquit, ætate primùm cœpta & facta eſt (γεγονυῖα) ſed longè antè, illorum ſcilicet tempore, qui ante nos fuerunt. Et rationem illius diuerſitatis reddit ſententia obſcuriore quidem, ſed quæ diligenter obſeruanda eſt.

Verba illius hæc ſunt: τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς ὡς εἰκὸς κρατούντων τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν εἰς τὸ μετέπειτα πεποιηκότων. Hanc ſententiam Ruffinus ſuo more nulla fide ita reddidit: Cœpit hæc diuerſitas ab illis, vt opinor, qui non ſimpliciter, quod ab initio traditum eſt, tenentes in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam poſtmodum decidere. Muſculus ita vertit: Cœpit per eos, qui præter accuratam diligentiam rerum habenis potiti, ſimplicem & vulgatam conſuetudinem poſthabuerunt, ac mutarunt.

*Irenæus de ieiunij Paſchalis diuerſitate.*

Sed κρατούντων non ponitur abſolutè, ſed refertur ad συνήθειαν. Et εἰς τὸ μετέπειτα ποιεῖν, non eſt poſthabere, ſed in futurum aliquid facere ſeu ordinare. Propius igitur ad veram ſententiam accedit Chriſtophorſonus Angelus interpres, Varietas illa ieiunij cœpit apud Maiores noſtros, qui, vt coniectura aſſequi licet, non accuratè conſuetudinem eorum, qui vel ſimplicitate quadam, vel priuata autoritate in poſterum aliquid ſtatuiſſent, obſeruarunt.

Multa autē memorabilia hæc Irenæi ſententia docet. I. Tempore virorum Apoſtolicorum qui proximè poſt mortem Apoſtolorū vixerūt, non fuiſſe certas, ſtatas, aut neceſſarias Leges de ieiuniis: Sed diuerſas & diſſimiles obſeruatiōes.

*Ex Irenæi ſententia quæ obſeruanda.*

Quia enim Irenæus Epiſtolam illam ſcripſit ad Victorem circa annum Domini 195. ergo τῶν πρὸ ἡμῶν, Maiores ante ſe intelligit eos, qui Apoſtolorum ætatem inſecuti ſunt: dicit enim πολὺ πρότερον, longè antè. II. Dicit fuiſſe συνήθειαν conſuetudinem vulgarem, non mandatum, ſtatutum, præceptum, præſcriptum, Legem, aut traditionem Apoſtolicam de ieiunij tempore. III. Conſuetudinem illam ieiunij Paſchalis ſeu Quadrageſimæ dicit non ex traditione Apoſtolica, nec ex publica Eccleſię Apoſtolicæ ſeu primitiuę autoritate ortam, ſed eſſe Idiotiſmum ab hominibus ſimplicibus priuata quadam obſeruatione introductum. IV. Significat fuiſſe quoſdam, qui de ieiunij forma in poſterum etiam tempus aliquod ſtatuerunt, ſed κατ' ἰδιωτισμὸν, priuata ſententia ſeu deuotione non authoritate vel Apoſtolica, vel publica, talem enim antitheſin vocabulum ἰδιωτισμοῦ requirit. V. Dicit viros Apoſtolicos conſuetudines illas ieiuniorum Paſchalium, vtpote ex ſimplici idiotiſmo ortas, παρὰ τὸ ἀκριβὲς, hoc eſt, non accuratè obſeruaſſe, & inde ortam fuiſſe illam in forma ieiunij diuerſitatem. Ex hac igitur Irenæi ſententia, quæ tam certa & authentica eſt, quod tunc ſine contradictione ad componendam grauiſſimam de feſto Paſchatis controuerſiam oppoſita fuit, manifeſtum eſt, Apocrypha, ſuppoſititia, & adulterina eſſe, quæ in conſtitutionibus, canonibus, & aliis Scriptis ſub nomine & titulo Apoſtolorum narrantur de mandato, ſtatuto, aut traditione Apoſtolorum, quod ad ieiunium Paſchale ſeu Quadrageſimale attinet.

Addit autem Irenæus præclaram ſententiam. Ad vnitatem veræ fidei non opus eſſe ſimilitudine rituum in ieiuniis. Illi, inquit, in tali diuerſitate ieiunij pacem inter ſe coluerunt, καὶ ἡ διαφωνία τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστησι. Et diſſonantia ieiunii fidei conſonantiam non turbat vel deſtruit, ſed magis commendat aut potius conſtabilit, quòd ſcilicet regnum Dei non ſit eſca vel potus. Hæc ſententia ideo benè notanda eſt, poſteri enim ex libera & diſſimili illa conſuetudine ieiunij Paſchalis fecerunt legem adeo rigidam, vt ideo Aerius hæreticus iudicatus fuerit, ſicut poſtea Ambroſij & aliorum ſententias de Quadrageſimæ neceſſitate exponemus.

*Alia Irenæi ſententia.*

Eſt & hoc diligenter obſeruandum, quod vetus Eccleſia, ſicut oſtendimus, habuit cauſas ieiuniorũ. IV. & VI. ferias, atq; etiam ante Paſcha, Scripturæ exemplis conſentaneas. Poſtea verò cùm cauſæ illæ deſiiſſent, ſublatæ & mutatæ eſſent, hoc eſt, cum IV. & VI. feria non amplius Synaxes celebrarentur: nec ante Paſcha, vel baptizandi, vel lapſi publicam pœnitentiam agerent, ipſum tamen opus operatum ieiunij lege rigidiſſima, & opinione neceſſitatis retentum fuit. Cumq; fines ieiuniorum illi, quos veterum Eccleſiam iuxta Scripturæ exempla reſpexiſſe oſtendimus iam exoleuiſſent: affinxerunt opiniones de merito reconciliationis, expiationis peccatorum, ſalutis, & vitæ æternæ. Hæ veræ hiſtoricæ obſeruationes, ad totam hanc de ieiunio controuerſiam plus afferunt lucis, quàm prolixæ diſputationes.

## OBSERVATIO EX IGNATII, ATTALI ET IRENAEI HIſtoria, quomodo primis illis temporibus ſuperſtitioſæ leges & opiniones de ieiuniis motæ, ſtatim reiectæ fuerint.

Pergamus iam oſtendere, quomodo antiquiſſimis etiam primitiuæ Eccleſiæ temporibus, ſimplices quidam, intentione non mala ad ſuperſtitioſas traditionum leges & opiniones inclinarint, & quomodo repreſſis opinionibus, rectè inſtituti fuerint.

*Ignatius ad Heronem.*

Extat Ignatij Epiſtola ad Heronem Diaconum Antiochenum, vnde intelligi poteſt, & quę fuerit Apoſtolica doctrina de ieiunio ac temperantia, & quæ ſuperſtitioſæ opiniones in exercitio ieiuniorum tunc cœperint irrepere. Verba hæc ſunt: νηςείαις καὶ δεήσεσι χόλαζε, ἀλλὰ μὴ ἀμέτρως, ἵνα μὴ σαὐτον καταβάλῃς. οἴνου καὶ κρεῶν μὴ πάντῃ ἀπέχου. οὐ γάρ ἐςι βδελυκτά. Ieiuniis & orationibus vacato, ſeu operam dato, ſed non immodicè, immoderatè aut nimium, ne teipſum deiicias aut deſtruas. à vino & carnibus non penitus abſtineto, neque enim abominabilia ſunt. Et addit teſtimonia, quia, inquit, Scriptura dicit: Bona terræ comedetis, carnem vt olera manducabitis. Item: Vinum lætificat cor hominis, oleum exhilarat, & panis confirmat. Sed hæc ſumenda ſunt, inquit, μεμετρημένως καὶ εὐτάκτως, ὡς θεοῦ χορηγοῦντος, moderatè & ſobriè, tanquam Deo ea ſubminiſtrante, quis enim ſine ipſo vel edit vel bibit, quicquid bonum, quicquid egregium eſt ipſius eſt. Et non multò poſt ſubiungit: Quicunq; dicit aliquid παρὰ τὰ διατεταγμένα, præter ea, quæ mandata ſunt, etiamſi fide dignus ſit, etiamſi ieiunet, etiamſi virginitatem ſeruet, etiamſi prophetet, & ſigna faciat, lupus tibi habeatur ſub ouis pelle ouium exitium machinans.

*Ignatius de cibis.*

Et in Epiſtola ad Philadelphenſes: Si quis in reliquis rectè ſentiat, τινὰ δὲ τῶν βρωμάτων, ex cibis autem quoſdam, vocet abominabiles, ille ἔνοικον inhabitatorem habet diaconum apoſtatam. Fuerunt igitur Ignatij tempore, circa annum 110. qui à cibis quibuſdam, maximè à carne & vino ſub ſpecie religionis abſtinuerunt, & immodicis ieiuniis corpora læſerunt. Ignatius verò opponit fundamentum ex verbo Dei, omnem creaturam Dei eſſe bonam, & nihil reiiciendum ſi cum gratiarum actione ſumatur.

*De lautis cibis.*

Illas verò Scripturæ ſententias præcipuè allegat, quæ docent libere poſſe ſumi etiam ea, quæ in cibis bona ſeu lauta ſunt, quæ corpus exhilarant, cor confirmant & lætificant, ſi ſobriè & moderatè hoc fiat. Oſtendit etiam fuiſſe tunc quoſdam, qui in vſitatis ieiuniis voluerint ſibi autoritatem conciliare ſtabiliendi ea quæ à Domino mandata non ſunt.

*Eſſaica & traditiones in Eccleſiam.*

Memorabilis præterea hiſtoria extat apud Euſebium, lib. 5. cap. 3. quam ex Epiſtola Eccleſiarum Galliæ deſcripſit. Vnde colligitur, traditionem illam de ieiunio in pane & aqua, & exemplum Eſſæorum, de quibus paulò antè diximus, cœpiſſe etiam in Eccleſiam irrepere, non quidem ea opinione, quaſi reliqui cibi vel à diabolo eſſent, vel per ſe abominabiles, ſed δι᾽ ἄσκησιν, ſicut apocryphi canones loquuntur, hoc eſt, quòd exiſtimarunt, ſe tali abſtinentia certorum ciborũ peculiarem cultum diuinum exercere. Ita autem Euſebius hiſtoriam illam deſcribit: Cùm Alcibiades vnus ex numero Martyrum (πάνυ αὐχμηρῶς βιοῦντος) admodum ſqualidè, ſordidè, aridè, ſeu vili cibo vitam inſtituiſſet, & ante illud tempus nihil omninò aliud quàm ſolum panẽ, & aquam in cibum & potum ſumpſiſſet, ac conaretur etiam in carcere eodem modo vitam degere, Attalo (qui ſicut cap. 1. Gallica Epiſtola dicit iudicabatur columna & firmamentum Eccleſiarũ eſſe) poſt primum agona in amphitheatro confectum, reuelatum eſt, Alcibiadem (μὴ καλῶς) non benè ſeu rectè facere, quòd creaturis Dei non vteretur, & inde aliis (τύπον) exemplar ſcandali relinqueret. Alcibiades verò ita perſuaſus, πάντων ἀνέδην μετελάμβανε, libere, promiſcuè, ſine diſcrimine, abſque delectu & ſine prohibitione (hæc omnia enim ſignificat ἀνέδην) omne genus ciborũ capeſſebat & Deo gratias agebat. Et additur hoc Epiphonema: Non enim ἀνεπίσκεπτοι viſitatione gratiæ diuinæ deſtituti erant, ſed Spiritus ſanctus erat ipſis σύμβουλος, conſiliarius, conſultor, ſeu dator conſilij. Hæc Euſebius ex Epiſtola martyrum, vnde manifeſtè apparet, quoſdam tunc circa annum Domini 170. ἄσκησιν, hoc eſt, exercitium cultus diuini poſuiſſe in dura ſeu auſtera vita, vel cibis vilioribus, & opinione cultus abſtinuiſſe à cibis melioribus. Quia verò inter reliqua miracula, etiam Prophetiæ donum tunc adhuc in Eccleſia durabat, ſicut Euſebius illo in loco indicat, reſponſo Spiritus ſancti, ex loco 1. Timot. 4. opinio illa reiecta & refutata fuit. Et Alcibiades ſententiam Scripturæ edoctus, poſtea ſine diſcrimine & delectu quibuſuis cibis cum gratiarum actione vſus fuit. Et Epiphonema Epiſtolæ dicit, peculiare beneficium Dei fuiſſe, quòd Eccleſia in illo errore non fuit relicta, ſed à Spiritu ſancto edocta de libertate Chriſtiana in quibuſuis cibis.

*Alcibiadis abſtinentia ab Attalo reprehenſa.*

*Cibi abſq; delectu.*

*Eluſiones Pontificiorum.*

Hoc valde illuſtre teſtimonium eſt. Conſideretur autem, quomodo Pontificij illud eludere conentur: Quidam dicunt, Alcibiadem abſtinuiſſe à reliquis cibis ea opinione, quaſi abominabiles eſſent, & hanc opinionem fuiſſe damnatam, vt is ſit ſenſus huius hiſtoriæ, ſicut canon Clementis dicit: Si quis non propter ἄσκησιν exercitium cultus, ſed propter abominationem abſtinet à carnibus & ſimilibus cibis, communione priuetur. Sed hiſtoria Alcibiadis nõ dicit, ipſum

ipſum poſtea alia opinione, ſcilicet propter ἄσκησιν à certis cibis abſtinuiſſe, ſed diſertè dicit, ipſum poſtea ſine diſcrimine & delectu quibuſuis cibis cum gratiarum actione vſum, & nihilominus cultum diuinum exercuiſſe. Alij opponunt, quod in eadem Epiſtola Biblis martyr ex Ruffini verſione dicit: Vehemẽter erratis, quòd putatis infantium viſceribus veſci Chriſtianos, qui ne irrationalium quidem animalium carnibus veſcuntur. Sed textus nõ loquitur de carnibus, ſed de ſanguine, verba enim ita habẽt in Epiſtola Martyrũ, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξὸν, quibus ne irrationalium quidem animantium ſanguinem comedere fas eſt. Reſpiciunt enim ad decretum Apoſtolorum, Actorum 15. cuius obſeruatio tum adhuc hæſit in Eccleſia. Adeo itaq; veris antiquitatis exemplis Pontificiorum ſententia de ieiuniis non eſt conſentanea, vt ad ea eludenda cogantur quæuis ſophiſmata conquirere, ſed fruſtra & nequicquam, adeo manifeſta eſt veritas.

*Ruffini verſio.*

Huc pertinet etiam locus Irenæi apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Cùm enim Victor Romanus Pontifex, in Eccleſias Aſiaticas propter diſſimilem obſeruationem feſti Paſchatis, tanquam non orthodoxas acriter inueheretur, & eas à cõmunione excludere conaretur: Irenæus ſcribit, non de die Paſchatis ſolum, ſed etiam de ieiunij ratione & modo, iſtam cõtrouerſiam conſtitutam eſſe. Ergo de ieiunio Paſchali, quod nũc quadrageſimale vocatur, voluerunt tunc quidam cũ Romano Epiſcopo leges ferre, opinione neceſſitatis ſub pœna excommunicationis, quando, quot diebus, quamdiu, & quomodo ieiunandum eſſet: Sed Irenæus reſpondit, liberas & diſſimiles eſſe illas obſeruationes, ad quarum ſimilitudinem Eccleſiæ non ſint adigendæ, nec propter diſſimilitudinem, quaſi in fide ἑτερόδοξοι damnandæ. Et rationes adducit grauiſſimas, quia conſuetudines illæ non ex mandato Domini, vel ex præſcripto Apoſtolorum, ſed ex Idiotiſmo ortæ ſint, quibus viri Apoſtolici noluerint obligari opinione neceſſitatis: Et talem liberam diſſimilitudinem rituum in Adiaphoris, non tantùm non rumpere, ſed magis commendare & ſtabilire vnitatem & veritatem fidei, quod ſcilicet fides & regnum Dei non conſiſtat in cibo & potu & ſimilibus externis ritibus, ſicut paulò ante ſententiam Irenæi ex ipſis verbis expoſuimus. Ita ergo primis illis temporibus, ſuperſtitioſæ leges & opiniones de ieiuniis moueri quidem cœperunt, ſed graui autoritate repreſſæ & refutatæ fuerunt, quæ hiſtoriæ ideo diligentius obſeruandæ ſunt, poſterioribus enim temporibus leges & opiniones illæ de ieiuniis tanquam Apoſtolicæ, ſub ſpecie magnæ religionis recipi, probari, & magnis encomiis commendari cœperunt. In qua iudiciorum diuerſitate optima eſt Tertulliani regula: Quòd primum verum, adulterinum verò quodcunque poſterius.

*Nota de quadrageſima ex Irenæo.*

## QVOMODO ABSTINENTIA AC PROhibitio vini & carnium in Tatiano & Seuero damnata ſit.

IN hiſtoria Eccleſiaſtica vtiliter hoc obſeruari poteſt, quòd opiniones quædam ſuperſtitioſæ & minus ſanæ, ſæpius ab hominibus non malis primùm ſparſæ & vſurpatæ, atque in illis aliquandiu toleratæ fuerunt. Poſtea verò quando illæ ipſæ opiniones craſſius proponi, & rigidius defendi cœperunt, tanquam hæreticæ damnatæ fuerunt. Ita ſententiæ quædam de libero arbitrio minus commodæ & ſanæ, à patribus ante vſurpatæ, & in illis toleratæ, poſtea in Pelagio damnatæ fuerunt. Eodem modo quod in therapeutis Philonis non toleratum tantùm, verùm etiam laudatum fuerat, poſtea in Encratitis & Seuerianis, craſſius illud tradentibus & defendentibus, damnatum fuit. Suprà enim diximus, therapeutas Philonis ſub titulo & nomine ἐγκρατείας continentiæ vel abſtinentiæ, penitus abſtinuiſſe à carnibus, à vino. Ex Tatiani verò ſchola, poſtea circiter annum Domini 180. progreſſi fuerũt, qui ſe appellauerunt ἐγκρατεῖς, ſicut Irenæus apud Euſebium loquitur. Vel ἐγκρατίτας, ſicut Epiphanius loquitur. Illi iuxta Irenæi deſcriptionem, τῶν ἐμψύχων ἀποχὴν εἰσηγήσαντο, abſtinentiam à carnibus animantium introduxerunt. Atqui ex Apocryphis & ex Alcibiadis hiſtoria oſtendimus, abſtinentiam illam etiam ante ab aliis vſurpatam fuiſſe, Epiphanius dicit, ἐμψυχοφαγίαν ἀπαγορεύουσι, animantiũ manducationem interdicunt ſeu prohibent. Et de Seuerianis idem dicit: οἴνου παντελῶς ἀπέχονται, A vino omninò abſtinent. Sed vtrumque etiam Philonis θεραπευταὶ fecerunt, qui de vini abſtinentia hanc reddiderunt rationem, quia vinum ſit pharmacum ἀφροσύνης, dementiæ. Eandem verò rationem Encratitæ etiam & Seueriani, ſed craſſius, propoſuerũt. Vinum ſcilicet θολοῖν, turbare mentem hominis, & iam ad libidines, iam ad iram, iam ad inſaniam excitare, atq; hoc probarunt exemplis Noe, Loth, &c. Dixerunt autem inde hoc fieri, quia ſerpẽs ſeu diabolus terræ commixtus vitem produxerit, & venenum illud draconis in vino ita turbare mentem, atq; ideo vinum eſſe diabolicum, ac propterea vtentes vino eſſe ἀνόμους καὶ ἁμαρτάδας, peccatores & præuaricatores. Et ſanè ſi vinum per ſe eſſet cauſa dementiæ, & carnes cauſa prauæ cõcupiſcentiæ, omninò ſequeretur nõ eſſe bonas Dei creaturas. Sed Epiphanius rectè reſpondet, non vini, ſed intemperantiæ culpam eſſe, quæ in aliis etiam rebus rectè prohibeatur.

*Tatiani.*

*Encratitæ.*

*Cauſa abſtinentiæ à vino.*

Therapeutæ Philonis & alij dixerũt, à carnibus ideo abſtinendum, quia prauas cõcupiſcentias prouocent & inflamment. Quia verò prauas illas concupiſcentias prouocare & augere peccatum eſt: Encratitæ rationem illam craſſius aliquanto expoſuerunt, dixerunt enim, ſicut Epiphanius ſcribit, βδελύσσειν καὶ ἀπαγορεύειν, abominari & prohibere mãducationem animantium, κατὰ φόβον καὶ ἴνδαλμα propter metum & imaginatiuum quaſi ſpectrum, ne damnarentur ob perceptionem carnium animantium. Ita ſuperſtitioſæ illæ opiniones, quando in errores nimium craſſos eruperunt, tanquam hæreſes damnatæ ſunt. Et hoc quidem modo aliquantum repreſſæ fuerunt ſuperſtitiones, ſed tamen ex illis alio prætextu, alia ſpecie & opinione ſemper aliquid etiã poſtea adhæſit: Eſum enim carnium tempore ieiunij, poſtea etiam prohibuerunt ex hoc capite, quòd vitioſas concupiſcentias prouocet & inflammet, quod cùm peccatum ſit, ideo dixerũt pœnam damnationis incurrere eos,

*Abſtinentiæ carnium cauſa.*

*Nota.*

qui prohibitis temporibus carnibus etiam moderatè veſcerentur. Et Carthuſienſium regula eſum carnium per totam vitã, ſub pœna æternæ dãnationis prohibet. Hoc certè eſt illud ipſum ἴνδαλμα, imaginarium illud ſpectrum, metus damnationis propter eſum carnium, ſicut Encratitarum opinio apud Epiphanium deſcribitur. Ita quod in Encratitis damnatur, hoc in aliis laudatur, modò aliam ſpeciem induat. Epiphanius qui ipſe alibi prohibitionem carniũ laudat, hoc loco dicit: Tatianũ interdixiſſe eſum carnium οὐχ ἕνεκεν ἐγκρατείας, non continentiæ, temperantiæ, aut moderationis cauſa, cùm ipſe ſcribat, quòd Tatiani vocarint ſe ἐγκρατίτας, quodq; toto ſuo inſtituto ἐγκράτειαν prædicarunt, adeò vt ne in myſteriis quidem vino voluerint vti, ſed aqua, vnde dicti fuerunt ὑδροπαραστάται, ſed tẽperantiam & ſobrietatem, quam Scriptura præcipit, exiſtimarunt ſitam eſſe in prohibitione vini & carnium, & non aliter poſſe præſtari niſi per abſtinentiam à vino & carnibus. Debuiſſet igitur Epiphanius de carnibus dicere, ſicut de vino dixerat. Non in carnibus, ſed in temperantia vitium eſſe, & in eſu carnium, ſicut in aliis etiam cibis, adhibendam eſſe temperantiam, atq; hoc modo moderatè veſci carnibus non eſſe peccatum. Sed errores non rectè poſſunt refutari ab illis, qui aliqua ex parte in eodem luto hærent. Clemens lib. 3. ſtromatum dicit, librum à Tatiano fuiſſe cõpoſitum hoc titulo: De perfectione ſecundũ Saluatorem. Vnde colligi poteſt, quòd opinione perfectionis abſtinentiã à vino & carnibus indixerit. Et tales hiſtoricæ obſeruationes de multis rebus commonefactiones præbent.

*Carthuſiẽſes.*
*Epiphanius.*
*Clemens.*

*QVAE FVERINT LEGES ILLAE IEiuniorum, quas hiſtoriæ à Montano hæretico latas, & ab Eccleſia illius temporis reiectas fuiſſe referunt.*

IN hoc Hiſtorici conſentiunt, nõ diu poſt Tatianum cœpiſſe Mõtanum phanatica ſua dogmata, ſub prætextu nouæ Prophetiæ, quam fingebat Paracleti reuelationem eſſe, ſpargere. Inter errores verò, & damnata Mõtani dogmata, vnum etiam caput de ieiuniis fuiſſe inter omnes conuenit. Qualis verò fuerit Montaniſtarũ de ieiuniis opinio, quæ iudicio Eccleſiæ catholicæ exploſa, & tunc dãnata fuit, nõ ſatis perſpicuè & diligenter, ab illis, qui catalogos hæreticorum deſcripſerũt, annotatũ eſt: Multos quidem illis temporibus ſcripſiſſe refutationes dogmatũ Montani, Euſebius lib. 5. cap. 15. & 16. notatis ipſorum nominibus, teſtatur: ſed eorũ Scripta ad noſtra tempora non peruenerunt. Ex Apollonij verò confutationibus verba quædam Euſebius lib. 5. cap. 17. deſcribit, in quibus ieiuniorum Montanicorum mentio fit, ſed valdè paucis verbis: Hic eſt, inquit, nouitius ille Doctor, ὁ νηστείας νομοθετήσας, qui de ieiuniis leges tulit, ſeu potius, qui ieiunia certis legibus determinauit, definiuit vel ordinauit, hoc enim verba propriè ſignificant. Atque inde reliqui etiam hiſtorici dicunt, Montanum feciſſe leges de ieiuniis, quos primitiua illa Eccleſia reiecerit & damnarit, quæ verò & quales iſtæ Montani leges fuerint, nemo fermè certò explicat. Idq; inde factum eſt, quod ex poſterioribus pleriq; vel eaſdẽ, vel ſimiles de ieiuniis leges amplexi ſunt: quomodo igitur in Montano illud refutarent, quod ipſi amplectebantur? Ita Epiphanius, qui ipſe leges de temporib. ieiuniorũ & de ciborum delectu amplectitur, nec rectè recitat, nec refutat Montaniſtarũ leges de ieiuniis, ſed affingit ipſis hanc opinionem ἀπέχεσθαι τῶν βρωμάτων παραγγέλλουσι, οὐχ ἕνεκεν πολιτείας προτρεπόμενοι, οὐχ ἕνεκεν ἀρετῆς μείζονος, καὶ βραβείων, καὶ στεφάνων, ἀλλὰ βδελυκτὰ τὰ ὑπὸ κυρίου γεγενημένα, ἡγούμενοι, hoc eſt, præcipiunt abſtinere à cibis, non diſciplinæ gratia exhortantes, nõ maioris virtutis gratia, non præmiorum & coronarum gratia, ſed quod ea, quæ à Domino facta ſunt, abominabilia iudicent. Ita Epiphanius. Sed ex vetuſtiſſimis nemo illam opinionem Montano tribuit, & quia paulò antè opinio illa in Tatiano publicè damnata fuerat, Montanus ſine dubio dogmate ſuo de ieiuniis, non blaſphemam & damnatam hanc, ſed aliam plauſibiliorem ſpeciem circumdedit, maximè cùm fingeret ſe ex Paracleti reuelatione ad meliorem & perfectiorem Eccleſiæ diſciplinam dogmata ſua proferre. Et ipſe Epiphanius tribuit Montano hoc teſtimonium, quod totam Scripturam, vetus & nouum teſtamentum receperit, Ergo non docuit cibos à Deo creatos abominabiles eſſe, hoc enim eſt contra doctrinam noui Teſtamenti.

*Montanus.*
*Apollonius.*
*Leges ieiuniorum.*
*Epiphanius errorẽ Montani non rectè deſcribit.*

Theodoretus dicit, Montanum introduxiſſe νηστείας καινὰς παρὰ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔθος, noua ieiunia præter Eccleſiæ morem & conſuetudinem, ſed quæ aut qualia illa fuerint, non explicat.

Quales verò fuerint Montani leges de ieiunio, inde aliquo modo colligi poteſt, quod apud Euſebium lib. 6. ca. 3. Gallicæ Eccleſiæ, cùm ad Aſiaticas de Montani erroribus ſcriberent, hiſtoriam de Alcibiadis abſtinẽtia ab Attalo reprehenſa, Epiſtolæ illi inſeruerunt, quodq; literas illas Ireneo, qui de tempore ieiunij contra Victorem diſputauit, perferendas tradiderunt. Vnde non obſcurè conijcere licet, de tempore ieiunij, & de diſcrimine ſeu delectu ciborum, Montanum leges tuliſſe.

*Mõtani leges quales.*

Sed quia coniecturis in re tanta non eſt fidendum, age producamus teſtem, qui & rectiſſimè intellexit, & omnium certiſſimè teſtari poterit, quæ & quales fuerint Montani leges de ieiuniis, quas Eccleſia tunc reiecit & damnauit. Tertullianum enim ad Montani partes defeciſſe, & eas contra Eccleſiam publicis Scriptis defendiſſe conſtat.

*Tertullianus Montaniſta.*

Et Hieronymus teſtatur ipſum ſpecialiter cõtra Eccleſiam inter cætera tenuiſſe volumen de ieiuniis, quod in prioribus Tertulliani editionibus deſideratum fuit, ſed in Lutetiana editione additũ iam extat, & ita conſcriptum eſt, vt multis verbis explicet, & quæ fuerint Montani leges de ieiuniis, & quibus argumẽtis Montaniſtæ leges ſuas de ieiuniis contra Eccleſiã defenderint: Et viciſſim ex quibus fundamentis Eccleſia iſtas Montaniſtarũ leges improbarit & refutarit. Atq; ex hoc teſtimonio, quod de hac cõtrouerſia certiſſimum, atq; omni exceptione maius eſt, rectè & manifeſtè agnoſcemus, quæ fuerint Montani leges de ieiuniis, ab Eccleſia tunc reprobatæ & damnatæ. Apparebit etiam inde, qua fide Epiphanius Mõtani errorem de ieiuniis deſcripſerit, & quomodo ſequens ætas ad leges illas ieiuniorum in Montano antea damnatas, prætextu

& adul-

& adulteratione diſciplinæ relapſa ſit. Atq; propter hanc cauſam ſingulare beneficium Dei eſſe iudico, quòd ſcriptum illud Tertulliani de ieiuniis denuo in lucem prodiit. Inde enim iudicare poſſumus, quales & vnde ſint traditiones illæ de ieiuniis, quæ apud pleroſque etiam Patres iactantur. Sed pręcipua capita ad hanc controuerſiam pertinentia ex libro illo Tertulliani deſcribemus, & quidē ipſis Tertulliani verbis.

### EX TERTVLLIANI LIBRO *de Ieiunijs.*

SCribit igitur Tertullianus de ieiunio aduerſus Phyſicos, hoc eſt, ſicut Hieronymus dicit, contra Eccleſiam, ſe enim Montaniſtas vocabant ſpirituales, reliquos vero animales. Et in exordio dicit, ſe contra illos ſcribere, qui paracleto Montani controuerſiā faciebant, & nouam eius prophetiam recuſabant. Quid autem Eccleſia in Mõtaniſtarum legibus de ieiunio reprehenderit, ita exponit Tertullianus. Arguunt nos, inquit, quòd ieiunia propria cuſtodiamus, quòd ſtationes plerunq; in veſperam producamus, quòd etiam xerophagias obſeruamus, ſiccantes cibum ab omni carne & omni virulētia, & vuidioribus quibuſq; pomis, nec quid vinoſitatis vel edamus vel potemus, lauacri quoq; abſtinentiam cōgruentem arido victui ſeruemus. Nouitatem igitur obiectant, de cuius illicito præſcribant. Si humana pręſumptio eſt, hæreſin iudicandam: Si ſpiritualis indictio eſt, Pſeudoprophetiā pronunciandam. Hæc igitur Catholici in Montanorum ieiuniis referente Tertulliano reprehenderunt. Poſtea exponit etiā, quæ fuerit tunc doctrina & ſententia Eccleſiæ de ieiunio. In Euangelio illos dies, inquit, ieiuniis determinatos putant, in quibus oblatus eſt ſponſus, ſcilicet in hebdomada ante Paſcha, & hos eſſe iam ſolos legitimos Chriſtianorum, abolitis legalibus vetuſtatibus. Itaque de cętero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ diſciplinę, pro tēporibus & cauſis cuiuſq;, ſic & Apoſtolos obſeruaſſe, nullum aliud imponentes iugum certorum, & in cōmune obeundorum ieiuniorum, & proinde nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant, quartæ feriæ & ſextæ, paſſiuè tamen currant, non ſub lege præcepti, neq; vltra ſupremum diei, quando & orationes ferè hora nona cōcludant, &c. Tertiò, recitat etiam, quæ argumēta, & ex quibus fundamētis, Eccleſia tunc Montaniſtis oppoſuerit, xerophagias dicunt nouum affectati officij nomen, & proximum ethnicæ ſuperſtitioni, quales caſtimoniæ Apim & Iſidem & magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cùm fides in Chriſto libera, ne Iudaicę quidem legi abſtinentiam quorundam ciborum debeat, ſemel in totum macellum ab Apoſtolo admiſſa, de teſtatore eorum, qui iubeāt cibis abſtinere à Deo cōditis, & ideo nos Montaniſtas, ita nunc prænotatos. Sic & cum Galatis nos quoq; percuti aiunt, obſeruatores dierum, menſium, & annorum. Ioculantur interea & Eſaiam pronunciaſſe, non abſtinentiam cibi, ſed opera iuſtitiæ Dominum elegiſſe. Et ipſum Dominū in Euangelio ad omnem circa victus ſcrupuloſitatem compendio reſpondiſſe: Non his coinquinari hominē, quæ in os inferuntur, ſed quæ ex ore proferuntur, cùm & ipſe Dominus māducaret & biberet, vſq; in notationem. Ecce homo vorator & potator. Sic & Apoſtolum dicere, quòd eſca nos Deo non commendet, neq; abundantes ſi edamus, neque deficientes ſi non edamus. His addūt ſuperuacua, nec adeo neceſſaria exiſtimanda dilati vel diminuti cibi officia præponente Deo iuſtitiæ opera. Diligendū eſſe Deum & proximum, in his enim duobus pręceptis totam legem pendere & Prophetas, non in inteſtinorum noſtrorum inanitate. His verbis Tertullianus deſcribit argumenta & fundamenta Eccleſiaſticorum contra Montaniſtas.

*Mõtaniſtæ de ieiunijs quomodo.*

*Quid tūc Eccleſia de ieiunijs.*

*Fundamenta Eccleſia contra Montaniſtas.*

Quartò, texit Tertullianus Apologiam Montanici dogmatis, vbi opiniones ipſorum de ieiunio multis verbis deſcribit. Nos capita tantùm ipſius Tertulliani verbis excerpemus, reliqua in ipſo Tertulliano, qui volet leget. Affirmare igitur, inquit, nos Montaniſtę debemus, quantum inanitas iſta inteſtinorum apud Deum valeat, & ante omnia oſtendendum, vnde ratio ipſa proceſſerit hoc modo promerendi Deum, tunc enim agnoſcetur obſeruationis neceſſitas. Et diſputat mandatum ieiunij fuiſſe, quod Adamo in Paradiſo datum fuit, Non comedes de arbore ſcientiæ, &c.

*Mõtani phraſes de ieiunio.*

*Promereri Deum.*

*Neceſſitas Adam.*

Atque ita Deum oſtendiſſe, cibum pro veneno deputandum, & antidotum famem ſumendam, per quam mortis cauſa purgetur. Item, cùm Deus ieiunium mandet, & animum conquaſſatum (vtiq; cibi anguſtiis) ſacrificium appellet, ergo interdicto cibo & obſeruato eo pręcepto, primordiale delictum expiatur, vt homo per eandem materiam cauſa ſatis Deo faciat per quam offenderat, hoc eſt, per cibi interdictionem, atque ita ſalutem æmulo modo redaccenderet inedia, ſicut extinxerat ſagina. Item, primordiale delictum maioris abſtinentiæ operatione expiandum eſt. Et introducens exempla Moſis & Helię addit: Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem parem pari, quia ſcilicet iuxta Scripturam Deus non edit. Item, Ieiunium, inquit, iratum Deum homini reconciliat, vt Samuel oſtendit, in Maſpha. Per inediam Niniue de exitio prædicata liberatur. Dicit etiam ad exorandam iram Dei, ad elimanda peccata, ad impetrandam tutelam Dei, & gratiam, neceſſaria eſſe ieiunia. Item, non modò periculorum auerſionem & delictorum obliterationem, ſed & ſacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merentur, vt in Daniele. Dicit etiam Chriſtum in deſerto, cùm quadraginta diebus ieiunaret, pręſtituiſſe legem de ieiuniis tranſigendis. Et exemplo de Propheta illo, cui Deus prohibuerat, ne comederet panem in Bethel. 3. Reg. 13. vtitur ad ſtabiliendas Montani leges de ieiunio.

*Purgatio mortis.*

*Expiatio.*

*Satisfactio.*

*Salus.*

*Recōciliatio.*

*Liberatio.*

*Exoratio.*

*Gratia.*

*Tutela.*

*Ieiunium Chriſti.*

De ciborum verò delectu ita diſputat montaniſans Tertullianus. Exceptio, inquit, quorundam eduliorum portionale ieiunium eſt, & vocat interdictionē cibi. Et xerophagias conatur probare ex Daniele, quodq; Dauid cinerē ſicut panem ederit. Vini abſtinentiam ab exemplo Samuelis, Aaronis & Nazaræorum probat.

*Exceptio & interdictio quorundam ciborum.*

De ſtationibus quæ in ſerū producātur, & de ſolenni conſtitutione ſiue lege Montani, quando, ſiue quibus diebus ſit ieiunandum, diſertis verbis dicit: Illa carere Scripturæ autoritate, ſed obſer-

*Montanica ſunt ex traditione.*

obſeruari ex traditione, de qua ita inquit: A quocunq; inſtitutore iſta ſunt, ſiue ſpirituali ſiue tantũ fideli, certè Deo currũt, hoc eſt, in honorem Dei fiunt, Ergo nõ ſunt à ſpiritu diaboli.

Quod verò Eccleſiaſtici dicebant, præter ea ſolennia, quæ vel Scripturis vel traditionib. maiorum conſtituta ſunt, nihil obſeruationis amplius adijciendum ob illicitũ innouationis. Ad hæc Tertullianus ita reſpõdet, vt oſtendat, quæ fuerint Eccleſiæ veræ primitiuæ ieiunia, & quæ

*Nota.*

poſtea ac quomodo acceſſerint. Certè, inquit, vos præter Paſcha, ieiunantes citra illos dies, quibus oblatus eſt ſpõſus, etiam ſtationum (ſcilicet quartæ & ſextæ feriæ) ſemiieiunia (ſcilicet quia ſine ciborum delectu, & tantùm vſque ad horam nonam) interponentes, interdum etiam pane & aqua victitantes, vt cuique viſum eſt. Et reſpondetis quidem ex arbitrio hæc agi, non ex imperio. Mouiſtis igitur gradum excedẽdo traditionem maiorum, cùm, quæ non ſunt conſti-

*Indicebantur ieiunia.*

tuta obitis. Si hoc veſtro arbitrio permittitis, cur non idem Paracleti, ſcilicet Montani, imperio datis? Certè, inquit, Epiſcopi ſæpe vniuerſæ plebi mandare aſſolent ieiunia, ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa imminentiũ, ſiue Eccleſiaſticarum tentationũ, ſiue mundalium plagarũ, quare ergo non Paracletus ταπεινοφροσύνην indicaret, & talem diſciplinam mandaret.

*Galat. 1.*

Ad argumenta Eccleſiaſticorum ita reſpondet: Paulus ad Galatas diſputat contra veteres legales ſolennitates: Sed Mõtani diſputationes non ſunt vetera illa, ſed noua ſolennia. Ad lo-

*1. Tim. 4.*

cum 1. Tim. 4. ita reſpondet: Paulus damnat hæreticos perpetuam abſtinentiam prçcepturos, ad deſtruenda & deſpicienda opera Creatoris, quales fuerunt Martion & Tatianus. Sed quantula, inquit, apud nos eſt interdictio ciborum?

*Tempora ieiuniorũ Montani.*

Duas in anno hebdomadas xerophagiarũ, nec totas exceptis ſcilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abſtinentes ab eis, quæ non reijcimus, ſed differimus. Paulus verò accuſat illos caſtigatores, & interdictores victus, qui non ex officio in honorem Dei, ſed ex faſtidio in conuitium Creatoris abſtinebant.

*Ethnicorum abſtinentia.*

In fine Ethnicorum exempla introducit. Omnem, inquit, ταπεινοφροσύνην etiam ethnici agnoſcunt, cùm ſtupet cœlum & aret annus nudipedalia denunciantes, Magiſtratus purpuras ponunt, faſces retrò auertunt, precem indigetant, hoſtiam inſtaurant. Alibi verò annuo ritu ſaccis velati & cinere conſperſi, idolis ſuis inuidiam ſupplicem obijciunt, balnea & tabernæ in nonam vſque clauduntur. Et ex xerophagiis Iſidis & Cibeles dicit Montanica probari. Si enim illi idolis hoc faciunt, cur non potius nos Deo hoc faceremus? cùm & Iudæi hodierni vſq; ad ortum ſtellarum ieiunia ſua producant.

*Nota.*

In toto verò Scripto & præcipuè in fine, illos, qui Montani leges de ieiuniis nolebant recipere, acriter criminatur, quòd temperantiam, humilitatem & ieiunia oderint, gulæ & commeſſationibus dediti, & omnia Scripturç dicta de crapula & ebrietate contra illos torquet, eodem prorſus modo, ſicut Põtificij nunc faciunt, Deus inquit, cibi venter eſt, pulmo Templum, aqualiculus altare, ſacerdos cocus, ſpiritus nidor, cõdimenta chariſmata, & victus prophetia. Item: apud te charitas in cacabis feruet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis iacet, &c. Macies, inquit, non diſplicet nobis, neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, ſicut nec ſpiritum ad menſuram, facilius verò per anguſtam ſalutis ianuam introibit caro exilior, & ita reſuſcitabitur caro leuior.

*Nota.*

Hęc ipſis Tertulliani verbis adſcripſi, ne quis fingi aliquid criminetur. Et Lector etiam non admonitus animaduertit præcipua capita hiſtoriæ de ieiunio, & hiſce notationibus comprehendi clarius & certius, quàm in omnibus fermè aliis hiſtoricis.

*Epiphanius mala fide, &c.*

Primò enim manifeſtiſſimè hinc patet, falſam eſſe illam deſcriptionem erroris Montani de ieiunio, quam Epiphanius, ſicut ſuprà notauimus, Montano tribuit. Tertullianus enim Montaniſta diſertè hoc negat, & contrariũ prorſus profitetur, Mõtanum ſcilicet interdixiſſe quoſdam cibos non perpetuò ſeu in vniuerſum, ſed certis tantùm temporibus, non quòd cibos illos reijciendos aut abominabiles iudicarit, ſicut Tatianus, ſed diſciplinæ, maioris virtutis & præmiorum gratia. Et ex hac collatione manifeſtum eſt, veteres & præcipuè Epiphanium, deſcriptiones hæreſeon accommodaſſe & intellexiſſe ſecundum præconceptas ſuas opiniones. Quia enim Epiphanius, ſicut poſtea oſtendemus, leges de temporibus ieiunij, & de ciborum prohibitione ipſe probauit & vrſit, ideo nec potuit nec voluit Montani leges, ſicut primitiua Eccleſia fecerat, inter hęreſes referre, ſed aliud ipſi tribuit, & affingit, quod Mõtanus expreſsè negat. Illud verò quod Montanus reuera ſenſit, quodq; vetus Eccleſia in ipſo damnauit, Epiphanius tanquam verum laudat & probat, ſicut collatio deſcriptionis Montaniſmi, quæ extat apud Tertullianum & Epiphanium, manifeſtè oſtendit. Et hæc certè non eſt bona fides, debuiſſet enim Epiphanius veteris Eccleſiæ hiſtoriam, quid illa in Montano damnaſſet, bona fide deſcribere, non ſuas opiniones ſubſtituere. Et hoc diligenter obſeruandum eſt, vt ſciamus, quantum huiuſmodi ſcriptoribus tribuere debeamus, & ſequẽtia oſtendẽt, quantũ Eccleſię nocuerint illi, qui iudicia veteris ſeu primitiuę Eccleſię nõ bona fide deſcripſerunt, ſed ad præconceptas ſuas opiniones inflexerunt. Inde enim factum eſt: quòd ij, qui poſtea Montanum ſtrenuè damnabant, Mõtani tamen ſententiam amplecterentur & ſequerentur, ſicut mox oſtendemus.

*Eccleſia de temporibus ieiunij.*

Secundò ex hac etiam Tertulliani deſcriptione rectè colligitur, quæ fuerit veteris ſeu primitiuæ Eccleſiæ, vſque ad Tertulliani tempora per annos fermè ducentos de ieiunio, doctrina & ſententia, Apoſtolos ſcilicet docuiſſe, eſſe ieiunandum, ſed non impoſuiſſe iugum, quod ad tempus attinet, certorum & in commune ex imperio ſeu mãdato obeundorum ieiuniorum: ſed illud reliquiſſe Eccleſiæ & fidelium arbitrio, vt pro temporibus & cauſis, vel Epiſcopi indicerent, vel priuati ſuſciperent ieiunia, non ex imperio, nec ſub Lege præcepti, ſed indifferenter ex arbitrio. His enim verbis Tertullianus Eccleſiæ ſententiam Montaniſtis tunc oppoſitam deſcribit, oſtendit etiam, primitiuam Eccleſiam ieiunia non conſtituiſſe in diſcrimine ſeu delectu ciborum. Imò interdi-

*De ciborum delectu.*

ctionem ſeu exceptionem certorum eduliorum

tempore

tempore ieiunij, Eccleſia tunc tanquam hæreſin damnaſſe, & libertatem ciborū, quoad conſcientiam, etiam tempore ieiunij, magno zelo defendiſſe. Hoc etiam vetus Eccleſia diligenter tradidit, ſicut verba Tertulliani docent, ſuum quidem locum tribuendum eſſe ieiunio, ſed ſpirituales cultus ſeu exercitia iuſtitiæ & dilectionis, longè anteferēda eſſe corporalibus ieiuniorum exercitiis. *Opus operatum ieiunij.* Et ipſum opus operatum ieiunij, ſeu, vt Tertullianus loquitur, inanitatem inteſtinorum, per ſe non eſſe cultum Dei, niſi ſcilicet ad veros & pios fines in Scriptura monſtratos, referatur. *Libertas.* Libertatem igitur, ſine opinione neceſſitatis, in ieiuniis vetus Eccleſia & vſurpauit & defendit, quò ad tempus & quò ad cibos, quibus ſcilicet diebus, & quando ſit ieiunandū, & quibus cibis ſit vtendum. Tertiò, colligitur etiā ex hac Tertulliani narratione, quæ obſeruationes ieiuniorum receptæ & vſitatæ fuerint in primitiua Eccleſia, Paſchale ſcilicet ieiuniū, circa illos dies, quando ablatus eſt ſpōſus, quaſi ſolenne, ex more maiorum receptū & vſitatum tunc in Eccleſia fuiſſe. *Quæ ieiunia tunc in Eccleſia.* Quòd verò in illo etiam Paſchali ieiunio diuerſæ & liberæ fuerint obſeruationes, antea ex Irenæo oſtendimus. Et hoc forſan ſibi volunt Tertulliani verba, vbi dicit: Circa illos dies quibus ſponſus ablatus eſt ieiunari, hoc eſt, quod iuxta Irenæi narrationem quidam ieiunarint, non tantùm duos illos dies, quando per crucifixionem ſponſus à diſcipulis ablatus eſt, & altero in ſepulchro quieuit, ſed plures etiam dies ante Paſcha.

Deinde oſtēdit locus ille Tertulliani, Eccleſiam præter traditionem, cōſtitutionem & morem maiorum, ita enim Tertullianus loquitur, cœpiſſe tunc ieiunare, etiam quarta & ſexta feria, quando ſcilicet ad ſtationes publicarum orationum conueniebant. *Ieiunium 4. & 6. feria.* Sed illa ieiunia non fuiſſe ab Apoſtolis impoſita, ſed paſſiuè cucurriſſe, hoc eſt, indifferenter, ex arbitrio, non ex imperio diſciplinæ, nec ſub lege pręcepti obſeruata fuiſſe. His enim verbis Tertullianus vtitur. Addit etiam Tertullianus de moribus Eccleſiæ catholicæ hoc: Interdum etiam pane & aqua victitatum, vt cuique viſum erat, ex arbitrio, non ex imperio. Hæc verò de ieiunio quartæ & ſextæ feriæ. *Ieiunium in pane & aqua.* Item, de ieiunio in pane & aqua, tunc noua fuiſſe in Eccleſia, Tertullianus his verbis oſtendit. Mouiſtis ergo gradum, inquit, excedendo traditionē maiorum, dum quæ non ſunt conſtituta, obitis. Porrò oſtendit etiam, Eccleſiam circa nonam horam, quādo publicæ orationes concludebantur, ſolitam ieiunia ſoluere. Hæc omnia in ſequenti Patrum hiſtoria magnum habebunt vſum.

Quartò, ex hoc Tertulliani ſcripto rectè & verè colligitur, quàm νομοθεσίαν ieiuniorum Eccleſia in Montano reprehenderit & damnauerit, quod ſcilicet tempora ieiuniorum etiam tunc vſitatorum ex imperio & ſub lege præcepti, opinione neceſſitatis, obſeruanda eſſe docuerit, quodq; noua conſtitutione ſeu lege propria ieiunia, hoc eſt, certa ſolēnia tempora præſcripſerit & mandarit, quibus diebus & quamdiu ſit ieiunandum: *Montani leges quæ.* Tertullianus enim ſcribit, pręter vſitata tunc ieiunia, duas in anno hebdomadas, exceptis ſabbatis & Dominicis ieiunandas, à Montano fuiſſe præſcriptas, ſtationes etiam ieiuniorum in ſerum ſeu veſperam producendas eſſe.

Deinde damnauit Eccleſia & hoc in Montano, quòd leges fecit de prohibitione, vel, ſicut Tertullianus loquitur, de exceptione & interdictione certorum eduliorum tempore ieiunij. *Prohibitio ciborum.* Arguunt, inquit, Montaniſtas, quod xerophagias, hoc eſt, aridum victum obſeruent, ſiccantes cibum ab omni carne, vinoſitate, virulentia, & humidioribus fructibus, cum lauacri abſtinentia. Et hiſce obſeruationibus Montanus neceſſitatem attribuit, cùm econtrà Eccleſia doceret, indifferenter ex arbitrio, vt cuique videretur, pro temporibus & cauſis cuiuſque, nō ex imperio nec ſub lege præcepti, talia obſeruanda eſſe. *Neceſſitas.* Hæc enim ſunt Tertulliani verba.

Quintò, illud etiam in Tertulliani narratione vtiliter obſeruari poteſt, ex quibus Scripturæ fundamentis Eccleſia tunc leges Montanicas refutarit. Nempe, quia Apoſtoli & docuerūt & obſeruarūt pro temporibus & cauſis cuiuſq; ieiunandum, nec vllum aliud iugum impoſuerūt certorum ieiuniorum. *Apoſtoli de ieiuniis.* Ideo nec ex imperio nec ſub lege præcepti mandanda eſſe ieiunia: Paulum enim damnare temporum obſeruatores. Cùm verò Montaniſtæ dicerēt, legales ſeu Moſaicas temporum obſeruationes abrogatas eſſe, nouas verò poſſe inſtitui, ſi modò fiat intentione honoris & cultus diuini: Eccleſia tūc reſpondit: Præter ea quæ in Scriptura conſtituta, & in Apoſtolica Eccleſia vſitata fuerunt, nihil obſeruationis adijciendum: Nouitatem enim eſſe illicitā, quæ ſi ex humana traditione vel præſumptione oriatur, hæreſin eſſe iudicandam, ſi ſub prætextu reuelationis ſeu inſpirationis diuinæ proponatur, Pſeudoprophetiam pronunciandam. *Nouitas.* De cibis vſi fuerūt locis Scripturæ, Matth. 11. & 15. Roma. 14. 1. Cor. 10. Gal. 4. Eſa. 58.

Locum verò Pauli 1. Tim. 4. Eccleſia tunc intellexit, nō tantùm de Marcionitis & Tatianis, qui cibos quoſdā perpetuò ad deſpicienda opera Creatoris prohibebant, verùm etiā de Montaniſtis, qui certis tēporibus cibos quoſdā prohibebant, ex imperio diſciplinæ, & in honorem Dei. *Locus 1. Tim. 4. quomodo intelligēdus.* Et ex Tertulliani reſponſione manifeſtè patet, Montaniſtas tunc prorſus eadem exceptione, qua nunc Pontificij vtuntur, conatos eludere locum Pauli 1. Timo. 4. de ciborum prohibitionibus, ſicut Tertulliani verba oſtendunt, id quod Lectori diligenter obſeruandum eſt.

Sextò, quas opiniones meriti Montaniſtæ ieiuniis ſuis affinxerint, nō aliunde melius & certius, quàm ex Tertulliano Mōtaniſta cognoſcere poſſumus, quæ obſeruatio propterea vtilis eſt, oſtendit enim, ex quibus fontibus profluxerint Pontificiorum phraſes ſuprà deſcriptæ, de meritis ieiunij. *Montaniſta de meritis ieiunij.* Ita autem Tertullianus Montani dogmata de ieiunio cōtra Eccleſiam defendens loquitur, ieiunium eſſe rationem promerendi Deum. Eſſe antidotum, per quod purgetur cauſa mortis, & primordiale delictum expietur, per cibi interdictionem Deo offenſo ſatisfieri, ſalutem inedia redaccēdi, & primordiale delictum maioris abſtinentiæ operatione expiari. Ieiuniū Deum iratum homini reconciliare, de exitio liberare, iram Dei exorare, peccata elimare, impetrare tutelam & gratiam Dei. Ieiunia de Deo mereri periculorum auerſionem, & delictorum oblite-

obliterationem, & carnem ieiuniis exhauſtam, facilius per anguſtam ſalutis ianuam introire. Quodque Dauid dixit: Spiritum contribulatum eſſe ſacrificium Deo: Hoc Tertullianus de cibi anguſtiis intelligit. Hæc omnia ſunt Tertulliani Montaniſantis verba. Et quia inde quædam in aliorum etiam Patrũ ſcripta poſtea irrepſerunt, ſi Pontificij noluerint admittere, vt ea iuxta fidei analogiam commodè interpretemur, poſſumus hinc oſtendere, ex qua ſchola emanarint, & cuius linguam imitentur, cùm Scriptura ita non loquatur.

Poſtremò, eſt & hoc obſeruandum, quibus Scripturæ locis Montaniſtæ ad ſtabiliendas ſuas de ieiuniis leges abuſi ſint: nempe de arbore, cuius vſus Adamo in Paradiſo interdictus fuit. Item Chriſtum ſuo ieiunio præſtituiſſe legem ieiuniis. Et quæ præterea ſuprà Tertulliani verbis cõmemorata ſunt. Obſeruandum eſt & hoc, quod ex ieiuniis & ſuperſtitioſis abſtinẽtiis certorum ciborum apud Ethnicos & Iudęos, Montaniſtæ per κακοζηλίαν occaſionem arripuerunt ſuorum ieiuniorum. Et quomodo Eccleſia illud inuerterit, ſcilicet, xerophagias nouum eſſe affectati officij nomen, proximum ethnicę ſuperſtitioni. Item, quando Pontificij nos, qui ſuperſtitioſas ipſorum leges & opiniones de ieiunio non probamus, criminantur tanquam patronos crapulæ & ebrietatis, ſciamus eandem ſophiſticam Montaniſtas contra Eccleſiam vſurpaſſe, & ψυχικῶν σωφροσύνης ſpecie leges ſuas palliaſſe. Reſpondemus autem, illud quod Auguſtinus Vrbico reſpondit: Aliud eſt corda grauare crapula & ebrietate, aliud eſt modeſtia & temperantia cuſtodita, relaxare ieiunium, hoc eſt, crapula & ieiunium non ſunt immediatè cõtraria, vt eum, qui nõ ieiunat, neceſſe ſit inebriari. Prandia igitur, inquit Auguſtinus, temperantiam à voracitate & ebrioſitate ventricolarũ diſcernat, &c.

*Ethnica.*

*Sophiſtica.*

Hæc de Montaniſtarum ieiuniis ex Tertulliano, qui circa annum Domini 220. Montani partes defendendas ſibi ſumpſit, accuratius, retentis vbiq; ipſius verbis, explicare volui. Hęc enim obſeruatio oſtendit, quales & vnde ſumptæ ſint traditiones de ieiuniis, quas ex apocryphis ſcriptis ſuprà recẽſuimus. Multa etiam ſequentium patrum dicta, ex vera hac de Montaniſmo hiſtoria, rectè dijudicari poterunt, præcipuè verò affinitas & ſimilitudo Pontificij ieiunij cum Montaniſmo, ad oculum quaſi, ex hac hiſtoria deprehenditur, & perſpicitur.

## QVOMODO POST TERTVLLIANVM *per aliquot annos libertas Euangelica in ieiunijs, ſalua retenta fuerit, ex Origene: Et de vſu ſanguinis.*

ITa ergo certamine illo Eccleſię contra Montaniſtas ſuperſtitioſæ leges de ieiuniis pauliſper repreſſæ, & libertas Euangelij aliquandiu retenta ac defenſa fuit, ſicut oſtendit locus Origenis, Homil. 10. in Leuiticum, vbi oſtendit, quomodo verè humilietur anima, quodque verum ieiunium non conſiſtat in prohibitione ciborum, & quæ ſit libertas in obſeruatione ieiuniorum, verba Origenis hæc ſunt: Tu ſi vis ieiunare ſecundum Chriſtum, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus eſt aptum totius anni, imò totius vitæ tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam, ſi tamen didiciſti à Domino, quia mitis eſt & humilis corde, vis tibi oſtendam quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna à malis artibus, abſtine à malis ſermonibus, contine te à malis cogitationibus, tale ieiunium Deo placet: abſtinere verò à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum illis, qui Dominum crucifixerunt, acceptum eſſe non poteſt Deo. Indignati ſunt aliquando Phariſæi Domino, cur diſcipuli eius non ieiunarent, quibus ille reſpondit: Non poſſunt filij ſponſi ieiunare quamdiu cum illis eſt ſponſus. Illi ergo ieiunent, qui perdiderunt ſponſum. Non habentes ſpõſum nobiſcum, ieiunare non poſſumus. Neque hoc tamen ideo dicimus, vt abſtinentiæ Chriſtianæ fræna laxemus. Habemus enim quadrageſimæ dies ieiuniis conſecratos, habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Eſt certè libertas Chriſtiana per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiæ ſuperſtitione, ſed virtute continentiæ, &c.

*Origenes de ieiunio.*

Scripſit autem Origenes circa annum Domini 240. Et tunc ſine ſuperſtitioſis legibus & opinionibus Eccleſiam ſeruaſſe libertatem Euangelicam in ieiuniis, ex loco illo Origenis manifeſtum eſt. In ea tamen libertate, illi qui ſine legibus, liberè & ſpontè vel ſæpius vel ſtrictius ieiunabant, paulatim concipiebant opinionem maioris perfectionis, ſicut Clemens Alexandrinus anteceſſor Origenis 5. ſtromatum de Ignoſtici ſui quem informat perfectione diſputans, inquit: Nouit ipſe ieiunij quoque ænigmata illorum dierum, qui vocantur Mercurij & Veneris, &c.

*Opinio perfectionis.*

Porrò allegatur & alia ſententia ex Origene, lib. 3. in Iob. Quãdo ieiunamus, abſtinemus nos, vt non guſtemus carnes, neq; vinum, neque ſuperfluas eſcas. Sed illud ſcriptum nõ eſſe γνήσιον Origenis, Eraſmus multis argumentis oſtendit. Et ipſe Origenes in cap. 15. Matth. contra ciborum diſcrimen ita inquit: Apoſtolus cùm ſciret non ciborum naturam eſſe in cauſa, vt lædatur vtens, aut iuuetur abſtinens, ſed opiniones quęque in his ſubeſt ratio, dixit: Eſca non commendat nos Deo, neq; enim ſi comederimus abundabimus, neq; ſi non comederimus aliquid deerit nobis. Et concludit contempta ſuperſtitione, in rebus indifferentibus, non faciẽdum eſſe diſcrimen in vſu cibariorum.

*Origenes de ciborum delectu.*

Illud verò obſeruandum eſt, quod Origenes Homi. 16. in Num. ſcribit: Etiam nos, qui ex gentibus vocati ſumus, neceſſariò iubemur abſtinere, ſicut ab iis, quæ idolis immolantur, ita & à ſanguine, &c. licet enim decretũ Apoſtolorum Actor. 15. factum fuerat, vt eſſet temporarium, propter infirmitatem eorum, qui ex Iudaiſmo conuerſi erant, tamen etiam ceſſante ea cauſa, obſeruatio illius decreti tanquam neceſſaria diu in Eccleſia manſit. Ita Biblis Martyr, apud Euſebium lib. 5. ca. 2. circa annum Domini 160. dicit: Nobis ne mutorum quidem animalium ſanguine veſci fas eſt. Et Tertullianus in Apologetico refert inter tentamenta Chriſtianorum ſolitos à paganis botulos cruore diſtentos admoueri. Et Auguſtinus quidem contra Fauſtum libro 32. cap. 13.

*De eſu ſanguinis.*

*Auguſtinus.*

32.cap.13.dicit: Apoſtolos præcepiſſe, vt ab animalium ſanguine abſtinerēt Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, vt cum Iſraelitis etiam gentes, propter angularem lapidem illum duos in ſe condentem, aliquid communiter obſeruarent. At vbi Eccleſia gentium talis effecta eſt, vt in ea nullus carnalis Iſraelita appareat, quis iam hoc Chriſtianus obſeruat, vt turdos vel minutiores auiculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? Aut leporem non edat, ſi manu à ceruice percuſſus, nullo cruento vulnere occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant à cæteris irridentur. Hæc Auguſtinus. Poſtea tamē in ſexta vniuerſali Synodo circa annum Domini 680. peculiari canone, qui eſt 67. repetita eſt illa prohibitio. Meritò, aiūt, damnamus eos, qui cuiuſcunq; animalis ſanguinem arte aliqua condiunt, & ſic comedunt. Et qui hæc fecerit clericus deponatur, laicus excommunicetur. Item, in libris pœnitentiariis peculiaris pœnitentia iniungitur illis, qui vel ſanguinem vel ſuffocatū comederunt. Quidam ſcribunt, demū circa annum Domini octingenteſimum obſeruationem illam generaliter deſiiſſe. Quædam verò hiſtoriæ habent circa annum Domini 1114. Pomeranis ad fidem conuerſis, iniunctum fuiſſe, ne vel ſuffocatum, vel ſanguinem comederent. Imò Armeni adhuc hodie obſeruationem illam retinent. Adeo tenax eſt humana ſuperſtitio veterum obſeruationum, etiam quando nulla amplius talis cauſa ſubeſt, propter quā initio inſtitutæ & receptæ fuerunt, quod propter multas alias conſimiles obſeruationes notaſſe vtile eſt.

*Sexta Synodus de ſanguine.*

*Pomerani.*

*Armeni.*

### CERTAMEN MANICHAEORVM, PRIſcillianiſtarum & Euſtathij, de ieiuniis & delectu ciborum.

CVm per Eccleſiæ certamen contra Montaniſtas, libertas ciborum conſcientiis reſtituta & ſtabilita eſſet, cœpta fuit poſtea hæc pars doctrinæ variis & prodigioſis hæreticorum diſputationibus turbari. Nam circa annum Domini 280. Manichæi inter cæteros multos errores, etiā hunc ſparſerunt: Ab omnibus animantiū carnibus abſtinendum eſſe, ſed nec oua ſaltē ſumenda, nec alimonia lactis vtendū, quia hæc omnia naturæ malæ & immundæ ſint, vt quæ diabolus operetur feculentiori materia mali, vel quæ cōmixtione gentis tenebrarū ſint inquinata, ſicut inquit Auguſt. contra Fauſtum lib.6.cap.5.& lib. 30. cap. 5. vel quòd de occiſis carnibus fugerit diuina ſubſtantia, referente Auguſtino de hæreſibus. Vinum etiam non bibunt, dicentes, fel eſſe, quod ſit principiū tenebrarum, Auguſt. ibidem. Vtq; oſtenderent ſe ex profeſſo ab Eccleſia Catholica, quod ad articulū incarnationis Chriſti attinet, diſſentire, indixerunt ſuis ieiunium ipſa die Dominica, finxerunt enim Chriſtum non in vera carne, ſed in ſpectro natū & reſurrexiſſe. Et videntur Manichęi ad eam opinionem inde delapſi, quòd viderunt ex libertate Euangelica quoſdā ſanè & aliquando, non autem tàm multos quàm ipſi vellent à carnibus & vino abſtinere, vt igitur fortiori ratione plures ad abſtinentiam illam vrgerent, dixerunt, ea immunda & abominanda eſſe, ſolis verò electis ſuis (ſicut perfectiores ſuos nominabant) ſimpliciter vſu carnium, ouorum, lacticiniorum & vini interdicebant. Auditoribus verò ſuis tanquam imperfectioribus, ſecundū veniā illa edenda concedebant, ſicut ſcribit Auguſtinus contra Fauſtum, lib.30.cap.5. Et hæc eſt origo, vnde poſtea Monachis, & præcipuè Carthuſienſibus tanquam perfectioribus, ſub alio prætextu, ſtrictior abſtinentia à carnibus quàm reliquo vulgo tanquam imperfectioribus iniuncta fuit. Quia verò Auguſtinus ſemper opponit Manichæis, non vſum carnium, ſed luxum in culpa eſſe, videntur Manichæi fundamentum ſuæ opinionis inde extruxiſſe: ſi caro & vinum cauſa ſunt vitioſarum cupiditatum in veſcentibus, ſicut non pauci ſcripſerunt, conſequens ergo erit, illa per ſe eſſe immunda, & commixtione gentis tenebrarum inquinata.

*Manichaeorū abſtinentia.*

*Ieiunium in Dominica.*

*Occaſio Manichaiſmi.*

*Opinio perfectionis.*

*Carthuſienſes.*

*Nota.*

Poſtea ſub annum Domini 380. à Priſcilliano quodam in Hiſpaniis & Galliis eadē hæreſis renouata fuit, carnes ſcilicet eſſe immundas & execrandas, atq; ideo ab vſu earum abſtinendum.

*Priſcillianus.*

Illud verò Manichæorum delirium multi iuſtis voluminibus refutarunt. Et in publicis etiā Synodis opinio illa damnata fuit. In Ancyrana enim Synodo circa annum Domini 308. Canon 14. Manichæis oppoſitus eſt, vt, qui in clero à carnibus abſtinere volunt, habeant hanc poteſtatem, ſed ita ne illas tanquam immundas contemnant, ſed contingant. Eos verò, qui carnes pollutas & abominandas exiſtimarent, ita vt nec olera cum carnibus cocta guſtare velint, deponendos eſſe. Idem Canon poſtea contra Priſcillianiſtas repetitus fuit in Toletano primo, Canō 21. In Braccarenſi, Canon. 14 & 32. Et Eccleſia poſtea in deteſtationem Manichæorum ieiunium diei Dominicæ abominabile iudicauit. Et poſt exortam Manichæorum hæreſin illud ſine dubio ſcriptum eſt, quod Ignatii epiſtolæ ad Philippenſes poſtea aſſutum eſt. Eum ſcilicet eſſe χριστόκτονον, qui Dominica die ieiunat, ea ſcilicet opinione ſicut Manichæi.

*Ancyrana Synodus.*

Porrò circa annum Domini 320. Euſtathius, Sebaſtiæ in Armenia Epiſcopus, à carnium eſu abſtinendum docuit, non quod cum Manichæis eas immundas & abominandas iudicaret, ſed alia opinione & ſpecie, quæ qualis fuerit ex hiſtoriis oſtendendum eſt. Socrates lib. 2. cap.33. dicit, Euſtathium multa præter ritus Eccleſiæ tentaſſe. Et inter cætera recenſet hoc, βρωμάτων ἀπέχεσθαι ἐδογμάτιζεν, i. cibis abſtinendum docuit, καὶ τὰς μὲν ὡρισμένας νηστείας ἐκτρέπεσθαι, & præſcripta ſeu cōſtituta quidem ieiunia auerſanda, Dominicis verò diebus ieiunandum docuit. Sozomenus verò lib.3. cap. 13. clarius explicat, qua opinione & ſpecie Euſtathius hoc fecerit. Armenis, inquit, autor fuit monaſticæ diſciplinæ σπουδαίας, auſteræ ſeu accuratæ vitæ, καὶ εἰσηγητὴν γενόμενον ἐδεσμάτων τε ὧν χρὴ μετέχειν καὶ ἀπέχεσθαι, καὶ πολιτείας ἀκριβοῦς, & extitiſſe ipſis autorem, qui inſtituit & introduxit accuratam, exactam, exquiſitam ſeu conſummatam diſciplinam, quibus cibis ſit vtendum & à quibus abſtinendum. Dicit autem Sozomenus, Euſtathiū præ nimis exquiſita diſciplina ad abſurdas obſeruationes delapſum. Et addit quoſdam ex ſectatoribus ipſius accuſari, quòd Dominicis diebus ieiunarint. Adiicit & hoc Euſtathium in Synodo Gangrenſi ſe-

*Euſtathij abſtinentia.*

*Ciborum delectus ab Euſtathio.*

ſi ſe declaraſſe, ὀυκ αὐθαδείας ἕνεκα, ἀλλὰ τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσεως, quod non contumaciæ aut arrogantiæ, ſed religioſæ exercitationis erga Deum gratia, illa inſtituiſſet & introduxiſſet. Hæc ex Sozomeno ipſius verbis, quæ plana ſunt, deſcribere volui, nam interpres Angelus ſententiam illam non fideliter reddidit. Et in actis Concilii Gangrenſis dicitur, Euſtathium docuiſſe carnium cibos illicitos eſſe: Sed Sozomenus clarius opinionem illius exponit.

Conſideretur autem ordo hiſtoriæ de ieiuniis, cùm enim Manicheorum dogma de prohibitione ciborum, propter craſſam blaſphemiã, inuiſum eſſet omnibus, ſtatim ſuperſtitio cogitauit, ſi hac non ſucceſſit, alia aggrediendum eſt via. Euſtathius igitur primùm Monachis ſuis præſcripſit exquiſitam diſciplinam, quibus cibis vti poſſent, & à quibus abſtinere deberét, à carnibus ſcilicer, ſicut Gangrenſis Synodus declarat. Et illam abſtinentiã propoſuit, non ea opinione ſicut Manichæi, quaſi carnes immũdæ & abominabiles eſſent, ſed διὰ ἄσκησιν κατὰ θεὸν, ꝓpter exercitationem cultus diuini. Poſtea inſtitutum illud multi alij etiam amplexi ſunt, & aduerſus alios, quos præ ſe contemnebant, ſe extollebant, arrogantes ſibi iuſtitiam & perfectionem, ſicut Gangrenſes Canones oſtendunt. Et diligenter obſeruetur, quãdo & quo autore inſtituta fuerit diſciplina illa, præſcribẽs & præcipiens, quibus cibis ſit vtendum, & à quibus ſit abſtinendum, in exercitiis cultus diuini, quodq; in tali ciborum delectu conſiſtat cultus Dei.

*Opinio Euſtathij.*

*Nota.*

Propter illam verò controuerſiam vicini Epiſcopi ad Synodum Gangrenſem conuenerunt. Et in 2. Canon. ita decreuerunt: Si quis eum, qui carnem (excepto ſanguine idolothyto & ſuffocato) ex fide cum religione manducat, condemnarit, velut ſpem ꝓpter huiuſmodi perceptionẽ non habeat, anathema ſit. Et cap. 19. dicunt, ſi quis eorum, qui in propoſito ſunt continentiæ præter neceſſitatem corporalem, & ſuperbiens ieiunia cõmunia totius Eccleſiæ putauerit contemnenda, perfectam ſibi in ſua ſcientia vindicans rationem, anathema ſit. Quomodo verò Euſtathius communia Eccleſiæ ieiunia contempſerit, ex inſtituto ipſius intelligi poteſt, quòd ſcilicet nõ ex luxu quodam hoc fecerit, ſed prætextu exactioris continentiæ, ſæpius & ſtrictius ieiunandum docuerit, ita vt ne Dominico quidem die ſoluendum voluerit ieiuniũ, ſicut Concilij canon 18. dicit: Si quis tanquã hoc cõtinentiæ conuenire iudicans die Dominico ieiunauerit, aut in eiuſdẽ diei contemptũ, anathema ſit.

*Gangrenſis Synodus.*

In hoc igitur Gangrenſi Concilio libertas noui Teſtamenti de cibis rectè defenſa eſt, quòd ſcilicet qui ex fide cum timore Domini carnes manducat, non ſit condemnandus, quaſi ꝓpter earum perceptionem ſpem non habeat. Prohibitio igitur carnium tempore ieiunij ſub peccato mortali, & ſub pœna damnationis, tunc nondum fuit in Eccleſia. Tentata quidem fuit prohibitio illa, ſicut oſtendimus, ſed Eccleſia tunc illam non recepit, ſed damnauit. Quia verò Monachi & Clerici abſtinebant, & abſtinentia illa laudari incipiebatur, tanquã eximium exercitiũ cultus diuini, ſicut ex hiſce narrationibus patet. Illa admiratio peperit poſtea æmulationem, inde facta eſt conſuetudo, & tandem ex conſuetudine lex, ſicut ſequentes hiſtoriæ oſtendent.

*Libertas.*

*Nota.*

## HISTORIA SPIRIDIONIS.

Et hactenus quidem per annos poſt Chriſtum natum trecentos, ſuperſtitioſæ leges & opiniones de forma ieiunij & diſcrimine ciborum, variis coloribus tentatæ, ſed vel priuatis piorum, vel publicis Eccleſiæ iudiciis repreſſæ & refutatæ fuerunt.

Cumque vetus Eccleſia, ſicut ex Tertulliano oſtendimus, ieiunia, & quæ ex conſuetudine vſitata eſſe cœperant, & quæ pro temporibus & cauſis cuiuſq; vel indicebantur vel ſuſcipiebantur, non ex imperio, nec ſub lege præcepti, ſed ex arbitrio, indifferenter & liberè ſeruaret, nec certæ vel neceſſariæ eſſent obſeruationes, quãdiu, & à quibus cibis, ieiunij tempore eſſet abſtinendum. Videbimus iam porrò, quomodo poſt annum Domini trecenteſimũ, in liberis illis & diſſimilibus obſeruationibus, ex admiratione auſterioris diſciplinæ, in prolixioribus ieiuniis, & voluntaria à carnibus abſtinentia, quidã priuatim opinionẽ vel neceſſitatis vel meriti conceperint, quidam verò publicè legem neceſſitatis, & tempori ieiuniorum, & diſcrimini ciborum ſub pretextu Apoſtolicę traditionis, adſcribere conati ſint, idq; opinione meriti, ſub peccato mortali & pœna damnationis. Et quomodo tamen ſubinde veſtigia quædam veteris & primitiuæ libertatis manſerint, retenta & defenſa fuerint, donec tota ea collapſa & ſublata eſt. In omnibus verò, quæ ſequentur, hiſtoriis, cogitandũ eſt id, quod Tertullianus dicit: Quòd primum verum, adulterinum quod poſterius. Et quod Cyprianus eleganti ſimilitudine oſtendit: Sicut in aquæductibus, quando in remotioribus canalibus aqua turbida vel feculenta apparet, regredimur ad canales fonti propiores, & deniq; ad ipſum fontem: Ita in controuerſiis Eccleſiaſticis recurrendum eſſe ad teſtimonia veteris ſeu primitiuę Eccleſiæ, præcipuè verò ad fontes ciuitatis Dei, vt iuxta Auguſtini conſilium, non ideo aliquid verum & rectum eſſe putemus, quia vel hic, vel ille, doctrina & ſanctitate præpollens, hoc vel ſenſerit, vel fecerit, ſed ſi ex libris canonicis hoc probare potuerint, vt in illorum ſcriptis, quæ diuinarum Scripturarum autoritati congruunt, cum laude eorum accipiamus, quæ autem non congruunt, cum pace eorum reſpuamus.

*Ordo hiſtoriæ de ieiunio.*

*Tertulliani dicta.*

*Cypriani ſimilitudo.*

*Auguſtinus.*

Ita ergo hoc loco adſcribemus celebrẽ hiſtoriam Spiridionis, qui circa tẽpora Nicenæ Synodi, & poſtea, vixit. Sic autem deſcribitur hiſtoria illa apud Sozomenũ, lib. 1. cap. 11. Cùm inſtaret Quadrageſima, quidam ex itinere diuertit ad Spiridionem, quibus diebus ipſe cum ſuis ſolebat ieiunia continuare, ita vt certo ſeu ſtato die cibum guſtaret, intermediis autẽ ſeu interpoſitis diebus ἄσιτος ſine cibo permaneret, cùm igitur Spiridion hoſpitem valde feſſum videret: Age, inquit, filia, lauato hoſpiti pedes, & quod comedat ei appone, Cùm verò filia reſpõderet, nec panem, nec farinam ſeu polentam adeſſe, propter ieiunium enim ſuperuacua fuiſſet horũ apparatio, Spiridion cùm prius precatus eſſet, & veniã petiiſſet, mandauit filiæ, vt carnes ſuillas, quas domi ſalitas habebat, coqueret, quibus coctis, hoſpitem fecit ſecum accumbere, deque appoſitis carnibus, ipſe cœpit comedere,

hortans

hortans hoſpitem, vt idem faceret, qui cùm illud facere recuſaret, diceretq; ſe Chriſtianum eſſe. Hanc, inquit, ob cauſam, eò minus recuſare debes, Verbum Dei enim pronunciat, Mundis omnia eſſe munda. Multa in hac hiſtoria notanda ſunt. Oſtendit enim primò, quòd tunc in Quadrageſima quidam liberè ieiunium per aliquot dies, ſine vllo cibo continuarunt. Et in illis regionibus, ſicut Mirandulanus de prænotionibus lib. 3. inquit, per duos, tres, aut quatuor dies, ab omni cibo abſtinere, nec mirum, nec moleſtum erat, quod in noſtris frigidioribus locis, vel impoſſibile vel miraculoſum eſſet. Secundò, quòd in Quadrageſima pane & polenta contenti, ab eſu carnium abſtinuerint. De illa verò libera & diſſimili obſeruatione antea ex Irenæo quædam annotauimus, & mox ex Epiphanio & Socrate etiam quædam adſcribemus. Tertiò, quod acceſſerit tunc opinio neceſſitatis, Chriſtianum ſcilicet in Quadrageſima non poſſe bona conſcientia, & ſine peccato carnes comedere, ſed neceſſariò tunc ab illis, ſi Chriſtianus eſſe velit, abſtinere debere. Quartò, quòd Spiridion licet prius veniam à Deo petat, quod præter ſuum morem & inſtitutum, illo die cibum capere, & in Quadrageſima carnes comedere vellet, liberè tamen ſine ſcrupulo conſcientiæ, & ipſe carnes comederit, & hoſpitem, vt idem faceret, hortatus ſit. Quintò, cùm hoſpes religionem prætenderet, & recuſaret in Quadrageſima carnes comedere, eò quòd exiſtimaret, Chriſtianis ſine peccato hoc non licere; Spiridion diſertè negat hoc, & argumentum hoc inuertit & refutat, propter hanc ipſam cauſam, inquiens, quòd Chriſtianus es, eò magis non debes recuſare eſum carnium, etiam in ieiunio Quadrageſimæ, quia Deus ipſe ſine prohibitione & exceptione pronunciat: Mundis omnia eſſe munda, quòd ſi ipſe Spiridion rectè expendiſſet diuinum illud oraculum, Actor. 10. Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris, non opus fuiſſet prius veniam petere, quaſi in Quadrageſima comedendo carnes aliquid prohibiti & illiciti facturus eſſet. Manifeſtè igitur hæc hiſtoria vtrumque oſtendit. Et, quòd liberis illis obſeruationibus cœperint affingi opiniones neceſſitatis, quibus etiam magni viri faſcinari cœperunt. Et, quòd tamen obiectis conſcientiæ ſcrupulis & laqueis, ad fundamenta Scripturæ reſpexerint, vnde ſuperſtitioſæ illæ opiniones repreſſæ ac refutatæ, & libertas noui Teſtamenti vſurpata & defenſa fuit, ſicut exemplum hoc Spiridionis oſtendit.

*Obſeruanda in Spiridionis hiſtoria.*

*QVOMODO CIRCA ANNVM DOMINI 400. vnà cum vita Monaſtica, etiam Leges ieiuniorum, opinione neceſſitatis & meriti, per Baſilium, Epiphanium, & Ambroſium, in Eccleſiam inuehi cœperint: Et de Aerij hiſtoria.*

Pergamus autem in contexendo ordine hiſtoriæ. Hactenus enim oſtendimus, quomodo poſt libera ieiuniorum exercitia, auſterior in ieiuniis & abſtinentia ciborum diſciplina, Monachorum primùm collegia, opinione cultus & perfectionis, per modum conſtitutionum inuaſerit, ſicut Euſtachii hiſtoria oſtendit. Et quomodo clericis diſciplinam illam arripientibus & imitantibus idem permiſſum fuerit, ſicut Ancyrana Synodus docet: Quomodo etiam alii, admiratione eius diſciplinæ, ſine lege aliqua, priuatis ſuis (vt ita dicam) deuotionibus, inſtituta illa ſectari, ſed liberè, cœperint. Vnde in conſuetudinem, ſed liberam, res abire cœpit, admixta tamen ſenſim opinione aliqua neceſſitatis, ſicut Spiridionis hiſtoria oſtendit. Iam verò inſequentes hiſtoriæ monſtrabunt, quomodo monaſtica illa inſtituta in genere omnibus imponi cœperint.

*Series hiſtoriæ ieiunij.*

Primò per viam exhortationis, exaggeratis ieiunij meritis. Deinde per modum legis, & opinione neceſſitatis, ſub prætextu & titulo Apoſtolicæ traditionis. Semper autem in memoriā reuocetur, quod initio huius loci diximus, vera Scripturæ ieiunia, ſi ad veros iuxta Scripturam fines, referantur, non reprehendi, ſed meritò laudari. De ſuperſtitioſis verò ieiuniorum legibus & opinionibus iam diſputamus, quomodo illæ Eccleſiam inuaſerint.

Baſilius igitur circa annum Domini 360. Inſtitutum Monachorum in Græciam introduxit. Monaſtica enim illa inſtituta primum in Ægypto, eo, ſicut Philo oſtendit, modo cœpta, in Syriā progreſſa ſunt, inde per Euſtathiū in Armeniam tranſlata, poſtea verò per Baſilium in Græciam, per Epiphanium in Cyprum, per Ambroſium in Italiam deducta fuerunt. Et ſimul cum Monachatu non parum etiam ſuperſtitionis in ieiuniis & delectu ciborum inuectum fuit, ſicut oſtendimus.

*Propagatio Monachatus.*

Baſilius igitur cùm monaſticas Euſtathij conſtitutiones in monaſterio recepiſſet & ſeruaſſet, Euſtathij enim librum ἀσκητικὸν. Baſilius ſuo nomini adſcribi non ægrè paſſus eſt, ſicut Sozomeni narratio oſtendit. Factus deinde Epiſcopus, eaſdem obſeruationes in genere vniuerſæ etiā Eccleſiæ proponere cœpit.

Cumque antea conſuetudo ieiunandi libera & diſſimilis recepta fuiſſet, ſicut ex Irenæo & Tertulliano oſtendimus, Baſilius tāquam generale edictum proponit, quot diebus, quādiu, & quorum ciborum abſtinentia, ieiunandum ſit. In prima enim homilia de ieiunio, meminit cōſuetudinis, quòd ieiuniorum tempore carnes non ederint, à vino abſtinuerint, & ante veſperam cibum non ſumpſerint. Secunda verò Homilia dicit: Alia ieiunia ſponte ſuſcipi. Paſchale verò tanquam κήρυγμα καὶ παράγγελμα, publicum mandatum & edictum, denunciari.

*Baſilii edictū de ieiunio.*

Et tamen, quod notandum eſt, non quadraginta, ſed quinq; tantùm diebus ieiunium illud Baſilius in eo loco circumſcribit. Quia verò nōdum leges impoſitæ erant, Baſilius multis & variis exhortationibus hoc agit. Et de veris finibus ſeu effectibus ieiunij, multa quidem prēclarè ſecundum Scripturam dicit: ſed ſicut in huiuſmodi declamatoriis materiis fieri ſolet, longius etiam prouehitur. Cùm enim contra crapulam & ebrietatem multa declamitaſſet, & animaduerteret, illa omnia etiam ad temperantiam poſſe referri, vt igitur edictum ſuum de ieiunio ſpecioſius & plauſibilius reddat, plura & grandiora ieiunio tribuit, quàm vel Scriptura tradat, vel eius analogia ferre poſſit, quæ nos ſanè libenter commodè ad analogiam fidei interpretaremur, ſed Pontificij hoc non admittunt. Dicit autem

Baſilius, tam vetus eſſe ieiunium, vt ſimul cum homine condito cœperit. Verbum enim illud (Non edetis de hoc ligno) ieiunij & abſtinentiæ legem eſſe. Et quia Eua in ligno illo non ieiunauit, Deo nobis per ieiunium ſatisfaciendum eſſe. Et quia ideò quod Adam non ieiunauit, nos è Paradiſo exulamus, ieiunandum igitur eſſe, vt ad Paradiſum per ieiunium reuertamur, &c. Quæ ſi conferantur ad ea, quæ ſuprà ex Tertulliano montanizante deſcripſimus, manifeſtum erit, cum Scripturæ phraſes non ſint, ex qua Schola prodierint. Senſu enim & verbis cum Montani traditionibus prorſus conueniunt. Et hoc diligenter obſeruandum eſt, cùm ex conſuetudine legem vellent facere, quomodo per Rhetoricas hyperbolas à Scripturæ ſimplicitate receſſum, & ad ea, quæ præcedentibus ſeculis damnata fuerunt, inclinatio rurſum facta ſit. Quæ enim in Montano Eccleſia, circa annum Domini 180. damnauit, ea circa annum 380. iiſdem fermè verbis in Eccleſiam inuehi cœperũt, ſicut collatio manifeſtè oſtendit. Suprà autem oſtendimus, diuerſum prorſus eſſe abſtinere à fructu à Deo prohibito, & ieiunare, hoc eſt, à cibo licito ad tempus abſtinere, niſi quod poſtea ieiunium falsò definierunt, eſſe abſtinentiam à cibis per humanas traditiones prohibitis. Sed hæc in præcedentibus ſunt explicata.

*Rhetorica hyperbola.*

*Epiphanius primum Monachus.*

Epiphanius verò circa annum Domini 370. ſub Valente & Valentiniano, cùm antè in Monaſteriis Ægypti inſtitutus, ipſe poſtea in Paleſtina Monaſterium extruxiſſet. Factus tandem Cypri Epiſcopus, non per viam exhortationis, ſicut Baſilius, ſed diſertis verbis, tanquam legem generalem, & conſtitutionem neceſſariam, ieiuniorum tempora, & delectum ciborum proponit, idq; ſub nomine traditionis & conſtitutionis Apoſtolicæ. In compendiaria enim doctrina dicit: Rituum, qui in Eccleſia vſurpantur, quoſdam obſeruari ἐκ προστάγματος ex præſcripto, ex lege, ſeu mandato, τὰ δὲ κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως. Quoſdam verò libera ſeu voluntaria electione ſuſceptos eſſe, & ſicut in præcedentibus inquit, quoſdam ἀπ᾽ ἰδίου νοὸς, ex priuatis cogitationibus, ſibi conſtituiſſe diſciplinam & ritus cultus diuini, quibus adnumerat ieiunia admiranda. Et in fine dicit, quòd cum reliquis etiam hiſtoriis conſentit, ſeruatum tunc fuiſſe ieiunium quarta & ſexta feria vſq; ad nonam horam: Illis enim diebus, ſicut ipſe dicit, celebrabãtur συνάξεις, hoc eſt, Eccleſiaſtici conuentus, ad auditum & meditationem verbi, ad exercitia orationum, & ad cœnæ Dominicæ communionem, propter quæ exercitia ſeruabantur tunc ieiunia. Item dicit, Eccleſiam tunc ſolitam ſeruare Quadrageſimam in ieiuniis ante ſex dies præcedentes Paſcha. Et alicubi per ſex illos dies Paſchæ ξηροφαγίᾳ, pane ſcilicet, ſale & aqua, ſolitam perſeuerare. Hoc verò ſingulare eſt, quod Epiphanius addit, νηστείας ταχθείσας ieiunia quartæ & ſextæ feriæ ordinata, ſtatuta & impoſita eſſe ab Apoſtolis. Cumq; eius rationem de proditione & crucifixione Domini addidiſſet, inquit, & tradiderunt Apoſtoli illis diebus celebranda ieiunia, vt impleretur hoc dictum: Quando auferetur ab ipſis Sponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

*Legem imponit ieiunius.*

*Vnde tales obſeruationes primum ortæ.*

*Leges Epiphanii de ieiunio.*

Et contra Aerium dicit, Apoſtolos definiuiſſe, præſcripſiſſe & ſtatuiſſe (vtitur enim verbo ὁρίζειν) quarta feria, & pro ſabbato ieiunandum eſſe. Item, Apoſtolos pręcepiſſe ſeu edixiſſe (vtitur enim verbo παραγγέλλειν) vt in ſex diebus ante Paſcha nil ſumeretur, niſi panis, ſal, & aqua.

Et allegat quidem librum conſtitutionum Apoſtolicarum, ſed ſcriptum illud apocryphum eſſe ſuprà oſtendimus, nec ipſe hoc diſſimulat contra Audianos ſcribens, & ex Tertulliano manifeſtiſſimè oſtendimus falſum eſſe, quod Epiphanius dicit, ieiunium quartæ & ſextæ feriæ, traditionem, ſtatutum, præſcriptum & mandatum Apoſtolorum eſſe. Eccleſia enim circa annum Domini 180. Montaniſtis hoc oppoſuit, quod ieiunatũ tunc quidem fuerit 5. & 6. feria, ſed paſſiuè, ex arbitrio, non ex imperio, nec ſub lege præcepti, ſicut verba ſuprà adſcripſimus. Et Auguſtinus diſertè dicit, Apoſtolos non definiiſſe, quibus diebus ieiunandum ſit, & quibus non ieiunandum, ſicut poſtea ex Socrate idem oſtendemus. Et Ambroſius in 14. caput ad Rom. dicit, humanas eſſe traditiones diuerſas & diſſimiles. Sunt quidam, inquit, qui quarta feria carnem non edendam ſtatuerunt, ſunt qui ſabbatis, ſunt iterum, qui à Paſcha vſq; ad Pentecoſten edant. Ξηροφαγίαι verò adeò non ſunt Apoſtolorũ traditio, præſcriptum, ſeu mandatum, vt circa annum Domini ducenteſimum Eccleſia eas refutarit, ideò quòd eſſet affectatũ noui officij nomen, ſicut ſuprà verba Eccleſiaſticorum ex Tertulliano deſcripſimus. Sed quia in conſuetudinẽ tunc venerunt talia ieiunia, Epiphanius illis, qui paulò vetuſtiora videbantur, adſcripſit titulum traditionum & conſtitutionũ Apoſtolicarum, abuſus ad hoc teſtimoniis, & apocryphis & ſuppoſititiis ſcriptis. Atq; ita, quod in Montaniſtis vetus Eccleſia damnarat, hoc poſt annos ducentos Epiphanius tanquam Apoſtolicam traditionem & conſtitutionem proponere nõ veretur. Non itaq; leuiter ſinamus nobis imponi titulo traditionum Apoſtolicarum, ſed ſemper regrediamur ad fontes.

*Refutantur Epiphanij leges.*

*Nota Montanica.*

Sicut autem ſæpe factum fuit, quando argumenta firma & ſolida defuerunt, quod hæreſeos nomẽ tanquam caput Gorgonis obiectum fuit, ſicut de damnatione Euſtachii, qui Aerij collega fuit, Socrates libro primo, capite 24. inquit: τοῦτο δὲ ἐπὶ πάντων εἰώθασι τῶν καθαιρουμένων ποιεῖν οἱ ἐπίσκοποι, κατηγοροῦντες μὲν, καὶ ἀσεβῆ λέγοντες, τὰς δὲ αἰτίας τῆς ἀσεβείας οὐ λέγουσι. Hoc inquit, Epiſcopi in omnibus quos damnant, facere ſolent, vt eos accuſent, & impios pronuncient, cauſas verò & rationes impietatis non reddant. Ita Epiphanius ad ſtabiliendas leges ſuas de ieiuniis & delectu ciborum, arripit Aerium quendam, quem verbis admodum contumelioſis hæreſeos accuſat & condemnat: Inter reliqua verò has cauſas recitat. Primò, quòd dixerit, Epiſcopum reuera nihil differre à presbytero, quod illo ipſo Epiphanij tempore Hieronymus tanquam verum ex Paulo probauit, in epiſt. ad Oceanum, & in commentariis ad Titum. Deinde quòd Aerius leges de diebus ieiuniorum, & de ciborum delectu reprehenderit, quia enim Epiphanius leges illas probabat, & laudabat, ſtatim igitur diuerſum ſentientes hæreticos proclamabat. Sed remoto aut ſepoſito pauliſper hoc præiudicio, rem ipſam conſideremus, & cauſam ipſam perſonis è ſcena remotis expendamus.

*Epiſcoporum condemnationes quales.*

*Aerii hæreſes apud Epiphanium.*

Licet

*Quid Aerius, & contra quẽ diſputarit.*

Licet enim hiſtoria illa Aerij non extet alibi deſcripta, ex illis tamen circumſtantiis, quas Epiphanius deſcribit, non obſcurè colligi poteſt, quid Aerius diſputarit. Dicit enim Epiphanius, quòd reliqui etiam Hiſtorici cõmemorant, Aerium collegã fuiſſe Euſtathij illius, de quo paulò antè diximus, & cœpiſſe ab eo diſſentire & cõtra eum diſputare. Suprà autem ex Sozomeno oſtendimus, Euſtathium illum præſcripſiſſe ſuis rigidam diſciplinam, de temporibus ieiuniorũ, & quibus cibis ſit vtendum, à quibus verò abſtinendum. Si itaq; Aerius ea quæ Epiphanius ipſe tribuit ſuperſtitioſis Euſtathij legibus, quas vetus etiam Eccleſia tunc damnauit, oppoſuit, ſcilicet tempora ieiuniorum non eſſe πεπαγμένα, ab Apoſtolis ſtatuta & præcepta: hoc enim Iudaicum & iugum ſeruitutis eſſe. Idem certè dixit, quod Auguſtinus & Socrates dicunt, Apoſtolos ſcilicet nec definiiſſe nec legem tuliſſe, quibus diebus ſit ieiunandum. Et idem etiam Eccleſia contra Montaniſtas apud Tertullianum dicit. Et quod porrò Aerius contra Euſtathij leges dicit: Si ieiunare voluero, eligam à me ipſo diem, & ieiunabo nõ ex lege præcepti, ſed ex libertate: quodq; dicit, ſe ieiunare quarta feria & pro ſabbato, non ex imperio vel ſub lege præcepti, ſed liberè & voluntariè. Idem certè dicit, quòd Eccleſia Tertulliani tempore, contra Montaniſtas dixit, ſicut verba illa ſuprà ex Tertulliano ãnotauimus. Et ſi moderatè vſus fuit Aerius eſu carnium & potu vini, niſi liberè vellet abſtinere, ſicut Epiphanius inquit, ſi illud contra Euſtathij leges fecit, quomodo damnari poſſit, niſi vetus Eccleſia apud Tertullianum ſimul dãnetur, imò niſi Apoſtolus ſimul damnetur, non video. Damaſcenus in lib. de hæreſib. de Aerio ita ſcribit: Carnibus & cibis omnis generis vſus eſt ſine religione, in ſtatis ieiuniis negauit ſe lege teneri. Et quæſo Lectorem, vt Eccleſiæ illa verba apud Tertullianum cõferat ad ea, quæ Aerio Epiphanius & Damaſcenus tribuunt. Et cogitet Aeriana oppoſita fuiſſe Euſtathij legibus, atq; ita iudicium ferat. Si verò Aerius ex quadam petulantia communia Eccleſiæ ieiunia, ſi veris iuxta Scripturam finibus, & ſalua conſcientiarum libertate fiebant, turbauit, vt, cùm annua ſolennitate meditanda eſſet hiſtoria paſſionis Chriſti, ipſe à ſummo mane carnibus & vino ſe impleuerit, ſicut Epiphan. ipſi tribuit, nec laudo nec probo factum. Sed Epiphanius omnia illa, etiã Euſtathio oppoſita, ſimul complectitur, quãdo Aerio hęreſim impingit. Et quia ipſe animaduertit, illas cauſas non ſufficere, addit, Aerium totum Arrianum fuiſſe, quod ſi verum eſt, meritò ſanè hæreticus iudicatus fuit. Quod autem ad hanc de ieiunio controuerſiam attinet, cùm Epiphanius Euſtathij monaſticam diſciplinam & inſtituta, de quibus ſuprà diximus, non tantùm probaret, ſed admiraretur, quid aliud potuit quàm Aerij diſputationem Euſtathio oppoſitam damnare? cùm tamen antea Eccleſia ipſum Euſtathiũ in hac materia damnaſſet.

In refutatione verò Epiphanij διατάξεις Apoſtolorum potiſſimum allegat, ſed quia illis non ſatis fidit, alibi enim fatetur, eas eſſe ἐναμφιλέκτῳ, confugit itaq; ad συμφωνίαν Eccleſiarũ. Sed quomodo inde poteſt legem facere, cùm ante ipſum Irenæus, & poſt ipſum Socrates teſtentur, diſſimiles & liberas fuiſſe illas obſeruationes? Et ipſe Epiphanius in compendiaria doctrina, diſſimiles & diuerſas obſeruationes in cibis deſcribit. Quidam inquit abſtinent ab omnibus carnibus, quadrupedum, volatilium, & piſcium, ab ouis itidem & caſeo. Quidã verò à ſolis quadrupedibus abſtinent, volatilibus verò & reliquis veſcũtur. Alij verò à volucribus abſtinẽt, piſcibus verò & ouis vtuntur. Alij neque ouis veſcũtur, ſed ſolis piſcibus. Alij verò etiam à piſcibus abſtinent, caſeo verò veſcuntur. Alij neque caſeum ſumunt. Sunt prætereà qui à pane abſtinent, alij ab arborum fructibus, alij à cibis coctis, &c.

*Diuerſæ obſeruationes in cibis.*

Et moleſte quidem fert Epiphanius, quòd Aerius noluerit λατρείαν, hoc eſt, cultum Dei, in huiuſmodi obſeruationibus conſtituere, cùm Paulus expreſſe dicat, Rom. 14. Regnum Dei nõ eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, pax & gaudiũ in Spiritu ſancto, qui in his ſeruit Chriſto acceptus eſt Deo, & probatus hominibus. Et 1. Cor. 10. Eſca non commendat nos Deo. 1. Tim. 4. Corporalis exercitatio ad modicum prodeſt, pietas verò ad omnia vtilis eſt. Hæc Pauli teſtimonia certiora & tutiora ſunt, quàm Epiphanij præiudicia.

*Opinio cultus.*

Ita ergo, ſicut oſtendimus, Epiphanius, cùm ad Monaſticas conſtitutiones aſſuefactus eſſet, fecit inde leges neceſſarias, communes & generales in ipſa Eccleſia, de temporibus ieiuniorum & de ciborum diſcrimine.

Eodem modo Ambroſius circa annum Domini 380. quoque vnà cum Monaſtica vita etiã leges ieiuniorum in ſuam inuexit Eccleſiam, quàm grandia enim præter, imò niſi commode intelligantur, contra Scripturam ieiunio tribuat, ſuprà, cum de patrum ſententiis ageremus, oſtendimus.

*Ambroſii ſermones de Quadrageſima.*

De Quadrageſimæ verò ieiunio multi extant ſermones ſub Ambroſij nomine, quos alij, quãdo ſententias inde citant, Maximo, alij Caſſidoro, alij aliis tribuunt. Et in Serm. 23. dicit, ideo quadraginta dierũ numero ieiunari, quia Chriſtus numerum illum ieiunij conſecrauit. Quotidianis igitur ſine intermiſſione ieiuniis Quadrageſimam celebrandam, ita vt ſi quiſquam vnam diem abſtinendo prætermiſit, totam Quadrageſimã violarit. Atqui Epiphanius Dominicam diem excipit. Et Chryſoſtomus dicit duos cuiuſq; ſeptimanæ dies in Quadrageſima à ieiuniis liberos fuiſſe. Non itaq; vniuerſalis tunc fuit Ambroſij lex. Imò non eſſe Ambroſij eam legem inde patet. Nam lib. de Elia & ieiunio cap. 10. Ambroſius dicit, in Quadrageſima totis pręter Sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus. Et tamen Serm. 25. dicit, non leue peccatũ eſſe, & quidem apud conſcientiam, indictam à Domino fidelibus Quadrageſimam violare. Quia ſcriptum ſit, qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Sed quod ad numerum dierũ ieiunij attinet, Irenæus & Socrates diſertè dicunt, falſum hoc eſſe, & Chryſoſtom. ſicut poſtea oſtendemus, expreſſe dicit, Chriſtum non præcepiſſe, vt Quadrageſimale ſuum ieiuniũ imitemur. Ser. verò 33. Ambroſij dicitur cauſam ſalutis noſtræ eſſe, ſi Quadrageſimam ieiunemus. Et Sermo. 34. Quiſquis Chriſtianus conſecratam ieiunando non impleuerit Quadrageſimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus

*Quadrageſima continua.*

*Indicta à Domino.*

*Cauſa ſalutis.*

*Lex pro ſalute.*
pro ſalute ſuâ datam, prandendo ipſe reſcindit.
Sicut enim reliquo anno ieiunare, præmiũ eſt,
ita in Quadrageſima non ieiunare, peccatũ eſt,
*Neceſſaria. Ex lege.*
illa enim voluntaria ſunt ieiunia, iſta neceſſaria,
illa de arbitrio veniunt, iſta de lege, ad illa inuitamur, ad iſta compellimur. Obſeruet autẽ Lector, quòd ſermones iſti dicunt, Reliqua ieiunia in anno volũtaria eſſe, & ex arbitrio. Epiphanius verò dicit ieiunium quartę & ſextæ ferię per totum annũ ſeruandum eſſe, ex lege præcepti traditionis Apoſtolicę. Et Pontificij ieiunia quatuor temporum faciunt neceſſaria. Ita ſcilicet inter ſe conſentiunt, qui extra ſcripturam traditiones Apoſtolicas iactant, & inde leges faciunt. Et in illo ipſo ſermone Ambroſius fatetur, quoſdam in Quadrageſima ſolitos prandere, quoſdã
*Non generaliter ſeruata.*
alternis ſeptimanis ieiunare. Ergo lex illa Quadrageſimæ tunc primum introducebatur, quam
*Aniculæ.*
ſenes & aniculæ potiſſimum amplectebantur, ſicut ibidem inquit. Vt autem omnes ad eam ſuſcipiẽdam permoueret, dicit Serm. 36. numerum illum Quadragenarium non eſſe terrena cogitatione inuentũ, ſed cœleſti maieſtate præ-
*Præcepta.*
ceptum, atq; ideò qui conſtitutum numerum vno die manducando præterit, non vt vnius diei violatorẽ accuſari, ſed vt totius Quadrageſimæ tranſgreſſorem argui, non enim tam ſacerdotũ quã Dei præcepta eſſe. Et Ser. 38. dicit, Quadrageſimæ ieiunia indicta & præcepta Chriſti eſſe, quę vel ex toto vel ex parte violare peccatum &
*Sacrilegium.*
ſacrilegium ſit. Ser. 37. Sed hæc quæ de Quadrageſimæ ieiunio ſub Ambroſij nomine ſparſa ſunt, nec cum Scriptura, nec cum Patrũ præcedentium teſtimoniis conſentiunt. Et ex Chryſoſtomo & Socrate mox diuerſum oſtendemus.

### *DE IOVINIANI CERTAMINE, & de Hieronymi ſententiis.*

*Iouinianus.*
CVm verò hoc modo leges ieiuniorũ opinione neceſſitatis & meriti, iuſtitiæ & remiſſionis peccatorũ vrgerentur, Iouinianus quidã ex Monacho Clericus factus contradicendo ſe oppoſuit, ſed quia ſicut hiſtorię teſtãtur, nec eruditus, nec eloquens fuit, & ſententiã ſuam contra illas leges & opiniones non ita, ſicut oportebat, propoſuit & defendit, Ambroſij Panimachij, & Hieronymi eloquentia citò repreſſus fuit. Non autem vno & eodem modo Iouiniani opinio à Scriptoribus recenſetur. Hęreſeologi ex Thoma opinionem Iouiniani ita deſcribunt, quòd docuerit inter abſtinentiã ciborum, & eorum cum gratiarum actione perceptionem, nullã eſſe differentiã. Quod ſi Iouinianus hoc intellexit de opere operato ieiunij ſeu abſtinentiæ, quod ad cultum Dei, & iuſtitiam co-
*Iouiniani opinio.*
ram Deo attinet. In hanc certè ſententiã Paulus dicit, 1. Cor. 8. Eſca non commendat eos Deo, neq; enim ſi manducauerimus abundabimus, neq; ſi nõ mãducauerimus aliquid nobis deerit. Et Ro. 14. Regnũ Dei nõ eſt cibus vel potus, ſed qui in iuſtitia, pace & gaudio Spiritus ſancti ſeruit Chriſto, is placet Deo. Ambroſius verò Epiſt.
*Ambroſius de Iouiniano.*
82. ad Vercellenſes dicit, Iouinianiſtas docuiſſe, nõ eſſe ieiunandum, prædicaſſe voluptates, ſuaſiſſe delicias, iuxta dictum: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Item delirare eos, qui ieiuniis carnem ſuam caſtigent, vt mente ſubditam faciant, quæ ſi nõ exaggerandi & prægrauandi cauſa, ſicut ſæpe fieri ſolet, Iouiniano tributa ſunt, ſed ſi verè ita ſenſit, quia contra Scripturæ teſtimonia & exempla de ieiunio docuit, iuſtè reprobatus fuit. Auguſtinus inquit,
*Auguſtinus de Iouiniano.*
Iouinianum docuiſſe, Non prodeſſe aliquid ieiunia, vel à cibis quibuſdam abſtinentiam, quod ſi his verbis Iouinianus voluit negare effectus veri ieiunij, ſi ad illos fines referatur, ſicut ex Scriptura ſupra monſtratum eſt, nõ rectè fecit.

Sed ex argumentis Iouiniani, ſumptis ex locis Scripturæ 1. Tim. 4. 1. Cor. 10. Rom. 14. Matth. 11. Ieſ. 58. & ex refutationibus Ambroſij & Hieronymi, non obſcurè colligitur, de opinionibus meriti præcipuè certamen fuiſſe. Am-
*De merito ieiunij fuit certamen.*
broſius dicit, Iouinianiſtas docuiſſe, nullum eſſe ieiunii meritum, vel nihil meriti accreſcere hominibus per ieiunium aut inter ieiunia & ſaturitatem æqualia merita diſpenſanda, ſicut Hieronymus refert. Et per meritum non intellexerunt veros ieiunij fines, ſuprà ex verbo Dei de-
*Ambroſius.*
ſcriptos, ſed, ſicut Ambroſius contra Iouinianum inquit, quæ nobis ſalus eſſe poteſt, niſi ieiunio eluerimus peccata noſtra? Qui ſunt ergo
*Hieronymus.*
hi, qui meritum excludunt ieiunij? Et Hieronymus contra Iouinianum inter cætera & hoc defendit, per ieiunium poſſumus in Paradiſum redire, vnde per ſaturitatem fueramus eiecti. Item, Ieiunium Deum placat. Et Niniuitæ iram Dei ieiuniorum miſeratione detorſerunt. Cornelius ieiuniis meruit Spiritum ſanctum accipere. Diues purpuratus, propter epulas in Tartaro, Lazarus ob inediam in ſinu Abrahæ. Et in ſeptimum Danielis inquit: Pro peccatis propriis debemus inedia & vigiliis Deum ad clementiam flectere, &c. Quæ certè ieiunij præconia nimium ſunt tranſcendentia, & cum analogia fidei non conſentientia. Et Montaniſtæ hoc modo de ieiunij meritis docuerunt, ſicut ſuprà ex Tertulliano oſtendimus. Si ergo Iouinianus ideo damnatus fuit, quod docuit, opus ieiunij non eſſe meritum gratiæ Dei, remiſſionis pec-
*Nota.*
catorum, reconciliationis cum Deo, cauſam ſalutis, & vitæ æternę, immerito & iniuſtè damnatus fuit. Hæc enim merita ſoli Chriſto debentur, verba offeruntur, & fide accipiuntur, ſicut tota Euangelii doctrina teſtatur.

*Error Iouiniani.*
Sed forſan cum ſuperſtitioſas iſtas opiniones de ieiunio vehementer refutare vellet Iouinianus, nimium deflexit in alteram partem, vel docens ſimpliciter non eſſe ieiunandum, vel nullam prorſus eſſe veri ieiunij vtilitatem. Et hinc in refutationibus contra Iouinianum, omnia illa ſimul miſcentur, quæ diligenter diſcernenda ſunt, quando de controuerſia illa verè & dextrè iudicare volumus.

Ita Hieron. non malè ſanè declamitans contra
*Hieronymus de ieiunio.*
crapulam, & oſtendens ieiunium habere multa teſtimonia & exempla in ſcriptura, quodq; vtile ſit ad carnem Spiritui ſubiiciendam. Et ſi ſanctificetur cæteris operibus, hoc eſt, ſi referatur ad exercitia pœnitentiæ & orationis, proficere curationi peccatorũ. Atq; in hanc ſententiam non malè dicit: Nos omnem creaturam cibi laudamus, nec negamus illa, ſi voluntas fuerit in cibo ſumenda, ſed maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus ſaturitati. Item non ventris eſuries accepta eſt Deo, quã lites, rapinæ

& luxuria deſtruunt. Et ſimilia multa de ieiunio ex ſcriptura non malè dicit, ſed ſimul immiſcet etiam ſuperſtitioſas de meritis ieiunij opiniones, quæ ab aliis rectè dictis prudenter diſtinguendæ ſunt, vt quæ ad normam ſcripturæ congruunt, accipiantur, quæ non congruunt, iuxta Auguſtinum reſpuantur.

*An quadrag. traditio.*

*Montaniſtæ tres Quadrageſimas.*

In epiſtola ad Marcellã aduerſus Montanum Hieronymus inquit: Nós vnã Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus. Montaniſtæ tres in anno faciũt Quadrageſimas quaſi tres paſſi ſint ſaluatores, non quod per totum annum excepta Pentecoſte ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. Sed ſuprà oſtenſum eſt, apocrypham opinionem eſſe, quòd Quadrageſimæ ieiunium ſit traditio Apoſtolica. Quid verò tres Montaniſtarum Quadrageſimæ fuerint, ex Tertulliani libro de ieiuniis patet, tres enim ſeptimanas in anno Montaniſtæ in xerophagiis ieiunarunt ex lege præcepti. Atque Epiphanius loquens de Quadrageſima, laudat eos, qui duplas, triplas, imò quadruplas quadrageſimas ſupererogant. Notandum autem eſt, quod Hieronymus dicit, per reliquum annum ieiunare, nõ ex neceſſitate, ſed voluntate. Sed Pontificij ieiunia quatuor temporum tradunt neceſſaria eſſe ex præcepto Hieronymi, ergo tempore illo neceſſitas ieiuniorum quatuor temporũ in anno adhuc fuit ignota Eccleſiæ, ſicut hoc ipſius ſententia manifeſtè oſtendit. Poſtea verò leges illæ cumulatæ ſunt, quas vt maiori ſpecie Eccleſiæ obtrudere poſſent, finxerunt eas primis & antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus cõditas eſſe, ſicut poſtea oſtendemus. Lex igitur, quæ in Montaniſtis antea damnata fuerat, poſtea in ieiuniis quatuor temporum per metamorphoſin in cultum Dei conuerſa & canonizata eſt, quod diligenter notetur.

*Ieiunium 4. temporum.*

Hieronymus etiã, cauſam, quare Eccleſia certa quædam ieiuniorum tempora ordinarit, non malè explicat, factum ſcilicet eſſe non opinione neceſſitatis & cultus, ſed ordinis gratia, vt eſſet commonefactio admonens, diligentiam temperantiæ & coercendi carnem debere perpetuam eſſe. Scribens enim in quartum caput ad Galatas inquit: Dicat aliquis, ſi dies & tempora obſeruare non licet, nos quoque ſimile crimen incurrimus, quartam ſabbati Paraſceuen & ieiunium Quadrageſimæ obſeruantes. Reſpõdet autem Hieronymus: Ideo conſtitutos aliquot dies, ne inordinata exercitia fidẽ in Chriſto minuerent. Et à viris prudẽtibus ieiunia inter dies conſtituta eſſe, propter eos, qui magis ſeculo vacant quàm Deo, nec poſſunt, imo nolunt toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore ieiunare & orare. Quotus enim quiſq; eſt, inquit, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora vel ieiunandi, ſemper exerceat, &c. Liberæ ergo fuerunt obſeruationes ordinis & commonefactionis gratia inſtitutę, & hæc ſententia diligenter obſeruetur.

*Cur tempora ieiunandi ordinata.*

Præterea hypocriſin ſeu ludibria ieiunij tunc exorientia, admodum venuſtè exagitat Hieronymus, quaſi coram proſpexiſſet Pontificiorum ludibria in ieiuniis, vt aduerſus Iouinianum, libro 2. dicit: Etiam ex viliſſimis cibis vitanda eſt ſatietas, nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter & exæſtuans, huc illucque ſe vertens, & in ructus vel crepitus ventorum afflatione reſpirans. Quale verò illud ieiunium eſt, aut qualis illa refectio poſt ieiunium, cùm pridianis epulis diſtendimur, & guttur noſtrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixioris inediæ famam quærere, tantum pridie voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaque non tam ieiunium hoc appellandum eſt, quam crapula & fœtens ac moleſta digeſtio.

*Ludificationes ieiunij.*

Et ad Nepotianum ſcribit: Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes, ſint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata & non ſuperſtitioſa ieiunia, quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultateſq; ciborum quęrere, caricas, piper, nuces, palmarũ fructus, ſimilam, piſtoria, &c. Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur pane, & dum delicias ſectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio prætèrea quoſdam contra Regulam hominumque naturam, aquam non bibere, non veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumq; ſuccum, non calice ſorbere, ſed concha, proh pudor, non erubeſcimus huiuſmodi ineptiis, nec tædet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famã abſtinentiæ in deliciis quærimus, fortiſſimum ieiunium eſt panis & aqua, ſed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quaſi publicum & commune ieiunium non reputatur.

*Delitiæ ieiuniorum.*

Gratianus tranſcribit haſce etiam Hieronymi ſententias, Non dico hebdomadas ieiunandas, Non dico ieiunia duplicata, ſed ſaltem ſingulos dies abſque ciborum luxuria trãſigamus. Item: ſint tibi quotidiana ieiunia & refectio ſatietatem fugiens. Nihil enim prodeſt tibi biduo vel triduo tranſiuiſſe vacuum portare ventrem, ſi poſt pariter obruatur. Itẽ, ſint tibi ieiunia moderata quotidie eſurire, & quotidie prandere. Item, Audiant, qui ea, quæ neceſſaria ſunt, corpori ſubtrahunt, quod Dominus per Prophetam dicit: Ego Dominus odio habens rapinam in Holocauſtum, de rapina verò holocauſtum offert, qui nimia vel ciborum vel ſomni penuria corpus ſuum immoderatè affligit. Eſt & hæc Hieronymi ſentẽtia. Sic comedas, vt ſtatim poſt cibum poſſis legere, orare, pſallere.

*Gratianus ex Hieronymo.*

### QVOMODO AVGVSTINVS SVO MOdo, *modeſtè ſepoſitis pleriſque ſuperſtitioſis legibus & opinionibus, doctrinam & exercitia ieiuniorum ad fontes & fundamenta Scripturæ reuocarit.*

IN hæc tempora, poſt annum Domini quadringenteſimum, cùm de ieiuniis omnia feruerent ſuperſtitioſis legibus & opinionibus, tunc publicis tunc priuatis, incidit Auguſtinus, qui ſuo modo rectè & modeſtè ſepoſitis ſuperſtitioſis legibus & opinionibus, ad vera Scripturæ fundamenta, doctrinam rurſus deducere conatus fuit, licet in quibuſdam temporibus & conſuetudini cedat, quæ conſideratio & iucunda & vtilis eſt. Colligemus autem illa ex genuinis Auguſtini ſcriptis, in ſermonibus enim pleraque aliena ſub ipſius nomine ſuppoſita ſunt:

*Auguſtinus.*

Quod verò ſæpè nõ apertè & liberè, tales ſuperſtitiones reprehendit, eius ipſe cauſam indicat Epiſt. 119. Vbi de quibuſdã, qui prorſus abſtinebant à carnibus, & putabant ſe peccare, ſi comederent, ſcribens, inquit:

*Auguſt. modeſtia & querela.*

Huiuſmodi multa propter nonnullarum, vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda, liberius improbare non audeo. Et addit, Chriſtiana religio, quam miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premitur, vt tolerabilior ſit Iudæorum cõditio, qui etiamſi tempus libertatis non agnoſcant, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus, ſubijciuntur.

Quod igitur ad tempora ieiuniorum attinet, cùm pleriq;, ſicut oſtẽdimus, meras leges, neceſſitates, præcepta, mãdata, & apoſtolicas traditiones ſonarent, Auguſtinus ad Caſulanũ epiſt. 86. cùm Vrbicus quidam de ieiunio ſabbati traditionem Petri proponeret, & alij contrariam traditionem aliorum Apoſtolorum allegarent, ſimpliciter pronunciat, Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis, totoq; inſtrumẽto, quod appellatur Teſtamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini & Apoſtolorũ non inuenio eſſe definitum.

*Stata ieiuniorum tẽpora, non ſunt ex Apoſtolicis literis.*

Et non multò poſt idem repetit, Non inuenimus, inquit, in Euangelicis & Apoſtolicis literis, quæ ad noui Teſtamẽti reuelationem præcipuè pertinẽt, certis aliquibus diebus euidenter præceptum, obſeruanda eſſe ieiunia, ſed res illa ſicut aliæ plurimæ, inuenit in veſte filiæ regis, hoc eſt, Eccleſię, varietatis locũ.

*Contra Epiphanium & Ambroſium.*

Quæ Auguſtini ſententię, ſicut Lector ipſe animaduertit, aduerſa quaſi fronte opponuntur Epiphanij & Ambroſij diſputationibus de legibus ieiuniorum. Addit autẽ in illa epiſtola Auguſtinus, in hiſce rebus morem cuiuſq; Eccleſię ſeruandum eſſe. Et celebrat Ambroſij reſpõſum

*Ambroſij regula.*

de ieiunio ſabbati, qui dixit, Quando Mediolani ſum non ieiuno ſabbato, quando verò Romæ ſum, ieiuno ſabbato, & ad quamcunq; Eccleſiam veneritis, inquit, eius morẽ ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere, & addit regulam in

*Auguſtini regula.*

his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum (Hieronymus addit limitationem, ſi non officiant fidei) pro lege tenenda ſunt, de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis, cùm certa documenta veritatis nulla inſinuet, cauendum eſt, ne tempeſtate contentionis, ſerenitas charitatis obnubiletur. In hac ſententia obſeruetur, in declamationibus patrum, quando ex conſuetudinibus volunt leges neceſſarias facere, certa documenta veritatis nulla inſinuari.

*Diſputationes ſine certis documẽtis veritatis.*

*Fides non in obſeruationibus.*

Addit autem Auguſtinus etiam aliã memorabilem ſententiam: Fidem Eccleſiæ non conſiſtere in huiuſmodi obſeruationibus, & quod in fide verum eſt, non impediri talibus diuerſis obſeruationibus. Et Epiſtola 118. agitans quæſtionem, quòd alij ſabbato ieiunant, alij non, inquit, totũ hoc genus rerũ liberas habet obſeruationes. Et addit regulam: Quòd neq; cõtra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferẽter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur ſocietate ſeruandum.

*Quæ indifferenter habenda.*

Quæ regula priori ideo cõiungenda eſt, ne ex vocabulo legis, quo Auguſtinus in priori regula vtitur, Põtificij opinionem neceſſitatis facere poſſint. Hoc enim loco dicit indifferenter habendum. Poſito verò hoc fundamẽto, deinde Auguſtinus de vſitatis & receptis tunc ieiuniorum temporibus diſputans, rationes quærit & affert qualeſcunq;, non quidem neceſſarias, ſed probabiles.

*Auguſtin. de Quadrageſima.*

Ita de Quadrageſima ſolet afferre exemplũ ieiunij Chriſti, ſed ita vt ſaluũ maneat prius illud Auguſtini axioma, In Euangelicis & Apoſtolicis literis non eſſe definitum aut præceptum, certis quibuſdam diebus obſeruanda eſſe ieiunia. Eodem modo in Pſalmum 110. & Epiſt. 119. diſputat, Numero Quadragenario ante reſurrectionem Domini ſignificari vitæ huius laborem & mœrorem. Et ieiunium Quadrageſimæ eſſe commonefactionem de continentia à mundi illecebris, vtq; cum labore & luctamine ingemiſcentes grauati, aſpiremus ad futuram vitam, quæ ſignificetur lętitia 55. dierum poſt Paſcha. Et ſubtiliter quidẽ philoſophatur de Quadragenario & Quinquagenario numero etiam lib. 2. de doctrina Chriſtiana, ſed profectò, ſicut ipſe dicit, certa documenta veritatis nulla inſinuat. Ideo Epiſt. 119. dicit, obſeruationem dierum, quibus Chriſtus crucifixus, ſepultus & reſuſcitatus eſt, adiunctam eſſe per patrum Concilia.

*De ieiunio 4. & 6. feria.*

Eodẽ modo epiſt. 86. Cur quarta & ſexta feria maximè ieiunet Eccleſia, illa, inquit, ratio reddi videtur, quòd quarta feria Iudæi conſilium ad occidendum Dominũ fecerunt, ſexta verò Dominus ſit traditus & crucifixus. Sed mox addit, eos qui ſabbato ieiunant, ſignificare luctum diſcipulorum, & humilitatem mortis Chriſti, eos verò, qui non ieiunant, ſignificare quietem ſabbatiſmi. Sunt igitur rationes in vtramq; partem, Ergo non neceſſariæ, & documenta veritatis, ſicut ipſe appellat, nõ certa. Præcepto enim Domini & Apoſtolorum, inquit, nõ eſt definitum, quibus diebus obſeruanda ſint ieiunia. Non ignoro autem in ſermonibus Auguſtino adſcriptis, quædam ita dici, quaſi quadrageſima ſit à Chriſto mandata ac præcepta, & eam non ſeruare ſit peccatum & ſacrilegium.

*Sermones ſuppoſititij.*

Sed non ſunt Auguſtini γνήσια, nam & eadem verba in illis leguntur, quæ ex ſermonibus, ſub Ambroſij nomine ſparſis, antea annotauimus.

Secundò ex conſuetudine, quòd tempore ieiunij, & præcipuè in magna illa Paſchæ hebdomada, plerique à carnibus & à vino, tanquam à delicatioribus & fortioribus cibis abſtinebant, multi incipiebant tunc legem facere, quaſi peccatum etiam in moderato horum vſu, & cultus Dei in eorũ abſtinentia, cõſiſteret.

*Prohibitio carniũ apud Theophilum.*

Sicut Theophilus Alexandrinus ſignificans Epiſcopis Ægypti tempus celebrandi paſchatis, libro tertio Paſchali inquit: Nequaquã diebus Quadrageſimæ vini poculum ſuſpiremus, neque carnium edulio delectemur. Qui enim legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinũ in ieiuniis, & carnium eſum repudiant.

*Ex quib. fundamentis.*

Idq; Theophilus probat ex ritu & lege Nazaræorũ, Leuit. 10. & Amos 2. Item ex abſtinẽtia ciborum, qui tempore veteris Teſtamenti ſecundum legem immundi erant, Danielis 1. & 2. Macch. 7. Expendat autẽ quæſo Lector, quæ & qualis ſit ratio huius conſequentiæ. In veteri Teſtamento Nazaræi à vino & ſicera,

reliqui

reliqui Iſraelitæ à carne ſuilla & aliis immundis cibis ex legis prohibitione abſtinebant. Ergo & in nouo Teſtamento, tempore ieiunij, ex pręcepto legis, abſtinendum eſt à carnibus & à vino. Et ſicut tunc Iſraelitæ veſcentes carne ſuilla, & Nazaræi bibentes vinum, peccabant, abſtinentes verò obedientiam Deo præſtabant: Ita & in nouo Teſtamento, in quadrageſima comedere carnes, eſt peccatum mortale, abſtinere verò, eſt cultus Dei. Quaſi verò vel non facta eſſet abrogatio cultus Leuitici veteris Teſtamenti, vel ita facta, vt aliis & nouis hominum traditionibus, decretis & mandatis, de diſcrimine ciborũ, conſciẽtiæ ſub peccato mortali ſubiectæ eſſe deberent, cùm Paulus diſertè & ex profeſſo contrarium doceat, Gal. 4. Coloſſ. 2. 1. Timoth. 4. ſicut explicationes ſuprà ſunt traditæ.

*Abſtinentia à carnibus libera Auguſt.*

Cùm igitur hoc modo lex traditionis, prohibẽs eſum carnium, proponeretur & vrgeretur, Auguſtinus oſtendit, eſſe quidem conſuetudinem, ſed non vniuerſalem, nec legem neceſſariam, ſed obſeruationem liberam. Ita enim ſcribit contra Fauſtũ, lib. 30. c. 5. Catholici edomandi corporis cauſa, nõ ſolum à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicuti pauci, vel certis diebus atq; temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſq; vel minus, ſeu voluerit ſeu potuerit. Et de moribus Eccleſiæ lib. 1. cap. 33. libertatem illam, etiam cùm opiniones neceſſitatis multorum animos occupaſſent, retentam fuiſſe oſtendit, ita tamen, vt de illa libertate ſubinde magis magisq́; aliquid concederetur. Cùm enim varia mirabilium ieiuniorum & abſtinentiæ exempla, in Oriente & Italia commemoraſſet, addit: Inter hæc nemo vrgetur in aſpera, quę ferre non poteſt, nulli quod recuſat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eis imitandis ſe fatetur inualidum. Meminerunt enim: Omnia munda mundis. Et: Quod intrat in os non inquinat. Itaque non reijciendis generibus ciborum quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ, inuigilat omnis eorũ induſtria. Et recitatis ſententiis Pauli, 1. Cor. 6. & 8. Roma. 14. ſubiungit: Propterea his etiã qui firmiores, & ad hæc contemnenda ſunt idonei, certoq; ſciunt nõ ſe pollui, ſi quid ciborum, ſine turpi cupiditate, altitudine mentis aſſumpſerint, tamen ex charitate temperandum eſt, ne offendãtur illi, quibus adhuc pro ſua imbecillitate huiuſmodi opus eſt temperantia. Hæc illi, inquit, norunt & tenent, intelligunt enim Scripturas iuxta Apoſtolicam diſciplinam, vbi non manducantem nemo ſpernit, manducantem nemo iudicat, qui infirmus eſt olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt. Multis non eſt cauſa iſta faciẽdi, ſed quòd viliore victu viuere placet. Ita multi neque veſcuntur carnibus, neque tamen eas immundas ſuperſtitioſè putant. Itaque illi ipſi, qui ſaluti temperãt, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine vlla formidine accipiũt. Et ſtultè nonnullos recuſantes, fraternè admonent, ne vana ſuperſtitione debiliores citius quàm ſanctiores fiant. Ita pietatem ſedulò exercent, corporis verò exercitationem ad exiguum tempus pertinere nouerunt. Continent ſe igitur, inquit, hi qui poſsũt, à carnibus & à vino, propter duas cauſas, vel propter fratrũ imbecillitatem, vel propter ſuam libertatem, &c. In hac Auguſtini ſententia multa veteris Chriſtianæ libertatis veſtigia apparent: apparet etiam hoc, quomodo firmiores, qui libertatem hanc intelligebant, propter alios infirmiores, qui ſcilicet putabant peccatum eſſe carnibus veſci, de libertate aliquid conceſſerint, donec ea tota illis ceſſionibus tandem oppreſſa eſt. Et idem eſt in hoc loco, quod alibi Auguſtinus ipſe de ſe ſcribit, huiuſmodi multa, propter nõnullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda, liberius improbare non audeo.

*Auguſt. de libertate abſtinentia.*

*Ceſſio libertatis.*

Idem libro 2. de moribus Manichæorum capite 13. ponit talem deſcriptionem, quæ Pontificiorum etiam ieiunia graphicè depingit. Si quis, inquit, exiſtat ita homo parcus & frugi, vt appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per vnum diem, & huic cœnanti oluſcula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo vncta atque condita, quantum comprimendæ fami ſat eſt, ſitimq́ue irriget, propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus, isq́ue illi victus ſit quotidianus.

Alius verò ex alia parte, nihil guſtans carniũ, nihil vini, exquiſitas & peregrinas fruges, multis ferculis variatas, & largo pipere aſperſas, nona hora libẽter aſſumat, noctis etiam principio talia cœnaturus, bibat autem mulſum, & expreſſos ſuccos, vini ſpeciem imitantes, atque id ſuauitate etiam vincentes, & bibat non quantum ſitit, ſed quantum libet, talibusq́ue delitiis perfruatur, nulla neceſſitate, magna voluptate. Quẽ tandem horum duorum, quod ad cibãdum potandumq́ue attinet, abſtinentius vitam ducere iudicatis? Non opinor vſque adeo vos eſſe cæcos, vt non illum de parco lardo & vino, huic gurgiti præferatis: Ita quidem veritas cogit, ſed veſter error longè aliter canit.

*Imago Pontificij ieiunij.*

Electus enim veſter, ſi quotidie ita viuat, vt hic quẽ poſterius deſcripſimus, ab vno & duobus fortaſſe grauioribus reprehendi poteſt, damnari autem omnino non poteſt. Si autem ſemel cũ illo priore cœnauerit, & vel rancido fruſto porci labra vnxerit, ilicò gehennę deſtinatus iudicabitur. Quæſo aliquantulum cõſuetudini obſiſtite, quid enim eſt iſta prauitate peruerſius, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carcanum, piper, laſer, diſtẽto ventre cum gratulatione ructantẽ, & quotidie talia requirentem, non videri à regula ſanctitatis excidiſſe. Alium verò, fruges viliſſimas fumoſo lardo condientem, tantumq́; hinc aſſumentem, quantum refectioni corporis ſufficit, certo ſupplicio pręparari? Hæc Auguſtinus contra Manichęos diſputat: ſed ſicut Lector animaduertit, ſimpliciter & prorſus congruunt ad Pontificiorum praxim & iudicia de ieiuniis. Atq; ideo totum locũ adſcribere volui, vt appareat, ad quorũ abſtinentiam Pontificiorum ieiunia quàm proximè accedant, quodq; Auguſtini ætate, lardum aut fumoſa caro porci, non vitiarit abſtinentiam.

*Nota.*

Idem Auguſtinus in vſu quorumuis ciborum moderato non vult conſtitui peccatum, nec in abſtinentia eorum cultum ſeu iuſtitiam. Et deſcripſit illas ſententias etiam Gratianus Diſtin. 41. vt de doctrina Chriſtiana, libro tertio, capit. duode-

duodecimo. Quiſquis rebus prætereuntibus reſtrictius vtitur, quàm ſeſe habet mores eorum, cum quibus viuit, aut temperãs aut ſuperſtitioſus eſt. Quiſquis verò ſic eis vtitur, vt metas bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. In omnibus enim talibus nõ vſus rerum, ſed libido vtentis in culpa eſt, vt cùm pedes Domini vnguento precioſo perfunduntur, quid igitur locis & temporibus perſonisq́; conueniat, diligenter attendendum eſt, ne temerè pro flagitio aliquid reprehendamus. Fieri enim poteſt, vt ſine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis, precioſiſſimo cibo ſapiens vtatur, inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma in viliſſimum olus ardeſcat. Non enim propterea continentiores nobis ſunt pleræque beſtiæ, quia vilioribus aluntur eſcis. Nam in omnibus huiuſcemodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus vtimur, ſed ex cauſa vtendi, & modo appetendi, vel probandum eſt vel improbandum, quod facimus.

*In vſu ciborũ non peccatũ.*

Idem Auguſtinus quæſt. Euang. lib. 2. cap. 11. oſtendit, filios ſapientiæ intelligere, nec in abſtinendo, nec in manducando, eſſe iuſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non ſe corrumpendi, atque oportunè ſumendi, vel nõ ſumendi ea, quorum non vſus, ſed cõcupiſcentia reprehendenda eſt. Non enim intereſt omnino, quid alimentorum ſumas, vt ſuccurras neceſſitati corporis, dummodo cõgruat in generibus alimentorũ his, cum quibus tibi viuendum eſt. Neque quantum ſumas intereſt multũ, cùm videamus aliorum ſtomachos citius ſatiari, & eos tamen paruo quo ſatiãtur cibo, turpiter inhiare. Alios autem pluſculo quidem ſatiari, ſed tolerabilius inopiam perpeti. Magis ergo intereſt, non quid vel quantum alimentorum pro cõgruentia hominum atque perſonæ ſuæ, & pro ſuæ valetudinis neceſſitate, quis capiat, ſed quanta facilitate & ſerenitate animi careat, quando his neceſſe eſt carere, vt illud Pauli in animo compleat: Scio & minus habere, ſcio & abundare, vbique & in omnibus imbutus ſum, & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Item, neque ſi manducauerimus abundabimus, neque ſi non manducauerimus egebimus. Item, non eſt regnum Dei eſca & potus.

*Nec in manducando, nec in abſtinendo eſt iuſtitia. Auguſtinus.*

*Nota.*

Tertiò, cùm in diſputatione de finibus & effectibus ieiunij ſeu abſtinentiæ, plerią; per declamatorias hyperbolas, nulla non merita, & quidẽ gratiæ, iuſtitiæ, remiſſionis peccatorum, ſalutis & vitæ æternę, ieiuniis cœpiſſent tribuere, Auguſtinus illas Rhetoricationes ad normam Scripturæ reuocans, oſtenſis veris ex Scriptura finibus, ſuo more modeſtè opponit negatiuam ſentẽtiam. Ita epiſtola octuageſima ſexta, diſputãs de ieiunio ſabbati, cùm præmiſiſſet ſententiam illam, quòd mãdato Domini, vel Apoſtolorum non ſit definitum vel preceptum, certis quibuſdam diebus obſeruanda ieiunia, ſubdit: Per hoc ſentio, non quidem ad obtinendam quam fides obtinet iuſtitiam, in qua eſt pulchritudo filiæ regis intrinſecus, ſed tamen ad ſignificandam requiem ſempiternã, ſabbato aptius relaxationem quàm contentionem ieiunij conuenire. Et in his rebus tutius eſt, ne ſimus illis ſimiles, qui de Baptiſta dicebant: Dæmonium habet. Et de Chriſto: Ecce homo vorax & vinoſus. Filij verò ſapientiæ hi ſunt, qui quando manducant, manducantes non ſpernunt, quando non manducant, manducantes non iudicant, modo non per offenſionem, vel manducent, vel non manducent. Quia neque, ſi manducauerimus abundabimus, neque ſi non manducauerimus egebimus. Ibidem ſalsè exagitat Vrbici dictum, qui contendebat ideo ſabbato ieiunandum, vt maculæ erroris, quæ de iſta mortalitate reliquis diebus contrahuntur, ieiunij fructibus abluantur. Gloſſa, Rom. 14. citat hanc Auguſtini ſententiam, in vſu eſcarum non acquiritur regnum Dei, ſicut etiam non amittitur. Non enim vſus ciborum interdicendus, ſed cõcupiſcentia frænanda eſt. Item, nec in manducando nec in abſtinendo eſt iuſtitia.

*Auguſt. de effectibus ieiunij.*

*Iuſtitia fidei non in ieiunio.*

*Remiſſio peccatorum non in ieiunio.*

*Nec regnum Dei.*

Fines autem veri ieiunij, iuxta Scripturã Auguſtinus tradit, corporis caſtigationẽ, vel concupiſcentias eius coercendas, vt mens ad exercitia ſpiritualia eò liberior ſit. Cuius generis ſententias aliquot ſuprà ex Auguſtino deſcripſimus, nunc quaſdam alias ſubijciemus. Vt de geſtis cum emerito Donatiſta inquit: Per ieiuniorum dies quando nobis maximè ieiunantibus, plus vacat audire, geſta illa per annos ſingulos ordine recitentur.

*Ieiunium ad auditum verbi.*

Contra Fauſtum libro 20. cùm Fauſtus cap. 2. obieciſſet, etiam Chriſtianos per Quadrageſimam à carnibus abſtinere, Auguſtinus cap. 5. reſpondet, Chriſtiani non hæretici ſed Catholici, edomandi corporis cauſa propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa eſſe immunda credant, nõ ſolùm à carnibus, verumetiam à quibuſdam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes, quantò magis quiſque vel minus ſeu voluerit ſeu potuerit.

*Ad domandũ corpus & animam humiliandam.*

De moribus Manichæorum cap. 13. inquit: finis quo referuntur ea, quæ facimus, ſi laudabilis fuerit, tunc etiam facta digna laude ſunt, ſi verò finis iure culpatur, ipſum quoque officium nemo improbandum dubitabit. Catilina ſitim & famem ferre poterat. Hæc illi cum Apoſtolis noſtris erant communia. Vnde igitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris diſcernitur, niſi fine. Namque ille iſta tolerabat, vt cupiditates ſuas expleret, illi econtrà, vt eas premerẽt, & dominanti rationi ſeruire cogerent. Poſſunt & Chriſtiani, Manichæorum à vino & carnibus abſtinentiam, iumentis & multis paſſeribus, poſtremò etiã innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed diſcutiendum eſt, quo fine iſta faciatis. Si ergo parſimonię gratia, & coercendę libidinis, quia eſcis talibus, & potu delectamur & capimur, audio & probo. Et capite decimo quarto, Apparet ex Paulo, quo fine à carnibus & vino ſit abſtinendũ. Is finis eſt triplex, ad comprimendam delectationem, quæ in his maximè cibis haberi ſolet, atque in tali potu vſque ad ebrioſitatem perueniri. Ad tuendam infirmitatem propter illa, quæ idolis ſacrificantur & libantur. Et quod maximè commendandum eſt, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas.

*Ex fine iudicandum.*

*Parſimonia & coercendæ libidinis gratia.*

De fide ad Petrum, cap. 42. Firmiſſimè tene omnem creaturam Dei bonam eſſe, & nihil reijciendum.

ciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et Dei ſeruos, qui à carnibus & vino abſtinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta ſunt, reſpuere, ſed à fortiori cibo & potu, pro ſola caſtigatione corporis abſtinere.

*Pro caſtigatione corporis.*

De dogmatibus Eccleſiaſticis. cap. 66. Bonum eſt cibum cum gratiarum actione ſumere, & quicquid Deus conceſſit, edendum eſt. Abſtinere autem ab aliquibus, non quaſi à malis, ſed quaſi à non neceſſariis, non eſt malum. Moderari verò eorum vſum pro neceſſitate, propriè eſt Chriſtianorum. Et cap. 67. cibos vel credere malos, vel malitias cauſare percipientibus, non eſt Chriſtianorum, ſed propriè hierarchitarum, & Manichæorum. Hæc ſententia diligenter obſeruetur.

*Abſtinentia.* *Moderatio.* *Cibi non cauſant malitiā.*

Ex aliis ſcriptis, quæ non ſunt Auguſtini γνήσια, Pontificij citant diuerſas ſententias, ſed qua fide, Lector intelligit, vt Sermone de tempore 60. Nemo pro laude humana, ſed pro peccatorum indulgētia, vel pro miſericordia diuina ieiunet. Ser. 77. Eiecit nos de Paradiſo cibus, reducat ieiunium. Serm. 69. dicitur ieiunium eſſe redemptionē ſalutis, qua iniquitates redimantur, & ira Dei placetur. Item, Ieiunium peccata deprecari & iuſtitiam promereri, &c.

*Pſeudopigrapha de ieiunio.*

Quartò, mirabilia, & vt ipſe loquitur, incredibilia ieiuniorum exempla Auguſtinus recitat, vt de moribus Eccleſiæ, cap. 33. continuum triduum vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo & potu ducere. Et ad Caſalanum dicit, quoſdam nulla refectione interpoſita, vltra hebdomadam perpetuare ieiunium, vt ieiunio 40. dierum magis appropinquent. Et addit narratum fuiſſe quendam ad ipſum quadragenarium numerum perueniſſe. Et cap. 31. de moribus Eccleſiæ dicit, quoſdam in terris deſertiſſimis, ab omni hominum conſpectu diſcretos, pane ſolo, qui eis per certa interualla temporū afferatur, & aqua contentos. Sed addit, videntur illi nonnullis res humanas pluſquàm oporteret deſeruiſſe. Item, in tantum proceſſit temperantia & continentia quorundam, vt reſtringenda nonnullis, & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur. Et quomodo ca. 33. inter illa ſingularia exercitia libertatem Chriſtianam tueatur, paulò antè ſententiam eius adſcripſimus.

*Ieiunia mirifica.* *Nota.*

Quintò, ludificationem ieiuniorum & abſtinentiæ, qualem Pontificij etiam, ſicut ſuprà oſtendimus, exercent, Auguſtinus ſalsè taxat, vt Dominica in octauis Paſchæ. Sunt quidam obſeruatores quadrageſimæ delitioſi potius quàm religioſi, exquirentes nouas ſuauitates magis, quàm veteres concupiſcentias caſtigantes, qui precioſis copioſisq; diuerſorum fructuum apparatibus aliorum ciborū ſapores ſuperare contendunt. Vaſa in quibus coctæ ſunt carnes, tanquam immunda formidant, & in carne ſua ventris & gutturis luxuriam non formidant. Ieiunant non vt ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed vt immoderatā differendo augeant auiditatem. Nam vbi tempus reficiēdi aduenerit, optimis menſis tanquam pecora præſepibus irruunt, ventreſque diſtendūt, artificioſis & peregrinis condimentorum diuerſitatibus tātum capiunt manducando, quantum digerere non ſufficiunt ieiunando. Idem in Pſalm. 43. Mutare vis carnalem voluptatem, non amputare. Non laudatur in illo ieiunium, qui ad luxurioſam cœnam ſeruat ventrem ſuum. Inuitantur enim aliquādo homines ad cœnam magnam, & cùm ad eam volūt auidi venire, ieiunant. Nunquid hoc ieiunium continentiæ, & nō potius luxuriæ deputandum eſt? De moribus Eccleſiæ cap. 31. de Monachis inquit: Corpus reficiūt quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt, coercente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa quæ præſto ſunt parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus & vino abſtinent, pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed ab his etiam, quæ tantò concitatius ventris & gutturis prouocāt appetitum, quantò quaſi mundiora nonnullis videntur, quo nomine ſolet turpe deſideriū exquiſitorum ciborum, quod à carnibus alienum eſt, ridiculè turpiterque defendi.

*Auguſtinus contra ludificationes ieiunij.* *Ieiunare ad luxuriam.*

Ex paucis hiſce obſeruationibus ſatis patet, quomodo Auguſtinus varias ſui ſeculi de ieiunio opiniones, ad ſuperſtitionē inclinantes, pro ſolita ſua modeſtia, oppoſita ſaniori ac Scripturæ congruenti ſententia, reprehenderit & corrigere ſtuduerit. Et in præcedentib. etiā nō pauca huius generis ex Auguſtino annotauimus.

### QVOMODO CHRYSOSTOMVS IN *Græca Eccleſia, circa annum Domini 410. ſuperſtitioſas de ieiunio opiniones reprehenderit.*

SIcut Auguſtinus in latina Eccleſia, ita Chryſoſtomus eodem fermè tempore, circa annum Domini 410, in Græca Eccleſia ſuperſtitioſas quaſdā de ieiuniis opiniones ita reprehendit, vt ad Scripturæ normā diſputationes illas reuocaret. Alicubi ſanè de ieiunio loquens, declamatorium ſeculi ſui ſtylum imitatur, ſicut de ipſius hyperbolis in præcedentibus quædam annotauimus. Sed cùm Epiphanius & Theophilus, Leges ieiuniorum, opinione neceſſitatis & meriti nimium vrgerent, Chryſoſtomus cœpit ἐπανορθώσεις quaſdam imponere.

Duos enim illos manifeſtos & habuit & expertus fuit aduerſarios. Et Chryſoſtomi quidem tempore per Quadrageſimam exceptis duobus hebdomadę diebus, vſq; ad horā nonam ieiunatum fuiſſe, & circa nonā horam, priuſquam ſolueretur ieiunium, Eccleſiam ad auditū & meditationem verbi conueniſſe ex homiliis ipſius in Geneſin conſtat. Et homilia 1. & 2. dicit, tunc coquorum diſcurſus, pecudū mactationes, & carnium cōciſiones è medio tolli. Et homilia 6. ad Antiochenos dicit, lege ieiunij vulgò tunc prohibita fuiſſe certa quædam nutrimenta, & delibationem vini. Sed opinionem neceſſitatis, & alias quaſdam ſuperſtitioſas opiniones ipſe liberè taxauit & reprehendit. Et quia pleraſq; ipſius ſententias ſuprà adſcripſimus, hoc loco tantùm capita eorum, quæ in vulgatis de ieiunio opinionibus reprehendit, breuiter notauimus.

Primùm igitur in valdè multis locis opinionem illam reprehendit, quaſi ieiuniū per ſe, ex opere operato, ſit virtus & cultus Dei: Aut quaſi ea, quæ & in Scriptura & à patribus ieiunio tribuuntur, ad ipſam per ſe aut ſolam à cibis abſtinentiam pertineant, cùm ad illos maximè fines quibus ieiunium ſubuenire debet, reſpiciendum ſit. In Geneſin homilia ſexta: Ne exiſtime-

*Chryſoſtomus contra opus operatum ieiunij.*

mus

mus inediam vſq; ad veſperam ad ſalutem nobis ſufficere.

Deus enim Iudæis per Prophetam dixit: Non mihi ieiunaſtis ieiunium. Hæc dicit Dominus: Iudicium iuſtum iudicate, miſericordiam faciat quiſq; cum proximo ſuo, &c. Homilia 9. Laſciuias carnis refrænemus, & verum probemus ieiunium.

*Chryſoſt. de finibus ieiunij.*

Ieiunium autem dico, abſtinentiam à vitiis, etenim abſtinentia à cibis propter hoc recepta eſt, vt rigorem carnis refrænet, & tanquam equum moderanti facilè parere faciat. Ieiunantem oportet concupiſcentias repellere & refrænare, ac bonis operibus ſtudere: Hoc verum eſt ieiunium, ſicut & Iſaias ex perſona Dei loquens dicit, &c.

Non igitur, vt pleriq; exiſtimemus definiri in hoc ieiunium, ſi ad veſperam vſque impranſi maneamus. Non hoc eſt, quod quæritur, ſed vt cum ciborum abſtinentia, & à cæteris abſtineatur, quæ nocere poſſunt, vtq; ſpiritualibus magis vacetur. Homilia 30. Ieiunia, preces ſemper coniunctas eſſe oportet, tunc enim potiſſimùm preces noſtræ ſobriæ ſunt, tunc expeditior eſt mens noſtra, non grauata neque preſſa malo delitiarum onere.

Ad populum Antiochenum Homilia 4. ſicut ſunt quidam ciborum inter ſe abſtinentiam æmulantes & mirabilem contentionem facientes, & hi quidem integros duos dies tranſigunt ieiuni, hi verò non vini tantùm & olei, ſed & omnis ferculi vſum, à ſua menſa reijcientes, pane & aqua duntaxat vtentes, Quadrageſimam omnem expediunt. Sic & nos inter nos contendamus, vt iuramentorum imbres deſtruamus, hoc enim omni ieiunio vtilius, hoc omni vitæ aſperitate compendioſius, & ſtudium quod circa ciborum abſtinentiam habemus, hoc circa iuramẽtorum abſtinentiam exhibeamus. Quoniam extremæ dementiæ crimen ſubimus, prohibita quidem contemnentes, circa indifferentia verò omne mouentes ſtudium, comedere enim non eſt inhibitum, iurare verò prohibitum eſt. Nos verò conceſſis abſtinentes, prohibita audemus. Illuſtris & memorabilis eſt hæc Chryſoſtomi ſententia, manifeſtè numerãs abſtinentiam ciborum inter adiaphora, & oſtendens ſuperſtitionem, neglectis vtiliorib. pietatis exercitiis, circa talia indifferentia magno ſtudio & contentione occupari. Alias plures ſimiles ſentẽtias ex Chryſoſtomo ſuprà deſcripſimus, quas hoc loco non viſum fuit repetere.

*Aemulatio in ieiunijs.*

*Ieiunium inter adiaphora.*

*Notæ.*

Secundò, licet ieiuniũ Quadrageſimæ, tempore Chryſoſtomi ſeruatũ fuerit, & ab ipſo laudatum, dicit tamen à Chriſto non eſſe mandatum, vt Homilia 47. in Matthæum: Non dicit ieiunium ſuum eſſe imitandum, quamuis quadraginta illos dies poſſet proponere, ſed diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Imò verò contra inquit: Omne quod apponitur vobis comedite. Hæc dixi, non quòd ieiunium mihi non placeat, quod magnis ſoleo efferre laudibus, ſed quia doleo, ſi cæteris neglectis, ſatis ad ſalutem nobis ieiunium eſſe exiſtimemus, quod in choro virtutum certè extremum ſortitur locum. Contra opinionem verò neceſſitatis, longa oratione pugnat Chryſoſtomus, homilia in Geneſin 10. Cùm enim quidam, qui ieiunia ferre non poterant, ideò in concionem, quæ circa veſperam habebatur, venire non auderent, inquit, ſobrius auditor etiã pranſus ſpirituali conuentu dignus eſt, ſicut ſupinus & deſes, etiamſi ieiunus permaneat, nihil inde vtilitatis capiet. Et hęc dico non vt ieiunij rigorem ſoluam, nam multum laudo ieiunantes, ſed doceo, non turpe eſſe, eum, qui cibum antea accepit, adeſſe ſpirituali ſermone, ſed ignauo animo adeſſe ab affectionibus vexari, & carnis laſciuias non reprimere, Non comedere malum eſt? abſit, ſed gula damnoſa eſt, & impleri pluſquàm ſatis. Et nihil mali eſt vinum ad menſuram bibere, ſed rationis iudicium intemperantia ſubuertere. Etenim dilecte, ſi ob corporis imbecillitatem non poteſt ieiunus diem producere, nullus, qui ſapit, propter hoc te arguere poterit. Neq; enim ieiuniũ & abſtinentiam ſimpliciter à nobis exigit Dominus, neque hoc ipſum, vt ieiuni huc vſque permaneamus, ſed vt à ſecularibus operibus nos abdicãtes, omne noſtrum otium in ſpiritualia collocemus, quod ſi ſobria mente vitam noſtrã inſtituerimus, & cibos ita ſumpſerimus, vt tantum ſatiemur quantum vſus exigit, & vitam omnem in bonis operibus diſpẽſemus, iam nullo opus fuerit ex ieiuniis adiumento. Sed quia negligens eſt humana natura, & de delitiis gaudet, ideo Deus hanc ex ieiunio medicinam excogitauit, vt delitiis ſublatis, ſecularium curam ad ſpiritualia opera transferamus. Si igitur ſunt aliqui, quos corporis infirmitas vetat ieiunos & impranſos permanere, eos laudo, quòd corporis infirmitatem curant, & pranſi plus exhibent ſtudij in doctrina ſpirituali. Sunt enim, ſunt profectò viæ, quibus fiduciæ ad Deum ianuę aperiri poſſunt multò maiores, quàm ciborum abſtinentia. Igitur qui cibum accipit, & ieiunare non valet, largiorem det eleemoſynam, feruentior ſit in precibus, maiorem habeat alacritatem in audiendis diuinis eloquiis, odium deponat, &c.

*Quadrageſima non mandata à Chriſto.*

*Ieiunium inter virtutes poſtremum.*

*Ieiunium non ſimpliciter exigitur.*

*Finis ieiunij.*

*Si quis nõ poteſt ieiunare.*

*Notæ.*

Qui hæc fecerit, verum ieiunabit ieiunium, quod à nobis expoſcit Dominus. Propterea enim hanc à cibis abſtinentiam fieri præcipit, vt refrænantes carnis laſciuias, eam obedientẽ faciamus, & ad mãdata Dei implenda ſequacem. Igitur qui ieiunat, gratias agat Domino, qui vires ei tribuit ad ferendos ieiunij labores. Et qui manducat, iterum gratias agat Deo, quia nihil ipſum offendere poteſt, quò minus animæ ſalutem agat, modò velit. Neq; enim comediſſe cõfuſionem nobis affert, ſed malè egiſſe. Et cùm cibo, menſuræ noſtræ congruo, vtimur, non opus eſt vt erubeſcamus. Nam Dominus nos huic corpori coniunctos eſſe voluit, quod alioqui conſiſtere nequit, niſi cibo paſcatur, tantùm intemperantia non admittatur, &c.

*Verum ieiunium.*

*Vti cibo non peccatum.*

Non iudico opus eſſe Lectorem admonere, quàm variæ & ſuperſtitioſæ de ciborũ abſtinentia opiniones hac Chryſoſtomi ſententia taxentur & refutentur, manifeſtum enim hoc eſt. ſed integram ſententiam ideo adſcripſi, vt conſideratis diſputationibus illis, quæ circa ea tempora magna cõtentione à multis, ſicut oſtẽdimus, agitatæ fuerũt, manifeſtè intelligi poſſet, ſuperſtitiones iſtas, non generaliter ab omnibus fuiſſe vel probatas vel receptas, ſed fuiſſe qui oppoſita veræ Scripturæ ſententia, pullulantibus

super-

ſuperſtitioſis opinionibus contradixerunt: Vtq; Pontificiorum legibus tales ſententiæ rectè opponi poſſent.

Tertiò, Chryſoſtomus multis in locis oſtendit, effectus qui ieiunio tribui ſolent, non ad ipſum opus operatum ieiunij, ſed ad pœnitentiam & orationem, quibus ieiunium ſubſeruire debet, referẽdos eſſe. Ita homilia 3. ad Antiochenos, Ieiunium pietatis materia & magiſter eſt, ieiunium autem dico non hoc vulgare, ſed accuratum, non tantùm ciborum abſtinentiam, ſed & peccatorum. Non enim ieiunij natura peccata eripere ſufficit, niſi congrua cum lege fiat. Diſcamus igitur, quomodo ieiuniũ celebrare debeamus, quoniam & Phariſæus ille ieiunauit, & deſcendit fructibus ieiunij inanis. Publicanus non ieiunauit, & Phariſæum ieiunantẽ præceſſit non ieiunans: vt diſcas quòd ieiunij vtilitas nulla ſit, niſi & reliqua conſequatur. Ieiunauerunt Niniuitæ, & Dei miſericordiam elicuerunt, ieiunauerunt & Iudæi, & culpati abierunt. Videamus igitur, quomodo Niniuitæ ieiunarint, & quid tandem ſit quod iram Dei ſoluerit. Num ieiunium ſolum & ſaccus? non eſt dicendum, ſed totius vitæ mutatio, ita enim Propheta inquit. Et vidit Deus opera eorum. Qualia opera? Quod ieiunarunt? quod ſaccum induerunt? nihil horum, ſed hæc omnia tacens, intulit: Quoniam auerſus eſt quiſq; in viis ſuis malis. Cernis quòd non ieiuniũ periculo eripuit, ſed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & beneuolum reddidit. Hæc dico non vt ieiunium contẽnamus, ſed vt ieiunium honoremus. Honor enim ieiunij non ciborum abſtinentia eſt, ſed peccatorum fuga. Itaq; ciborum abſtinentia tantùm ieiunium definiens hic eſt, qui maximè ipſum vituperat. Idem libr. 1. de orando Deum inquit, Niniuitæ deprecationis præſidio, plurimorũ ſcelerum, quibus diuinam iram in ſe prouocarant, remiſſionem acceperũt. Pœnitentiæ igitur & orationi, effectus hoſce Chryſoſtomus vult tribui, non operi operato ieiunij.

*Non ieiuniũ ſed pœnitentia & oratio.*

*Definitio ieiunij.*

*QVOMODO PORRO VSQVE AD ANnum Domini 450. libertas Chriſtiana in vſu c.borum, à Cyrillo, Theodoreto, Proſpero, Prunaſio, & Socrate, defenſa fuerit.*

Oſtendemus porrò iam breuiter quomodo vſque ad annũ Domini 450. libertas Chriſtiana in vſu ciborum defenſa, & veri fines ieiuniorum monſtrati fuerint.

Cyrillus igitur in Leuiticum lib. 10. diſputat contra illos, qui putabant ex mandato legis ſtata ieiuniorum tempora obſeruanda. Et ponit prolixam ſententiam, quam ſupra ſub Origenis nomine deſcripſimus (nam & illi hæc commentaria in Leuiticum tribuuntur) capita autem hæc ſunt, quæ ipſius Cyrilli verbis annotabo. I. Humiliationem animæ debere perpetuã eſſe, & conſiſtere in imitatione Chriſti, qui eſt humilis corde. II. Ieiunium, iuxta præceptum Euangelij, conſiſtere in abſtinentia à peccatis, in fide adeunte Chriſtum Pontificem, & in renouatione. III. Ieiunium externum ſeu corporale non conſiſtere in delectu ſeu prohibitione quorundam ciborum, ſed in abſtinentia Chriſtiana, quæ ſit continentia ventris & gutturis. IIII. Finem ieiunij debere eſſe, vt ad exercitia ſpiritualia ſimus eò expeditiores. V. Opinionem neceſſitatis contra Phariſæos à Chriſto ipſo refutatam eſſe. Matth. 9. Non enim miſcenda eſſe indumenta noua & pannos veteres. VI. Vſitata ieiuniorum tempora ſeruanda, non obſeruantiæ ſuperſtitione, ſed in Chriſtiana libertate, virtute continentiæ. Integra ſententia ſuprà in Origene deſcripta eſt, quam breuitatis gratia nolui hoc loco rurſus adſcribere.

*Cyrilli ſententia de ieiunio.*

Idem Cyrillus lib. 9. in Leuiticum: Scitis certamen eſſe carni aduerſus ſpiritum. Quòd ſi carnem frequẽti mollitie, ad iugi delitiarum fluxu foueatis, neceſſariò aduerſus ſpiritũ inſoleſcet, & fortior illa efficietur, cogetq; eum ſuis vitiis obedire. Si verò nutrimenta ſpiritus adhibeas, diuinam ſcilicet lectionem, ſermonem doctrinæ, & orationes aſſiduas, conualeſcet ille, & carnem coget ſuis legibus obſequi. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, tu carnem aduerſus ſpiritum armas, cùm eam carnibus reples, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.

*Quomodo caro tractanda, ne aduerſus ſpiritum.*

Lib. 2. contra Iulianum, cùm Iulianus Chriſtianis obieciſſet vitam diſſolutam, eò quòd citra debitum veſcerentur, & nihil vitarent quod edi poteſt. Reſpondet Cyrillus: Græci in hoc potiſſimum pietatis virtutem conſtituunt, & in omni virtute præditum arbitrantur eum, qui à cibis quibuſdam abſtinuerit, At cur ſanctificationis modum in illis ponunt? Certè ſanctiſſimus & impollutus, quod nos polluere poſſet, fecit nihil. Cur enim cibus inficeret, vel quam maculam inureret iis, qui illius ſunt participes? Vitãda autẽ ſunt ea, per quæ contaminantur, vt ſunt peccata, quæ qui nihil faciunt, contaminantur, etiam dum parum edunt, & ab eduliis quibuſdã cauent, atq; ita Iouem colere volunt.

*In delectu liborum ſanctitatem conſtituere ſtultũ. Cyrillus.*

Ibidem li. 7. Iulianus imponebat crimen Chriſtianis, quòd indifferens apud ipſos eſſet edere carnes. Cyrillus verò reſpondet, Leges puniunt improbos. In quos verò animaduertunt, nunquid in crudeles, adulteros, deceptores? etiam vel in eos, qui liberè piſces & carnes attingunt, ſi quidem in hoc præſcriptũ eſſet tempus aliquod? Et poſtea ſcimus, ſola peccata eos, qui illis laborant, coinquinare. Ita nullum vitamus edulium vt immundũ, corporales verò voluptates moderatione compeſcimus, & aculeum petulantioris carnis hebetantes, parcè victitare conſueuimus, & omninò in delitiis eſſe inter optima nõ ponimus. Iulianus autem nos ſaltatoribus & publicanis comparat, Chriſtianæ religionis libertatem ignorans. Nos autẽ memores ſumus eorum, quæ Paulus ſcribit: Cibus non commendat nos Deo, neq; ſi edamus meliores ſumus, neq; ſi non edamus deteriores. Item, Omnis cibus bonus, &c. Et quod Chriſtus dicit: Quod ingreditur in os non coinquinat hominem, &c. Et paulò poſt, plurimi quidẽ apud nos fuerunt ſumma bonitate conſpicui, qui ad eam peruenere continentiã, & ita ſeipſos caſtigarunt, vt etiã iis, quæ ad vitam vtiliſſima ſunt, ſtrenuè abſtinere voluerint, nempe pane & oleo, & herbis & leguminibus, ventris neceſſitatem placarunt, vſi pura aqua. Et reiectaneus quidem apud ipſos cibus nullus fuit. Abſtinuerunt autem à nonnullis, mentis ad deteriora

*Indifferens cibus carniũ apud Chriſtianos.*

*Non conſtitutum tempus carnibus vel piſcibus.*

*Libertas Chriſtianorũ in cibis.*

*Abſtinentia quorundam priuata.*

*Finis abſtinentia.*

teriora propenſionem reuocantes & carnis laſciuiam compeſcentes, vt mentis oculũ magis ſubtilem haberent, &c.

In ordine autem huius hiſtoriæ præcipuè obſeruandum eſt, quòd ingruentes ſuperſtitioſas opiniones alij aliis plenius & neruoſius refutarunt. Monachorum enim ſingularis abſtinentia in magna tunc cœperat admiratione eſſe, ſicut Theodoretus in vitis patrum deſcribit: Marcianum quẽdam, qui ſingulis diebus vſq; ad veſperam ieiunabat, & veſperi tantùm panem, eumq; ad menſuram, quartam ſcilicet partem libræ ſumebat. Auitum verò ſcribit per triduum ſemper ſine cibo manſiſſe: Sabinum nec pane nec obſonio vſum, ſed tãtùm farina aqua madefacta, quã ſemel in totum mẽſem parabat, nec prius ſumebat quàm ſitim contraxiſſet: Macedonium non pane nec leguminibus vſum, ſed ordeo madefacto: Simeonem verò totam ſemper hebdomadam ieiunum manſiſſe, &c.

*Exempla ſingularis abſtinentiæ apud Theodoretũ.*

In illis ergo ſingularibus abſtinentię exemplis Cyrillus hoc probat, ſi fiat eo fine, vt carnis petulantia compeſcatur, & mens ad ſpiritualia magis excitetur. Si verò in tali ciborum delectu conſtituatur pietas, ſanctitas, & cultus Dei, hoc Cyrillus, ſicut oſtendimus, reprehendit ex loco Pauli 1. Corinth. 10.

*Cyrilli iudicium de talibus exemplis.*

Theodoretus verò tantùm opinioni neceſſitatis contradicit, & libertatem defendit, eamque vſque ad illa tempora ſeruatam fuiſſe oſtendit. Explicans enim illud Pauli Rom. 14. Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet, inquit. Non de diuinis decretis hoc dicit, ibi enim valet illud. Qui aliud euangeliſauerit, anathema ſit: Sed de ſolis cibis vniuſcuiuſque ſententiæ poteſtatem dedit. Hæc enim conſuetudo in hodiernum vſq; diem mãſit in Eccleſiis. Et hic quidem abſtinentiam amplectitur, ille verò omnibus eſculẽtis abſque vllo ſcrupulo veſcitur, & nec hic illum iudicat, nec ille alterum reprehendit.

*Nota qualis libertas in cibis Theodoreti tempore.*

Et in epitome diuinorum dogmatum, capite περὶ ἐγκρατείας, de abſtinentia, ita ſcribit: Abſtinentiam à vino atque eſu carnium, & reliquam (ἐγκράτειαν) continentiam, non ſimiliter atque hæretici amplectitur Eccleſia. Illi enim (νομοθετοῦσι) lege cauent aut iubent, ab iis tanquam abominandis abſtinere. Eccleſia verò (οὐδὲν περὶ τούτων νενομοθέτηκεν) nullam legem de illis condidit, vel nihil per modum legis de illis conſtituit, nõ enim (ἀπαγορεύει) prohibet ſeu interdicit eorum ſumptionem, ſeu participationem. Et propterea alij quidem (νενομισμένων ἡδέων ἀδεῶς ἀπολαύουσι) cibis ſuauibus & iucundis, à verbo Dei permiſſis ſeu conceſſis, libere, ſecurè, & abſque vllo ſcrupulo fruuntur, alij vero abſtinent. Nullus autem qui rectè ſapit manducantem condemnat. Nam & abſtinentia & ſumptio ſunt in poteſtate ſententiis ſeu voluntatis cuiuſq;, &c. Et allegatis ſententiis Pauli, Rom. 14. 1. Cor. 10. & 1. Tim. 4. addit, Tantùm abfuit, vt diuinus ille vir carnibus veſci prohiberet. Nam & Chriſtus ipſe carnem agni cum diſcipulis ſuis manducauit, & conuiuis vinum per miraculum præbuit. Hæc Theodoretus. Et obſeruetur, quòd leges de delectu ſeu diſcrimine ciborum, cum opinione neceſſitatis, licet à multis rogari & ſpargi cœpiſſẽt, tamen circa annum 440. nondum fuerint vel receptæ vel probatæ, ſicut ſentẽtia hæc Theodoreti manifeſtè oſtendit. Et Cyrillus addit, non fuiſſe tunc tempus aliquod hiſce rebus præſcriptum, lib. 7. contra Iulianum.

*Nondum fuerunt leges de ciborum delectu.*

*Annus 440. adhuc ignorauit leges de ciborum delectu.*

Eodem modo Primaſius, Auguſtini diſcipulus, in cap. 14. ad Rom. dicit, De ieiunio non eſt lex poſita, ſed quomodo vnuſquiſque vel poteſt, vel vult.

*Primaſius ignorat leges ieiuniorum.*

Socrates verò Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, prolixa narratione oſtendit, adhuc circa annum Domini 440. & de tempore ieiunij, & de modo ſeu forma abſtinentiæ, fuiſſe diuerſas & liberas obſeruationes in Eccleſiis. Et diſertè dicit, licet illis temporibus iactarentur traditiones Apoſtolorum de ieiuniis, neminem tamen potuiſſe oſtendere ſcriptum aliquod mandatum, ſed Apoſtolos tales ritus & obſeruationes cuiuſq; ſentẽtiæ & arbitrio liberas reliquiſſe. Vnde rectiſſimè colligitur, quo loco habenda ſint illa, quæ ſub Apoſtolorum nomine, titulo canonum & conſtitutionum ſcripta nunc circumferuntur, quęque de legibus ieiuniorum, ſcriptis vetuſtiorum patrum admixta ſunt, Eccleſia enim circa annum 440. illas leges non agnouit.

*Socrates hiſtoricus de ieiunio.*

Locus autem Socratis libr. 5. cap. 22 ſic habet: Qui in eadem fide conſentiunt, in ritibus ſeu ceremoniis inter ſe diſcrepant. Vt ieiunia ante Paſcha ab aliis aliter obſeruari inueniuntur. Nam qui Romę ſunt tres ſeptimanas ante Paſcha, ſabbato & dominica exceptis, ieiunant: Græci vero Illyrici & Alexandrini, ante ſex ſeptimanas ieiunium, quod ante Paſcha fit, ieiunant, Quadrageſimam appellantes. Præter hos alii ſeptem ſeptimanis ante feſtum initium ieiunandi faciunt, & quãuis ſolos quindecim dies ex certis interuallis ieiunent, nihilominus tamen & ipſi tempus illud Quadrageſimam vocãt. Et mirandum eſt, cùm de numero dierum diſcrepent, quomodo tamẽ omnes tempus illud Quadrageſimam appellent. Et rationem appellationis alij aliam (ἐγερσιλογοῦντες) à ſeipſis excogitatam reddunt. Nec de numero dierum ſolùm diſcrepant, ſed & abſtinẽtiam ciborum non ſimilem ſeu eandem ſeruant.

*Quadrageſima diuerſitas.*

*Rationes excogitatæ.*

Alij enim omnino ab animatis abſtinent, alij inter animantia ſolos piſces comedũt. Alij cùm piſcibus volucres etiã manducant, quia ex aquis vtraq; ſint orta. Alij à baccis & ouis abſtinent. Alij arido pane ſolo veſcũtur. Alij ne illo quidẽ. Sunt qui cùm ad horã nonam vſq; ieiunauerint, indifferenter vtuntur cibis. Et alia ratione apud alias gentes ieiunatur, cuius rei infinitę ſunt cauſæ. Et quoniam de hac re nemo poteſt oſtendere (ἔγγραφον παράγγελμα) ſcriptum aliquod mandatum, perſpicuum eſt quòd Apoſtoli liberã poteſtatẽ hac in re cuiuſq; ſententiæ & arbitrio permiſerunt (τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν) vt quiſque nec metu nec ex neceſſitate quod bonum ſit, ageret. Eadem Sozomenus etiam repetit, lib. 7. cap. 19.

*Abſtinentiæ diuerſitas.*

*Nullum extat mandatum ſcriptum.*

*Liberæ obſeruationes.*

Proſperi verò ſententiæ de ieiunio ideo diligentius ſunt obſeruãdæ, eius enim tempore Leo Pontifex leges ieiuniorũ cum opinione neceſſitatis & meritorum, magna contentione vrgere cœpit, ſicut ſuprà quaſdam ipſius ſententias adſcripſimus. Proſper itaque contra opinionem operis operati oppoſuit Scripturæ ſententiam de veris ieiunij finibus, vt de vita contemplatiua, libro 2. cap. 17. A cibis conceſſis ſe continere, abſtinentia

*Proſper Leonis tempore.*

*Abſtinentia vera.*

nentia quidem eſt, ſed carnalis & imperfecta. Ea autem ſpiritualis & perfecta cenſenda eſt abſtinentia, quæ abſtinentem tàm ab illecebris carnalium voluptatum, quàm à peccatis omnibus facit alienum.

*Finis ieiuniorum.*

Et cap. 22. Membra ſua, quæ ſunt ſupra terram, mortificant, quando inſolens corpus ieiuniorum continuatione caſtigant, quãdo intra neceſſarium modum, ſuum temperant appetitũ, certi quòd nec delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, officiũt, & viles cibi plerunque abſtinentiæ profectũ, ſi appetenter accipiantur, impediunt. Vnde datur intelligi, quod veraciter abſtinentes, eſcarum non naturas, ſed concupiſcentias damnent. Quia autem non ſolùm à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, quàm vt appetitus ſuos non expleant, ſed comprimant, &c. cap. 23.

*Delicata ieiunia.*

Cæterum ſi à quadrupedibus abſtinentes, altilibus, vel aliis auibus precioſis, vel piſcibus perfruantur, non mihi videntur reſecare voluptates, ſed mutare, nec pro abſtinentia, ſed pro delitiis communes ac viles carnes abiicere, quò delicatioribus poſsint ſuas voluptates explere:

*Proſper cõtra delectum ciborum.*

cùm non aliquarum carnium nobis naturæ damnandæ ſint, ſed carnales concupiſcentiæ fugiendæ. Et ſpiritualis abſtinentia non aliquorum ciborum vſum, ſed deſiderium ſuadeat cõpeſcendum, cap. 24.

*Contra neceſſitatem ieiuniorum.*

Veruntamẽ ſic abſtinere vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi vel abſtinendi neceſſitati ſubdamus, cùm ſine abſtinẽtia quemlibet hominem catholicum caritas ſola perficiat, & omnis abſtinentia aut perdat ſine adiunctione charitatis, aut pereat.

*Contra opus operatum ieiunij.*

Quia ergo abſtinere aut ieiunare etiam hæretici poſſunt, corpora ſua panis & aquæ perceptione afficientes, non pro magno ducamus, quando ab illis, quæ ipſi quoq; reiiciunt, abſtinemus, ſed quando abſtinentiam noſtram fides commendat, charitasq; conſummat.

*Libertas abſtinentiæ.*

Ipſis verò catholicis Chriſtianis, qui ſiue non valendo, ſiue nolendo abſtinere, omnia vſui noſtro conceſſa, cũ gratiarum actione percipiunt, non nos propter abſtinẽtiam præferamus, ne fortè plus virtutum habeant illi, vnde nobis abſtinentibus iure præferantur. Quocirca ſi volumus abſtinentiam noſtram, ieiuniaq; noſtra perficere, ab omnibus vitiis diſcedamus.

*Finis ieiunij.*

Quia tunc nobis proderit, quòd corpora noſtra, vel certè corporum incẽtiua, rigore diſtrictioris abſtinentiæ caſtigamus, ſi carnalibus deſideriis abſoluti, ſanctis virtutibus floreamus, &c.

Hæ obſeruationes hiſtoricæ iucundæ profectò & vtiles ſunt, monſtrantes, quomodo pullulantibus ſuperſtitioſis opinionibus de ieiunio

*Capita huius hiſtoriæ.*

Deus ſubinde teſtes aliquos veritatis excitârit, qui ſuperſtitiones reprehenderunt & refutârunt, ac ſimul doctrinam & exercitia veri ieiunij ad fontes & fundamenta Scripturæ reducere conati fuerunt, alij aliis vel neruoſius & vehementius, vel modeſtius, & languidius, vt ita in hiſtoria conſpiciatur, perpetuum quaſi certamen ſuperſtitionis & veræ pietatis. Quando enim vel ex vulgo vel ex Patribus quidam inclinationem aliquam ad ſuperſtitiones faciebant, oppoſuit Deus alios, qui exorbitationes illas corrigere, & ad regiam Scripturæ Canonicæ viã reducere conati fuerunt, ſicut hactenus in hac de ieiunio hiſtoria oſtẽdimus.

### *QVOMODO AB ANNO DOMINI 460. cùm non eſſent qui contradicerent, ſuperſtitioſæ leges & opiniones de ieiuniis, per Pontificum & Conciliorum decreta cumulatæ ſint, donec Scholaſtica Theologia inde extructa eſt.*

HActenus igitur vſque ad annum Domini 450. oſtendimus, quòd leges ieiuniorum in opinionibus neceſſitatis & meritorum, ſæpius quidem & variè tentatæ, ſemper autem repreſſæ & refutatæ fuerint. Singulis enim illis temporibus ſemper fuerunt, qui monſtrata vera verbi Dei de ieiuniis ſententia, ſuperſtitionibus contradixerunt, & libertatem Chriſtianam defenderunt.

*Inclinatio ad ſuperſtitioſas leges & opiniones.*

Ab hoc verò tempore, extinctis Eccleſiæ luminaribus, cùm vix inueniretur aliquis, qui libertatis & veritatis patrocinium contrà ſuperſtitioſas leges ſuſcipere vel poſſet vel auderet, cumulatæ illæ, & per Romanorum Pontificum reſcripta, per poſteriorum conciliorum decreta, & per Monachorum conſtitutiones, ſtabilitæ ſunt, ita vt maxima pars cultus in illis obſeruationibus conſumeretur, quæ & mandatis Dei præferebantur, & meritum gratiæ & remiſſionis peccatorum, cum contumelia Chriſti, ſibi vendicabant, ſicut ex ſcholaſtica Theologia, quæ inde enata eſt, ſuprà oſtendimus. Sequentium igitur temporum hiſtoriam ex Leonis ſermonibus, & ex illis, qui poſtea leges & conſtitutiones illas in decretis collegerunt, breuiter perſtringemus.

*Leo de ieiuniis quatuor temporum.*

Leo itaq;, quem magnum vocant, circà annum Domini 460. ſolennia ieiunia quater in anno publicè indixit & mandauit, ieiunium ſcilicet Quadrageſimæ, Pentecoſtes, ſeptimi menſis & decimi, de illorum enim temporum ieiuniis extant multi ſermones Leonis.

*κακοζηλία Veteris Teſtamenti.*

Et de ieiunio quidem ſeptimi menſis & decimi non diſſimulat, ex ſiniſtra æmulatione Iudaicarum obſeruationum, Zachariæ 8. illa ſumpta eſſe. Dicit enim ſermone quarto de ieiunio ſeptimi mẽſis. Quando vos ad quædam, quæ in veteri Teſtamento inſtituta fuerunt, cohortamur, non Iudaicæ obſeruantiæ iugo vos ſubdimus, licet enim in temporibus conueniat, non tamen concordat in moribus.

*Chryſoſtomus de parte diei feſti.*

Sed hæc eluſio non ſoluit argumentũ de abrogatione obſeruationũ veteris Teſtamenti, Galat. 4. & Col. 2. Et Chryſoſtomus explicãs locũ Pauli, Gal. 4. annotat Paulum ideò dixiſſe (in parte diei feſti) vt oſtenderet, ſe arguere eos, qui etiãſi non per omnia, ſed tantũ in parte aliqua, obſeruationes veteris Teſtamenti conſcientiis in nouo Teſtamento imponere volebãt. Quadrageſimæ verò & Pentecoſtes ieiunia Leo dicit Apoſtolorũ traditione, de Paracleti magiſterio inſtituta.

*Paracletus.*

Sed hactenus liquido oſtendimus, falſum hoc eſſe, niſi quis Mõtanici Paracleti magiſterium & diſciplinam, cui Leonis leges de ieiuniis non malè conueniunt, intelligat.

*Leo de meritis ieiunij.*

Leo autem vt ſuis perſuaderet, legale hoc iugum ſuſcipere, tribuit ieiunio reconciliationem & propitiationem Dei, culparum redẽptionem, & peccatorum remiſſionem, ſicut in pręcedentibus tales Leonis ſententias adſcripſimus. In illis verò menſibus ieiunarunt quarta feria & ſexta, ſabbato verò ad vigilias conuenerunt. Hoc enim Leo ſemper repetit. Quarta & ſexta feria ieiune-

mus, ſabbato verò apud beatum Petrum pariter vigilemus.

*Ieiunia triũ temporum, poſtea quatuor.*

*Singulorum menſium ieiunia.*

*Ieiunia quatuor temporum vnde.*

*Nota.*

In hiſce verò humanarum traditionum ſiue conſtitutionibus ſiue obſeruationibus, non inutile erit oſtendere fuiſſe magnas diuerſitates, quæ ſæpius mutatæ, variatæ & cumulatæ fuerũt, donec tandem in leges rigidiſſimas euaſerunt. Apud Gratianum diſtinct. 76. traditur antea ter in anno ieiunia celebrata, poſtea verò facta inde quatuor temporum ieiunia. Elibertinum concilium cap. 23. ſtatuit ſingulis menſibus, excepto Iulio & Auguſto, talia ieiunia celebranda. Rabanus de inſtitutione clericorum, lib. 2. capi. 24. dicit, quatuor illis temporibus ſabbatis ſpecialia ieiunia fuiſſe conſtituta, in menſe Martio primo ſabbato, in Iunio ſecundo ſabbato, in Septembri tertio ſabbato, in Decembri quarto ſabbato, ante quæ ſabbata feria quarta & ſexta legitima ieiunia præceſſerint. Addit autem, quod memorabile eſt, cauſam & originem illorum ieiuniorum hanc fuiſſe, quòd Gelaſius conſtituerit, illis diebus ordinationes presbyterorum & diaconorum debere fieri. Cumq; primùm in ordinationibus, exemplo Apoſtolorum, Actorum 13. & 14. propter preces ardentiores adhiberentur ieiunia: Poſtea factum eſt inde opus operatum & lex generalis, etiam cùm non celebrarentur ordinationes. Idem Rabanus capite 17. inter ieiunium & ſtationem ita diſtinguit, vt ieiunium ſit abſtinentia cuiuſlibet diei, non per legem, ſed ſecundum propriam voluntatem. Statio verò ſit obſeruatio ſtatutorum dierum vel temporum, vt quartæ & ſextæ feriæ, ieiunium ex vetere lege præceptum, iuxta dictum, Ieiuno bis in ſabbato, id eſt, quarta & ſexta ſabbati. Quæſo autem Lectorem vt hanc rationem benè conſideret & expendat.

*Diſcrimẽ inter ieiunium & ſtationem.*

*Ieiunium rogationum.*

*Ieiunium vigiliarum.*

*Miſſa circa tẽpus veſpertinum in ieiuniis.*

Burchardus libr. 13. ex Aurelianenſi concilio citat conſtitutionem de triduano ieiunio rogationum ante feſtum Aſcenſionis. Ex Moguntinenſi verò citat conſtitutionem, vt Litania maior, a cunctis Chriſtianis, vno die, ſcilicet ſeptimo Calendas Maias, cum ieiunio obſeruaretur. Ex Gregorio Magno deſcribit, Quadrageſimam ideo obſeruandam, vt ſit perſolutio decimarum totius anni. Ex Aurelianenſi concilio deſcribit conſtitutionem de ieiunio vigiliarum in feſtiuitatibus ſanctorum. Nocturni enim conuentus in ſanctorum feſtiuitatibus, mutati poſtea ſunt in pridiana ieiunia, & præcedentis diei manſit appellatio vigiliarum. Et capite 2. tradit, in Moguntinenſi ſynodo conſtitutum, vt diebus ieiuniorum, hora nona cum litaniis ad Miſſarum ſolennia conuenirent. Cap. 12. dicit, in Quadrageſima non nona hora, ſed poſt veſpertinum officium manducandum.

*Nota de ieiunio ſabbati.*

*Prohibitio lacticiniorum.*

*Exemplum ſuperſtitionis vulgi.*

Gratianus de conſecrat. diſtinct. 3. citat conſtitutionem Innocentij, quòd omnino ſingulis ſabbatis ſit ieiunandum. Quam legem Auguſtinus prolixa diſputatione ad Conſulanum refutat. Et ſexta vniuerſalis ſynodus can. 55. Romanorum obſeruationem, quòd per Quadrageſimam ſabbatis ieiunabãt, reprehendit & improbat. Gratianus verò de conſecrat. diſtinct. 5. citat cõſtitutionem Gregorij Septimi, vt diebus ſabbati omnes Chriſtiani à carnium eſu abſtineant. Monachis verò in perpetuũ prohibuit eſum carniũ. diſt. 4. ſub Gregorij Magni nomine in Quadrageſima prohibet vſum lacticiniorum & ouorum, ſed ſexta ſynodus circa annum 680. fatetur canone 56. in Armenia & in aliis locis, quoſdam in Quadrageſima, ſabbatis & Dominicis, oua & caſeum comediſſe, quod canone illo tunc prohibebatur. Acceſſit etiam vulgi ſuperſtitio, ſicut Nicephorus lib. 17. ca. 32. hoc exemplum deſcribit, cùm Conſtantinopoli in magna rerum inopia, Imperator Iuſtinianus, ex Chriſtiana libertate, in Quadrageſima iuſſiſſet carnes venales in foro proponi, populus eas nec emebat nec edebat. Paulus Diaconus addit, venditores carnium à vulgo interfectos.

*Tres quadrageſimæ.*

Porrò varia & mirabilia ſuperſtitioſæ & prodigioſæ abſtinẽtiæ illorum temporum exempla, ſiue facta extant, quæ omnia huc referre non eſt animus, ſuperſtitio enim ſemel admiſſa, in infinitas ſe vertit formas, vt tandem, vbi conſiſtat, non inueniat, adeò, vt tres quadrageſimæ à Hieronymo in Montaniſtis antea publicè damnatæ, poſtea ſingularis pietatis titulũ ſibi vendicarint, ſicut Beda in hiſtoria Anglica celebrat Monachũ quendam Ecbrechtum, qui tres in anno quadrageſimas cum ſuis obſeruârit, vnum ante Paſcha, alterum ante Pentecoſten, tertium ante natalem Domini. Et alium celebrat Epiſcopum, qui duas ex illis celebrandas conſtituerit.

*Bernhardus de meritis ieiunij.*

*Gratianus.*

*Scholaſticorũ doctrina de ieiunio.*

Opiniones verò de meritis ieiunij, vnà cum conſtitutionibus ſeu legibus, ſubinde magis magiſq; cumulatæ ſunt, ſicut ſuprà annotauimus, Bernhardum ſentire, quòd ieiunium ſit ſatisfactio pro peccatis, pro quo ea quæ commiſimus condonentur, & peccata remittantur. Item ieiunium obtinere veniam, promereri gratiam & redimere æterna ſupplicia. Gratianus diſt. 13. quæſtio 3. dicit, ieiunia viuentium, eſſe defunctorum auxilia. Sed non opus eſt in poſterioribus illis ſeculis, ſingulorum vel temporum vel authorum ſiue conſtitutiones & leges de temporibus ieiuniorum & cibis, ſiue opiniones de meritis ieiuniorum, ordine & prolixè percenſere. Scholaſtici enim Doctores illa omnia in ſuis ſummis complexi ſunt. Et quia ſuprà peculiari loco, Scholaſticorum doctrinam de ieiunio expoſuimus, vt hoc loco eã repetere non ſit opus: Finem igitur iam faciam, & hiſtoricam hanc de ieiunio commemorationem concludam, remittens Lectorem ad ea, quæ ſuprà ex Scholaſticis, & aliis Pontificiis ſcriptoribus annotauimus.

## DE FESTIS.

QVòd decretum Tridentinum dicit, dierum feſtorum deuotã & religioſam obſeruationem, facere ad augendam pietatem: Non poteſt rectius explicari, quàm ſi primo oſtendatur antitheſis, inter pedagogicã ſeruitutem veteris, & inter Chriſtianam libertatem noui Teſtamenti, quod ad annos, menſes & dies, hoc eſt, quod ad feſta attinet. II. Si primitiuæ Eccleſiæ obſeruationes conſiderentur. III. Si oſtendatur, qui abuſus, & quę ſuperſtitioſæ opiniones, in celebrationes feſtorum irrepſerint. Ita enim iuxta Ieremiam precioſum à vili ſeparari poterit, & oſtendi, quæ feſta, & qua religione in noſtris Eccleſiis ſeruentur.

### *SCRIPTVRAE SENTENTIA ET DOCTRINA, de diebus feſtis qualis fuerit in veteri Teſtamento, & qualis ſit in nouo.*

*Veteris Teſtamenti feſta.*

IN veteri igitur Teſtamento Deus pædagogicas commonefactiones & ſignificationes de beneficiis & promiſſionibus diuinis, de cultu Dei, de exercitiis pietatis & de ſalute vitæ æternę per tempora, annos, menſes & dies, ita diſtribuit, vt certis & ſtatutis temporibus populus ad auditum verbi, ad meditationem beneficiorũ & promiſſionum Dei, ad preces, laudes, gratiarum actiones; & publica exercitia cultus Dei & pietatis, conueniret. Ita ſingulis diebus, mane & veſperi ad petendam & celebrandam gubernationem & protectionem diuinam in quotidianis vitæ huius negotiis, & ad petendam remiſſionem peccatorum ac Spiritus ſancti gratiam, conuentus Eccleſiaſtici habebantur. Deinde inter ſeptimanæ dies fuit ſabbati feſtiuitas conſtituta, ad commonefactionem beneficiorum Dei in creatione & ſuſtentatione rerum, Exo. 20. in memoriam admirandæ liberationis ex ſeruitute Ægyptiaca, Deu. 5. in ſignũ ſanctificationis, Ezech. 20. & ad ſignificandum ſabbatum interius ſeu ſpirituale & æternum, Ebræ. 4. In menſibus conſtituit Neomenias, vt monerentur, aſtrorum motus, & vices temporum, tanquam peculiare opus Dei conſiderare, vtq́; per ſingulos menſes beneficiorum Dei, & vitæ ſuæ rationem, ſubduceret. In principio & exitu anni inſtituit feſtiuitates, ob recordationem & celebrationem beneficiorum, populo in Eccleſia, politia, & Oeconomia, per totum annum à Deo præſtitorum.

*Mane & veſperi.*

*Sabbatum.*

*Neomenia.*

*Paſcha.*

*Pentecoſte.*

*Tabernaculorum &c.*

Addit certis temporibus anni alias ſolennitates de illuſtrioribus Dei beneficiis, olim populo in eductione ex Ægypto, in introductione in terram promiſſionis, in promulgatione legis, in conſtitutione Eccleſiæ & politiæ Iſraeliticæ, pręſtitis. Quæ feſtiuitates ſimul erant ſignificationes & commonefactiones promiſſionum de futuris beneficiis Meſſiæ, & de vita æterna. Et propter eaſdem ſignificationes & commonefactiones, ſeptimo ſemper & quinquageſimo etiam anno, peculiares inſtitutæ erant feſtiuitates. Poſtea ſimili exemplo, in memoriam illuſtriorũ liberationum, ſub Eſther, Iudith, & Machabæis, alia etiam feſta inſtituta fuerunt. Et Deus feſtiuitates à ſe inſtitutas, certis cæremoniis circumſcripſit, quomodo à veſpera in veſperam, cum ceſſatione ab operibus ſeruilibus, & per quot dies, quibus ſacrificiis & ritibus, eas vellet celebrare, additis comminationibus pœnarum contra prophanatores. Quæ plenè explicare non eſt huius loci, tãtùm enim propter antitheſin inter vetus & nouum Teſtamentum, quod ad feſta attinet, hæc breuiter hòc loco commemorata ſunt.

*Iubilæus.*

*Encania.*

*An lex de feſtis perpetua.*

Et Iudæi quidem contendunt, pœdagogiam illam feſtorum diuinitus inſtitutam, neceſſariò etiam nunc obſeruandam, quia de ſabbato Deus dicit, Exod. 31. Pactum hoc eſt ſempiternum inter me & filios Iſrael, ſignumq́ue perpetuum. Et de Paſchate Exo. duodecimo: Cultu ſeu ſtatuto perpetuo celebrabitis, legitimum hoc tibi erit, & filiis tuis in æternum. Ita de reliquis etiam feſtis, Leuit. 25. dicitur, Legitimum & præceptum ſempiternum erit in generationibus veſtris. Sed quia Ieremiæ 31. prædicitur antiquatio ſeu abrogatio veteris pacti, & inſtitutio noui: Et Moſes ipſe de alterius Prophetæ verbo vaticinatur, Deuteron. decimooctauo. Lex igitur & Prophetæ vſque ad Ioannem, Matth. 11. Impoſita enim fuerunt legalia illa vſque ad tempus correctionis, Ebræorum nono. Et lex fuit Pædagogus noſter vſque ad Chriſtum, poſtquam verò fides venit, & Deus Filium ſuum miſit, non amplius ſumus ſub pædagogo, nec in ſeruitute ſub elementis mundi, Galat. 3. & 4. Fuerunt autem feſta pars elementorum pædagogiæ legis, de quibus Paulus diſerte dicit, Galat. 4. Dies obſeruatis & Menſes, & tempora & annos, metuo ne fruſtrà laborauerim in vobis. Et Coloſſ. 2. Nemo vos iudicet in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti.

*Abrogatio eorum quæ ad Vetus Teſtamentum pertinent.*

*Feſtorum abrogatio.*

*De Vocabulis perpetuitatis apud Ebræos.*

Quod igitur ad dicta Moſaica attinet, Burgenſis eruditè oſtendit, in lingua Ebræa dictiones quaſdam ſignificare perpetuitatem abſolutam ſine fine, vt נצח, & quando particula עד vel geminatur vel iungitur Præpoſitioni vel dictioni ערלם, quando verò dictio ערלם vel ſola ponitur, vel præcedente עד tũc ſignificare perpetuitatem, ſecundum conditionem rei cui adiungitur, vt quando Scriptura dicit, In æternum verbum tuum permanet. Item: Veritas Domini manet in æternum. Ibi ſignificat perpetuitatem æternam ſine fine. Quando verò dictio illa prædicatur de re, cuius duratio eſt periodica, & ambitu quodam temporis limitata, tunc ſignificat perpetuitatem non abſolutam ſed periodicam, ſicut Latini vocant ſeculum ſeu ætatem alicuius rei, Ita Deute. 15. de ſeruo, qui anno ſeptimo non vult liber exire, dicitur, Seruiet tibi in æternum, hoc eſt, per totam ſuæ vitæ periodum, vel vſque ad annum Iubilæum. 1. Reg. 1. Samuel manebit in tabernaculo Domini vſque in ſeculũ, hoc eſt vſque ad annum 50. quod erat ſeculum miniſterij Leuitarum, Numer. 8. vel, ſicut Hanna ipſa declarat, omnibus diebus vitæ ſuæ. Cùm itaque periodus durationis & obſeruationis ceremoniarum veteris Teſtamenti aduentu Meſſiæ in carnem in ſcripturis limitata & circũſcripta ſit, manifeſtum eſt, qualis perpetuitas intelligenda ſit in dictis Moſis, ſcilicet vſque ad Chriſtum, hoc enim eſt ſeculum legis ſeu Moſaicum, ſicut ipſi Rabini, dies nouiſſimos, ſeu ſeculum nouiſſimum & futurum, appellant tempus Meſſiæ. Item: duo millia inane, duo millia Lex, duo millia Meſſias. Vtque intelligeretur, ſtatuta illa Moſaica, nec perpetua eſſe, nec omnes homines obligare, ideo additur, Perpetua erunt inter filios Iſrael, in habitaculis & generationibus veſtris.

*Olam ſeu ſeculum Leuit. ceremon.*

Quia verò de abrogatione Leuiticorũ feſtorũ in nouo Teſtamento conſtat, videndum iam eſt, quid & quomodo ſit abrogatũ. In veteri .n. Teſta. in feſtis populus conueniebat in cœtũ, ſabbatis legebatur Moſes, Actor. 15. & Prophetæ, Luc. 4. Act. 13. fiebãt preces cõmunes, Lu. 1. Pſalmi, Hymni, gratiarum actiones celebrabantur. 1. Paralip. 25. Et breuiter feſta illa ſanctificabantur, hoc eſt, tempus illud in ſancta pietatis exercitia ſepoſitis impedimentis & auocamentis negotiorum ſeculi impẽdebatur. Hoc certè genus in nouo Teſtamento non eſt abrogatum. Nam & ad Chriſtum populus ſæpius conuenit, ad audiendum ver-

*Quæ ſint ſanctificationes quæ retinẽtur in nouo Teſtamento.*

bum Dei. Et Apoſtoli cum ſuis conuenerunt in vnum ad audiendum ſermonem Dei, ad vſum Euchariſtiæ,& ad reliqua, quæ ad λειτουργίαν, hoc eſt,ad publicum munus miniſterij pertinent, Actor. 13. & 20. 1. Cor. 11. In cœtu illo adminiſtrarunt baptiſmum, Actor. 10. factæ ibi fuerunt obſecrationes,deprecationes, interpellationes, & gratiarum actiones, 1. Timo. 2. & 1. Cor. 14. vſi ibi fuerunt canticis, Pſalmis, Hymnis,& Benedictionibus. 1. Corinth. 14. & finis concionum in illis conuentibus ibi pulchrè deſcribitur, vt omnes inſtituantur, diſcant, coarguantur, exhortationem & conſolationem accipiant. In illis conuẽtibus contulerunt etiam & diſtribuerunt Eleemoſynas pro pauperibus, Actor. 2. 1. Cor. 16. Hoc certè genus ſanctificationis ſabbati adeo non eſt abrogatum in nouo Teſtamento, vt Apoſtolus Ebræorum 10. dicat, illam (ἐπισυναγωγὴν) mutuam congregationem, non eſſe deſerendam, ſed colẽdam ad mutuam exhortationem & prouocationem, ad tenendam confeſſionẽ ſpei,& charitatem & bona opera. Et Matthæi 18. Chriſtus huiuſmodi cõuentibus præſentiam ſuam & gratiam promittit.

*Quid ſit, ſpeciẽ abrogatã eſſe non genus.*

Et hoc eſt, quòd vſitatè ac rectè dicitur, Nouum Teſtamentum, in præcepto de ſanctificatione ſabbati, non genus quod morale eſt, ſed ſpeciem quæ ceremonialis eſt, abrogaſſe, quod ſcilicet conuentus illi expreſſo mandato Dei in veteri Teſtamento ad certas circumſtantias temporum determinati & allegati erãt, quo ſcilicet die celebrandum eſſet ſabbatum, quibus menſibus, quoto die menſis, & per quot dies reliqua feſta eſſent celebranda, quando inchoanda & finienda, à veſpera ſcilicet in veſperam, quæ feſta Ieroſolymis tantùm celebranda eſſent, & quæ alibi poſſent celebrari, quibus ritibus in celebratione feſtorum eſſet vtendum, quodq; ab aliis operib. ita eſſet abſtinendum, vt ſabbato ne quidem liceret extra locum progredi, Exo. 16. niſi per iter Sabbati, nec ignem ſuccendere, Exod. 35. Et harũ circumſtantiarum obſeruatio, extra caſum neceſſitatis, ex mandato Dei erat neceſſaria, pro cõſcientiis impoſita ſub peccato mortali, & pœna damnationis. Illæ igitur circumſtantiæ, & neceſſariæ earum obſeruationes, cõſcientiis in nouo Teſtamento abrogatæ ſunt. Non ita autem abrogatæ ſunt illæ circumſtantiæ, quaſi in nouo Teſtamento, abſque ordine, meræ debeant eſſe confuſiones in conuentibus Eccleſiaſticis. Paulus enim in huiuſmodi circumſtãtiis libertatem conſcientiarum ita aſſerit, vt tamen velit in Eccleſiaſticis conuentibus omnia ordine fieri, & ita decenter, vt ſeruiant ædificationi, & ſint incitamenta & retinacula pietatis, ac teſtimonia quòd Deus reuera ſit in medio noſtri. Non enim confuſionis Deus eſt, ſed pacis, 1. Corinth. 14. & Coloſ. 2. Gaudeo videns veſtrum ordinem. Ita Chriſtus in ſabbatis & in reliquis feſtis, & ipſe docuit, & concionibus interfuit. Vt autem oſtenderet, ſe illud liberè & non ex neceſſitate facere, contra opinionem neceſſitatis, de abrogatione ſabbati Moſaici, & verbo docuit, cùm diceret Filium hominis Dominum eſſe ſabbati, & factis ſæpius libertatem illam teſtatam fecit, cùm ſabbatis ſanaret, & diſcipulos ſpicas in ſabbato confricantes, defenderet. Atque ideo etiam, cõuentus ſuos ad docendum verbum, aliis ſæpius diebus extra ſabbatum celebrauit. Atque labores, qui in caſu neceſſitatis & charitatis, in ipſo ſabbato ſuſcipiebantur, non damnauit, tantùm illas operas externas, quæ miniſterium & ſanctificationem turbant & impediunt, prohibitas eſſe oſtendit, cùm Mar. 11. docens in templo, nõ permitteret, vt quiſquam vas deportaret per templum, eò quòd ſcriptum ſit; Domus mea domus orationis eſt. Ipſe verò ſuo exemplo oſtendit, quomodo tempus conuentuũ Eccleſiaſticorum ad ſanctificationem eſſet conferendum. Cùm enim ipſe docuiſſet, poſtea ſoluto conuentu, priuatim diſcipulos examinabat & rectius inſtituebat, Mar. 4. & Lu. 14. à cõcione digreſſus, ad prãdium concionem repetit, vſum doctrinæ oſtendit, & vera pietatis exercitia præmonſtrat. Inde rectiſſimè poteſt colligi, qua libertate, deuotione & religione, ſabbatum in nouo Teſtamento ſit ſanctificandum.

*Ordo & decorum in cõuentibus Eccleſiaſticis.*

*Libertas ſabbati.*

*Quæ opera prohibita.*

*Quæ ſanctificatio.*

Eodem modo, Apoſtoli primùm tolerarunt infirmitatem fidei illorum, qui ſine ſuperſtitione Moſaicos dies obſeruabant, Roma. 14. vbi addit, firmiores in fide iudicaſſe, poſt abrogationẽ veteris Teſtamenti, omnes dies per ſe eſſe æquales, nec vnum alio eſſe ſanctiorem. Oſtenderunt etiam Apoſtoli ſuo exemplo, in nouo Teſtamento liberum eſſe, vel ſingulis diebus, vel quocunq; die commodum videretur, ad tractandum verbum & Sacramenta, & ad publica ſeu communia pietatis exercitia, conuenire. Ita die ſabbati docuerunt, Act. 13. 16. 17. & 18. Et quia in feſtis multitudo frequẽs conueniebat, Paulus hac occaſione vſurus ad propagationem Euangelij, dicit ſe velle diem Pentecoſtes agere Hieroſolymis. Præterea vt oſtenderent, exercitia Eccleſiaſticorum conuentuum in nouo Teſtamento non eſſe alligata ad certos dies, ipſi quotidie perſeuerarunt in doctrina Apoſtolorum, in cõmunicatione, & fractione panis, & precationibus. Et Act. 5. Non ceſſabant omni die docere, & in templo, & in domibus. Ita Paulus 1. Corint. 5. oſtendit, Paſcha Iudaicum ita eſſe abrogatum, vt illud, cuius commonefactionis & ſignificationis gratia vetus Paſcha celebrabatur, quotidie nobis in nouo Teſtamento ſit cogitandum & agendum. Nam & Paſcha, inquit, noſtrum pro nobis immolatus eſt Chriſtus: Itaque feſtum celebremus, non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.

*Libertas dierum.*

*Apoſtoli docuerũt ſabbatis.*

*Apoſtoli quotidianas Synaxes.*

Cùm verò poſtea Pſeudoapoſtoli liberas illas obſeruationes ſabbati Moſaici, & aliorum feſtorum, tanquam ex lege, opinione neceſſitatis ita vrgerent, vt conſcientias non obſeruantiũ iudicaret, Paulus dicit, nõ eſſe obſeruandos dies, mẽſes & annos, ſed ſtandũ in ea libertate, qua Chriſtus nos liberauit, ne rurſus iugo ſeruitutis implicemur, Gala. 4. & 5. Nec permittẽdum eſſe, vt aliquis nos iudicet in ſabbatis vel feſtis, Col. 2. Et tunc, atque ea occaſione, contra opinionẽ neceſſitatis, in publicũ teſtimoniũ abrogationis feſtorum Moſaicorũ, & libertatis noui Teſtamẽti, cùm ordinis gratia dies aliquis ad conuentus Eccleſiaſticos liberè eſſet eligendus, noluerũt Apoſtoli ſimpliciter ſabbati diẽ retinere, ſed 1. ſabbatorũ cõuenerunt ad frangẽdũ panẽ, & ad audiendũ verbũ, Act. 20. Et prima ſabbatorũ cõferebãt Eleemoſynas, quæ pars erat actionũ in conuentibus Eccleſiæ, 1. Cor. 16. Quia enim prima ſabbatorum

*Obſeruatio ſabbati quãdo & cur omiſſa.*

*Synaxes prima ſabbatorum.*

torum Chriſtus à morte reſurrexerat, Marci 16. Ob memoriam igitur reſurrectionis, qua Chriſtus in gloriam regni noui Teſtamenti intrauit, viſa fuit illa dies commodior ad conuentus Eccleſiaſticos in nouo Teſtamento. Et hæc videtur dies illa eſſe, quæ Apocalyp.1. (κυριακὴ) vocatur Dominica, quam appellationem tota poſtea vetuſtas retinuit & vſurpauit. Nec tamen Apoſtoli, vel lege aliqua vel præcepto, eius diei obſeruationem, opinione neceſſitatis, conſcientiis in nouo Teſtamento leguntur impoſuiſſe, ſed libera fuit obſeruatio, ordinis gratia: Si enim ab Elementis, quæ diuinitus in veteri Teſtamento inſtituta & mandata fuerant, liberati ſumus, quomodo hominum decretis teneremur? Coloſſ.2. Nam & in alio caſu dicit Paulus: Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Quid verò Apoſtolica Eccleſia in conuentibus Eccleſiaſticis egerit, paulò antè monſtratis locis oſtendimus. Atque hæc ſunt, quæ in ſcriptura noui Teſtamẽti ad feſta pertinentia, tradita ſunt, iuxta quam normam, vt deuota & religioſa feſtorum celebratio, ad augendam pietatem, reſtituatur, nemo improbat, ſed omnes pij optant.

*Dominica dies nominata.*

*Dominica dies ſine lege præcepti.*

## *HISTORIA PRIMITIVAE ECCLESIÆ de feſtis & eorum obſeruatione.*

VT tota res de libertate & vera obſeruatione feſtorum in nouo Teſtamento eo fiat planior, & antitheſis eò rectius poſſit intelligi, breuem adiiciemus annotationem, de Feſtis & eorum obſeruatione in primitiua Eccleſia, poſt tempora Apoſtolorum. Et ordine notabimus, quæ & quam pauca primitiua illa Eccleſia feſta habuerit, & quomodo ea celebrarit.

Primò igitur conſtat, vetuſtiſſimam Eccleſiã poſt Apoſtolorum tempora, Dominica die conuentus Eccleſiaſticos celebraſſe. Dionyſius enim Corinthius apud Euſebium, lib.4.cap.23. inquit: τὼ σήμερον κυριακὼ ἁγίαν ἡμέραν διηγάγομεν. Hodie ſacrum diem Dominicum celebrauimus. Tertullianus libro de Idololatria, inter ſolennitates Chriſtianorum, primo loco nominat diem dominicum, & dicit, Chriſtianis octauo quoq; die feſtum ſeu ſolennitatem eſſe. Et in Apologetico exercitia Chriſtianorum, in congregationibus illis feſtiuis ita deſcribit: Coimus, inquit, in cœtum, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus, orantes: Coimus ad diuinarum literarum commemorationem, fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina, ſi quis ita deliquerit, vt à coniunctione relegetur. Modicam vnusquisque ſtipem pro pauperibus apponit, &c. Ita Iuſtinus Apologia ſecunda, non tantùm nominat diem illum, ſed quomodo celebratus fuerit oſtendit: Omnes, inquit, & vrbani & ruſtici ex agris, conueniunt in vnum, & primò leguntur ſcripta Prophetica & Apoſtolica. II. Præſes habet orationem monitoriam & exhortationem, vt bona quæ lecta ſunt imitentur. III. Cœtus omnis conſurgit ad preces. IIII. Celebratur communio Euchariſtiæ. V. Conferuntur eleemoſynæ κατὰ προαίρεσιν cuiuſque in ſubſidium pauperum, pupillorum, ægrotantium, exulum, &c. Et rationem, quare illo potiſſimum die in cœtum coierint, Iuſtinus hanc reddit, quia die ſolis Deus mundum crearit, & Chriſtus eodem die à mortuis reſurrexerit. Ignatius ad Magneſios hanc rationem affert, quod quidam ſub profeſſione Chriſtiana, adhuc Iudaiſmum, qui abrogatus eſſe debebat, in animo habuerint. Non amplius itaque iudaicum ſabbatum, inquit, celebremus, ſed πᾶς φιλόχριστος ἑορταζέτω τὼ κυριακὼ, τὼ ἀναστάσιμον, τὼ βασιλίδα, τὼ ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν, ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν χριστῷ, ὃν ἀρνοῦνται τέκνα ἀπωλείας, Omnis, qui Chriſtum amat, feſtum celebret Dominicam diem, reſurrectione inſignem, quæ ſuprema & regina eſt omnium dierũ, in qua mors deuicta, & vita noſtra exorta eſt in Chriſto, quem filij perditionis negant, &c. Propter illos igitur, qui Iudaiſmi abrogationem, & reſurrectionem Chriſti negabant, Chriſtiani loco ſabbati Dominicum diem ſumpſerunt. Et quomodo Chriſtiani tunc celebrarint Dominicam diem, Ignatius ita explicat: Non amplius Iudaico more ſabbatum celebremus, ocio vacantes, qui enim non laborat, non manducet, &: In labore vultus tui manducabis panem tuum. Sed vnuſquiſque noſtrum ſabbatum celebret ſpiritualiter, meditationi legis diuinæ operam dans, non corporis indulgentiæ (διαιτουργίαν) opus creationis & adminiſtrationis diuinæ cum admiratione conſiderans, & in tali ſabbatiſmo celebret quiſque Dominicam, Et paulò antè dicit, Omnes in vnum ſimul ad precationem cõueniatis. Vna ſit communis oratio, vna mẽs, vna ſpes, in dilectione & fide in Chriſtum. Auguſtinus epiſt.119. Dies Dominicus Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo cœpit habere feſtiuitatẽ ſuam. De ciuitate lib.22.cap.30. Dominicus dies Chriſti reſurrectione ſacratus, æternam non ſolùm ſpiritus, verùm etiam corporis requiem præfigurat. De verbis Apoſtoli Serm.15. Domini reſuſcitatio promiſit nobis æternum diem, & conſecrauit nobis Dominicum diẽ, qui Dominicus vocatur, quia eo die Dominus reſurrexit. Cyrillus in Ioann. lib.12.cap.58. Diem octauum, quo Chriſtus Thomæ apparuit, Dominicum diem eſſe neceſſe eſt. Iure igitur ſanctę congregationes die octauo in Eccleſiis fiunt, &c.

*Dominicus dies in primitiua Eccleſia.*

*Octauus dies.*

*Tertullia. de exercitiis Dominici diei.*

*Iuſtinus de die Dominico.*

*Ratio Dominici diei.*

*Ignatius de die Dominico.*

*Auguſtinus.*

*Cyrillus.*

Liberam autem fuiſſe illam obſeruationem, inde non obſcurè colligitur, quod præter Dominicum diem, quarta etiam & ſexta feria, ſicut Epiphanius ſcribit, celebrarunt (συνάξεις) conuentus Eccleſiaſticos, ad auditum verbi, ad vſum Sacramentorum, & ad preces communes. Et Auguſtinus Epiſt. 118. Alij quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico. Alij certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur. Alibi ſabbato tantùm & Dominico. Alibi tantùm Dominico. Totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Ita Sozomenus lib.2.cap.19. Conſtantinopoli, & apud alios ferè omnes, ſabbato & prima ſabbati, ἐκκλησιάζουσι, Eccleſiaſticos conuentus celebrant. Et Euſebius de vita Conſtantini lib.4. ſcribit, Conſtantinum ſtatuiſſe, vt Dominicum diem, & eum qui ſabbatum antecedit, omnes venerarentur, ob memoriam earum rerum, quæ iis diebus à communi omnium noſtrum Seruatore fuerunt geſtæ.

*Synaxes 4. & 6. feria.*

*Quotidie.*

*Sabbato.*

*Dies Veneris feſtiuus.*

ſtæ. Et Sozomenus lib. 1. cap. 8. dicit, Conſtantinum legem tuliſſe, vt tum die Dominico, quia in eo Chriſtus reſurrexit, tum die qui ſabbatum antecedit, quia in eo Chriſtus crucifixus fuit, omnes à iudicialibus & aliis negotiis obeundis vacarent, precibus verò & ſupplicationibus Deum colerent.

*Feſtum Paſchatis.*

Secundò, celebrationis ſeu obſeruationis feſti Paſchatis freques fit mētio in hiſtoria primitiuæ Eccleſiæ, præcipuè verò in celebri illa apud Euſebium lib. 5. cap. 23. & 24. hiſtoria. Et quidam per Paſcha intellexerunt non tantùm reſurrectionis, verùm etiam paſſionis ſeu crucifixionis memoriam. Ita hebdomadam paſſionis, quæ aliis ſancta ſeu magna appellatur, Epiphanius vocat Paſchatis hebdomadam, cuius peculiaria ieiunia deſcribit. Alij, vt Epiſcopi apud Euſebium, myſterium ſeu diem reſurrectionis vocabant Paſcha. Et propter meditationem paſſionis Chriſti vſitata tunc fuiſſe ieiunia, in præcedenti loco diximus: Ipſo verò die reſurrectionis ſoluebatur ieiunium, Euſebius lib. 4. cap. 22. Et vigiliarum Paſchæ meminit Euſebius lib. 6. cap. 9. Tertullianus lib. 2. ad vxorem, nominat abnoctationem ſolennibus Paſchæ. Hieron. in cap. 25. Matthæi ſcribit, in die vigiliarum Paſchæ, ante noctis dimidium populos non dimiſſos. Et Euſebius de vita Conſtantini lib. 4. ſcribit, Conſtantinum Paſchales illas peruigilationes ornaſſe lampadibus, accendens per totam vrbem columnas ſeu moles (κίονας enim vocat) cereorum. Atq; inde abſq; dubio cerei Paſchalis ritus emanauit ad poſteros, & ad aliam poſtea ſuperſtitionem translatus fuit.

*Vigilia Paſcha.*

*Cereus Paſchalis vnde.*

*Aſiaticorum Paſcha. Occidentalium.*

Porrò & illas obſeruationes Paſchatis liberas fuiſſe, ex magna obſeruationis varietate conſtat. Aſiatici enim ſemper decima quarta Luna, quādo Iudæi azyma præparant, celebrant Paſcha. Europæi vero, ne quid cum Iudæis viderentur commune habere, die Dominica poſt 14. Lunam. Et Polycrates quidem Aſiaticam obſeruationem non tantum ad traditionem Iohannis, Philippi, Polycarpi, refert, verum addit etiam, obſeruationem illam eſſe ex præſcripto Euangelii, & ſecundum Canonem fidei. Victor vero Romanus Europæam obſeruationem, ſub pœna excommunicationis, Aſiaticis etiam Eccleſiis imponere volebat, tanquam traditionem Petri & Pauli, ſicut Sozomenus ſcribit. Sed Irenæus ex aliis rationibus, & ex Polycarpi exemplo oſtendit, obſeruationes illas indifferentes & liberas eſſe, Et Socrates lib. 5. ca. 22. cùm prolixa diſputatione oſtendiſſet, nec Polycratē nec Victorem ſatis iuſtas cauſas habuiſſe de feſto Paſchatis tam odioſe digladiandi, addit: Nec Apoſtolum nec Euangelia tale iugum ſeruitutis conuerſis impoſuiſſe: Sed homines ob relaxationem à laboribus, & Paſchatis feſtum, & alia feſta, in memoriam ſalutaris paſſionis, in ſingulis locis ſingulos pro arbitratu, & conſuetudine quadam celebraſſe. Nam neque Seruator, inquit, neque Apoſtoli (νόμῳ τοῦτο παραφυλάττειν παρήγγειλαν) lege aliqua illud obſeruandum præceperunt. Neque pœnam aut ſupplicium, ſicut Lex Moſaica Iudæis, nobis, vel Apoſtoli vel Euāgelia ideo cōminantur: Sed hiſtoriꝫ tantùm gratia in Euangeliis ſcriptum eſt: Chriſtum tempore azymorum paſſum eſſe. Et mox ſubiungit: Scopus Apoſtolis propoſitus fuit (οὐ περὶ ἡμερῶν ἑορτασικῶν νομοθετεῖν) non vt de diebus feſtis leges ſancirent, ſed vt rectæ vitæ & pietatis autores eſſent. Mihi quidem (inquit Hiſtoricus) videtur, ſicut multa alia, pro locorum diuerſitate, conſuetudine quādam introducta ſunt, ita etiam Paſchatis feſtum ex conſuetudine quadam apud ſingulos populos (ἰδιάζουσαν) priuatam habuiſſe obſeruationem propterea, quòd nemo Apoſtolorum cuiquam legem de eo impoſuit, vel præſcripſit. Et poſtea dicit. Aſiatici quidem ſuam obſeruationem à Ioanne, Romani verò ſuam à Petro & Paulo traditam contenderunt, ſed nemo illorum (ἔγγραφον ἀπόδειξιν) ſcriptam aliquam de his rebus demonſtrationem proferre poteſt. Et circa finem inquit: Nonnulli qui omnem ſcortationem indifferentem putant, de feſtis tāquam de vita decertant, & propter feſta ſe iuſtificari putant. Addit & memorabilem hanc ſententiam, οἱ ταῦτα παραλαβόντες ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρέγραψαν. Qui tales ritus à maioribus acceperunt, eos poſtea tanquam legem ad poſteros transmiſerunt.

*Prætextus traditionum.*

*Socratis hiſtoria de feſtis.*

*Feſta non ex præcepto ſed libera.*

*Apoſtoli non tulerunt leges de feſtis.*

*Traditiones non poſſunt ſcriptis probari.*

*Notabene.*

*Quomodo ex obſeruationibus leges factæ.*

*Canon Nicænus de feſto Paſchatis.*

Poſtea in Nicæna Synodo Conſtantinus ſuaſit, vt Orientales, qui ex vetere traditione, eodem tempore quo Iudæi Paſcha celebrabant, cū pauciores eſſent, conformitatem cum reliquis Eccleſiis ſeruarent, ac ſimul omnes, die Dominica poſt decimamquartam Lunam vernalem, feſtum Paſchatis celebrarent, ne cum Iudæorum perfidia commune aliquid haberet Eccleſia. Epiſtolæ Concilij & Conſtantini de hac re extant apud Euſebium, & in Tripartita hiſtoria. Et Auguſtinus dicit Epiſt. 119. quia inter mortem Chriſti & reſurrectionem eius medius fuit ſabbati dies, quo Iudæi ſuum Paſcha celebrarunt, ideò vt noſtra feſtiuitas à Iudæorum feſtiuitate diſtingueretur, per patrum Concilia adiunctam eſſe illorum etiam dierum obſeruationem, quibus anniuerſaria memoria paſſionis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti celebraretur, & Paſcha reſurrectionis Dominica die obſeruaretur.

*Auguſtinus.*

*Paſcha paſſionis & reſurrectionis.*

*Ephemerides.*

Quia verò Ephemeridum vſus, in quibus motus Planetarum ad ſingulos dies ſupputati monſtrantur, illis temporibus nondum fuit, vt nunc, vulgatus. Alexandrino Epiſcopo hoc negotij datum fuit (quia in Ægypto Mathematica ſtudia ſemper magis exculta fuerunt) vt ipſe aliis Eccleſiis tempus Paſchatis per Epiſtolam, quam Paſchalem nominabant, ſignificaret, ſicut huius argumenti extat Theophili epiſtola Paſchalis. Et in hunc vſum excogitatus poſtea fuit numerus, quem aureum vocant, Calendario inſcribendus, qui nouilunia & plenilunia monſtraret, vt ſemper & vbique die Dominica poſt verum plenilunium Paſcha celebraretur. Et adhuc hodie quidem, Canon computi (vt vocant) Eccleſiaſtici, eſt numerus aureus, ſed progreſſu temporis indicatio nouilunij per aureum numerum ſæpe adeò iam fallit, vt luna exiſtente in cœlo, vel dimidia, vel plena, aureus numerus, ſæpè fingat nouilunium, vnde contra mentem Nicæni Concilij, ſæpius iam Paſcha celebramus in menſe immundorum, rarò verò iuxta Nicenam conſtitutionem dominica proxima poſt decimam quartam Lunam. Cumque ratio Calendarij facilimè iam poſſet emendari, vt obſeruatio Paſchatis quotannis conueniret ad conſtitutionē Nicænæ Synodi, ſicut rationes illæ publicis ſcriptis erudite

*Epiſtolæ Paſchales.*

*Aureus numerus.*

*Error in celebratione Paſchatis.*

erudite monſtratæ ſunt à Stephlero, Pighio & ab aliis: Exiſtimo illam, quæ nunc ſæpiſſime propter aureum numerum accidit, aberrationem ideo diuinitus permitti, vt re ipſa oſtendatur, obſeruationes illas liberas eſſe, nec opinione neceſſitatis ad certa tempora alligatas, ſed ordinis gratia ſeruari. *Gallorum Paſcha.* Et Theophilus indicat, Gallos in celebratione Paſchatis diem anniuerſarium, qui ipſis fuit octauus Calendarum Aprilium obſeruaſſe, ſicut in natali Domini octauus Calendarum Ianuarij obſeruatur. Simile etiam Sozomenus de Nouatianis quibuſdam ſcribit.

*Pentecoſte.* Tertio, Pẽtecoſtes etiam in primitiuæ Eccleſiæ hiſtoriis crebra fit mentio. Intelligunt autem vetuſtiſſimi non quinquageſimum tantum diem, ſed totos illos quinquaginta dies poſt Paſcha, qui lætitiæ ita dicati erant, vt non liceret in illis ieiunare, nec geniculando ſed ſtando orare, *50. dies poſt Paſcha.* ſicut Tertullianus ſcribit de corona militis. Omnes autem quinquaginta illos dies à die Paſchæ in Pẽtecoſten feſtos fuiſſe, inde colligi poteſt, quod Tertul. lib. de Idololatria dicit, ſi ſingulæ gentium ſolennitates numerentur, non poſſent implere noſtram Pentecoſten, hoc eſt quinquaginta illos dies feſtos, intra Paſcha & Pentecoſten. Et Hieronym. ad Lucinium cum dixiſſet: Vtinam omni tempore ieiunare poſſemus, addit: Nec hoc dico, quod dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam. Et Ambroſius in cap. 17. Lucæ inquit, Maiores tradidere nobis omnes quinquaginta dies Pentecoſtes, vt Paſcha celebrandos, quia octaua hebdomadis initium Pentecoſten facit. Et Sermone 60. dicit, Iſtorum quinquaginta dierum iugum & continuatam eſſe feſtiuitatẽ, qualis his eſt die Dominica. Sed & has ſolennitates liberas habuiſſe obſeruationes, inde oſtenditur, quod iam dudũ interciderunt, nam & ieiunia poſtea intra Paſcha & Pentecoſten ordinata, & geniculationes admiſſæ ſunt, nec feſti iam ſunt omnes illi dies. Et Tertullianus de corona militis numerat hęc inter illa, quæ ſine vllius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & conſuetudinis patrocinio recepta fuerunt. Poſtea igitur tantum quinquageſimus dies feſtus manſit, vt aduentus de cœlo Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebraretur, ſicut inquit Auguſtin. Epiſt. 118. Et Hieronymus in cap. 4. ad Galat. inter feſta numerat Pentecoſtes lætitiam, qua Spiritus ſancti veneraremur aduentum.

*Aſcenſionis feſtum.* Quarto, Feſti aſcenſionis Auguſtin. ita mentionem facit, Epiſt. 118. Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas commendata atq; ſtatuta retineri. Sicut quod Domini paſſio, & reſurrectio & aſcenſio in cœlum, & aduentus de cœlo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur. Et apud vetuſtiores quidem feſti Aſcenſionis non fit peculiaris mentio, ſed comprehendunt illud, ſub quinquaginta illis feſtis diebus poſt Paſcha. Cum vero illi non omnes vbique feſti amplius haberentur, peculiaris ſolennitas facta eſt, anniuerſaria dies Aſcenſionis. *Auguſtin. de cauſis feſtorũ.* Cauſam vero inſtitutionis & obſeruationis talium Feſtorum Auguſtinus ita explicat, de ciuitat. Dei, lib. 10. cap. 4. Nos vni Deo Deorum beneficiorum eius memoriam, ſolennitatibus, feſtis & diebus ſtatutis, dicamus ſacramusque, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio. Et contra Fauſtum, lib. 32. cap. 11. Nos Paſcha celebrantes, occiſionem agni Dei, cum quotidie, tum maxime anniuerſaria ſolennitate, non venturam ſignamus, ſed factum commemoramus. Ideo dies Paſchæ noſtræ ſolẽnitatis ad diem celebrationis vmbraticę Iudęorum, non occurrit, vt & diem Dominicum, quo Chriſtus reſurrexit, complecteremur. Et cap. 12. loquens de quinquageſimo die, quo nobis Chriſtus Spiritum paracletum quem promiſerat miſit, addit: Ea quippe anniuerſarie in Eccleſia celebrantur, quæ inſigniter excellentia, certis diebus facta ſunt, vt eorum neceſſariam ſalubremq; memoriam feſtiuitas concelebrata cuſtodiat.

Ita Hierony. etiam in cap. 4. ad Galat. cauſam inſtitutionis & obſeruationis feſtorum explicat: Dicat aliquis, ſi dies obſeruare non licet, nos quoq; ſimile crimen incurrimus, quartam ſabbati obſeruantes, & Paraſceuen, & diem Dominicam, & ieiunium quadrageſimæ, & Paſchæ feſtiuitatem, & Pentecoſtes lętitiam, & pro varietate regionum, diuerſa in honore Martyrum tempora conſtituta. Ad quod, qui ſimpliciter reſpondebit, dicet: Non eoſdem Iudaicæ obſeruationis dies eſſe quos noſtros. *Hieronymus de cauſis feſtorum.* Nos enim non azymorum Paſcha celebramus, ſed reſurrectionis & crucis. Nec ſeptem iuxta morem Iſrael numeramus hebdomadas in Pentecoſte, ſed Spiritus ſancti veneramur aduentum. Et ne inordinata populi congregatio fidẽ minueret in Chriſtum, propterea dies aliquot conſtituti ſunt, vt in vnum pariter veniremus. Non quo celebrior ſit illa dies qua conuenimus, ſed quo quacunq; die conueniendum ſit, ex conſpectu mutuo lætitia maior oriatur.

Qui vero oppoſitæ quæſtioni acutius reſpondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales eſſe, nec per Paraſceuen tantum Chriſti crucifigi, & die Dominica reſurgere, ſed ſemper ſanctum reſurrectionis eſſe diem, & ſemper cum carne veſci Dominica. Ieiunia autem & congregationes, inter dies, propter eos à viris prudentibus conſtitutas, qui magis ſeculo vacant, quam Deo, nec poſſunt, imo nolunt, toto in Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſq; eſt, qui ſaltem hæc pauca, quæ ſtatuta ſunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi, ſemper exercet, &c. Hanc Hieronymi ſententiam Iſidorus & Rabanus ita deſcribunt, *Rabanus.* omnes feſtiuitates, pro varietate regionum, ideo à viris prudentibus inſtitutæ ſunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret in Chriſto, &c. Propterea ergo dies aliqui conſtituti ſunt, vt in vnũ omnes pariter conuenirent, vt è conſpectu mutuo, & fides creſcat, & lætitia maior oriatur: ita illi. *Baſilius.* Baſilius Sermone in aliquot Scripturæ loca: Hac de cauſa patres noſtri has fidelium congregationes in templis ſtatuerunt, vt quæ ſingulis diebus diſcere nõ valemus, ea in communi ſolennitate conuenientes accipiamus.

*Paulinus.* Paulinus Nolanus illam ſententiam carmine non inuenuſto reddidit.

*Primus enim gradus eſt cœlo pertexere cunctos*
*Continua pietate dies, & tempore toto,*
*Paſcha ſacrum Chriſti cultu celebrare pudico.*
*Quod ſi mixta ſeges tribulis mihi germinet, & cor*
*Incultum ſtimulet terreni ſuua laboris,*
*Vel feſtis Domino ſtudeam me offerre diebus,*
*Vt vel parte mei tangam confinia vitæ,*
*Corpore ne toto trahar in conſortia mortis.*

Item:

*Ergo velut cœlum ſtellis, & floribus arua,*
*Annos temporibus Dominus: Sic ipſe diebus*
*Tempora diſtinxit feſtis, vt pigra diurnis*
*Ingenia obſequiis, ſaltem diſcrimine facto,*
*Poſt interuallum reduci ſolemnia voto,*
*Sancta libenter agant reſidesq; per annua mentes.*

*Natalis Chriſti.*

Quinto, Anniuerſarium diem Natalis Chriſti celebratum fuiſſe apud vetuſtiſſimos non legitur, ſed in orationibus Baſilij, Nazianzeni, & Chryſoſtomi. Et Baſilius feſtum illud nominat θεοφανίαν, Nazianzenus γενέθλια, qui etiam peculiarem habuit orationem, In ſancta Epiphaniorum lumina. Epiphaniorum vero appellationē veteres attribuerunt ſimul, & diei natiuitatis Chriſti, & Baptiſmi ipſius. Et in Ægypto vtriuſq; ſolennitas vno die celebrata fuit, ſicut & Epiphanius vnum & eundem diem tribuit natiuitati, & baptiſmo Chriſti. In Occidentis vero Eccleſiis diſtinctæ fuerunt feſtiuitates. Chryſoſtomus oratione de Philogonio, Natalem Chriſti vocat omnium feſtorū metropolim: Niſi enim ſecundum carnem natus fuiſſet, nec baptiſatus, nec mortuus, nec reſuſcitatus eſſet. Huius feſti mentio fit apud Nicephorum, lib. 7. Maximinus in ipſo natalis Dominici die, Nicomediæ Chriſtianos in ipſo templo cōcremauit. Et apud Sozomenum, lib. 8. capite octauo, Imperator in die natali Chriſti non vult cum Chryſoſtomo communicare.

*Epiphania.*

*Martyrum feſta.*

Sexto, inter veteris Eccleſiæ feſta numerat Hieronymus ad Gal. 4. pro varietate regionum, diuerſa in honorem Martyrum conſtituta tempora. Dies enim paſſionis ipſorū, cum per mortem in Chriſto ad veram ęternam ſcilicet vitam, vere renaſceretur, γενέθλια, natalitia ipſorum, & vocarunt & celebrarunt. Sicut apud Euſebium lib. 4. cap. 14. Eccleſia Smyrnenſis ſcribit, ſe diem Martyrij Polycarpi, tanquam natalitium, cum gaudio & exultatione coacto cœtu Eccleſiaſtico, celebraturam. Et rationem celebrationis addit hanc ad memoriam præcedentium, & ad excitationem & præparationem ſequentiū, ſicut in loco de inuocatione ſanctorū, illa de Polycarpo hiſtoria prolixe explicata eſt. In hunc vſum Cyprianus curauit annotari dies exitus Martyrum, Ita apud Auguſtinum in Ioannem, Tracta. 27. mentio fit feſti Laurentij & Sixti. Tracta. 120. Stephani in Pſal. 127. Felicis Martyris. Apud Ambroſium in Pſal. 118. Sebaſtiani. Inde Panegyricæ orationes in anniuerſariis diebus Martyrum, apud Baſilium, Nazianzenum & Chryſoſtomū. Et veram rationem celebrationis illorum feſtorum Baſilius cap. 40. in Aſceticis recte explicat: Non decet Chriſtianos in Martyrum memoriis ob aliam cauſam comparere, quam vt precentur, & ex commonefactione conſtantiæ Martyrum ad huiuſmodi zeli imitationem incitentur. Idem in Pſalmo 114. Iam inde à media nocte, cum ad hoc Martyrum templum veneritis, ipſorum Martyrum Deum, & per Hymnos, vſque ad meridiem placare non deſiſtetis. In hanc ſententiam extant multæ pię collectæ, in feſtis Sanctorum olim vſurpatæ. Vt: Concede, vt quorum gaudemus virtutibus, accendamur exemplis: Vt, quorum natalitia colimus, etiam actiones imitemur, & de eorum in æterna beatitudine ſocietate gaudeamus. Item: vt fidem eorum lingua loquamur, & moribus fateamur: vtq; tantæ fidei proficiamus exemplo. Da nobis, vt qui hodie Pauli conuerſionem celebramus, per eius ad te exempla gradiamur. Quorum ſolennia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Da Eccleſiæ tuæ, Petri & Pauli in omnibus ſequi doctrinam, per quos religionis ſumpſit exordium. Da nobis vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Da Eccleſiæ tuæ & amare, quod Apoſtoli crediderunt, & prædicare quod docuerunt. Tribue nobis, ex eius imitatione, pro amore tuo proſpera mūdi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Præſta, vt quorum diem paſſionis annua deuotione recolimus, etiam fidei conſtantiam ſubſequamur. Concede, vt cuius memoriam celebramus in terris, eius beata conſortia feliciter cōſequamur in cœlis.

*Baſilius.*

*Veteres collectæ.*

Sed in loco de inuocatione & reliquiis ſanctorum, plures huius generis ſentētias ex patribus annotauimus, vbi etiam oſtendimus, quomodo celebrationes illæ Martyrum, ſenſim cœperint ad ſuperſtitiones inclinare.

*Martyrum feſta non vniuerſalia.*

Obſeruandum autem eſt in illa Hieronymi ad Galatas ſententia, quod omnia feſta Martyrum, non vbiq; in omnibus Eccleſiis celebrata fuerint, ſed pro varietate regionum in illis Eccleſiis, vbi & Martyria perpeſſi & tumulati erāt, ſicut ex panegyricis veterum conſtat.

*Feſta primitiuæ Eccleſiæ quæ?*

Primitiuæ igitur & veteris Eccleſiæ feſta, per annos quadringentos, hęc fuerunt: Primo, Dies Dominica. Secundo, Feſtum paſſionis Chriſti. Tertio, Reſurrectionis. Quarto, Aſcenſionis. Quinto, Pentecoſtes. Sexto, Natiuitatis & baptiſmi Chriſti. Septimo, pro varietate regionū eorum Martyrum, qui in illis locis vel paſſi vel tumulati erant, memoriæ. Et illa pauca feſta, quā ſimpliciter & pure fuerint in veteri Eccleſia celebrata, oſtendimus. Scio autem in ſermonibus apocryphis & ἀδήλοις, alia etiam feſta illis temporibus tribui, ſed nos de genuinis & certis veterum Scriptis loquimur.

*Feſtū dedicationis quādo.*

Poſt hæc vero tempora, magis magiſq; cœperunt feſta cumulari. Vt cum Conſtantinus apud Euſebium lib. 4. diem ſolennem, ad dedicationem templi à ſe extructi conſtituiſſet, & pace Eccleſiis reddita, vbiq; templa magnifice extructa dedicarentur: Secuta inde poſtea fuerunt oppidatim, & vicatim, annua feſta dedicationis cuiuſq; templi. Et Martyrum feſta, ex ſuis prouinciis, per translationes reliquiarum, per vniuerſum orbem ſpargi cœperūt. In Græca Eccleſia Iuſtinianus Feſtū τῆς ὑπαπαντῆς, quando puer Ieſus in templo à Simone exceptus fuit, præcepit toto terrarum orbe celebrari. Mauricius Imperator ἔξοδον κόρης, dormitionem Mariæ 15. Auguſti celebrari iuſſit, apud Nicephorum lib. 17. cap. 28.

*Feſtum purificationis.*

*Dormitionis Mariæ.*

Concilium Moguntiacū ſub Carolo Magno, circa

*Quæ feſta tẽpore Caroli Magni.*

circa annum Domini 800. Canone 36. numerat hęc feſta: Paſchatis, Aſcenſionis, Pẽtecoſtes, Natalem Petri & Pauli, Natiuitatem Ioãnis Baptiſtæ, Aſſumptionem Mariæ, Dedicationem Michaelis, Natiuitatem S. Remigij, Martini, Andreæ, Natalem Domini, Octauas natiuitatis, Epiphaniam Domini, Purificationem Mariæ. Et illas feſtiuitates Martyrũ & Confeſſorum, quorum in vnaquaque parochia ſancta corpora requieſcunt. Similiter etiam Dedicationem tẽpli. Hæc ſunt verba Canonis. Sed in libris Caroli Magni, vbi hæc conſtitutio repetitur, additũ eſt, De Aſſumptione Mariæ interrogandum relinquimus. quod diligenter notetur.

*Nota de feſto aſſumptionis.*

Poſtea in Lugdunenſi Concilio, circa annum Domini 1240. ſub Innocentio Quarto ſtatutum fuit, qui dies per annum eſſent feriandi, ſcilicet, Natalis Domini, S. Stephani, Ioannis Euangeliſtæ, Innocentij, Syluestri, & octaua Domini, & Theophania, Purificatio Mariæ, Paſcha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Aſcenſio Domini, ſancti dies Pentecoſtes, Ioannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, Laurentij, Aſſumptio Mariæ, Natiuitatis Mariæ, Eccleſiæ dedicatio, ſancti Michaelis, omuium Sanctorũ, & ſancti Martini. Reliquæ vero feſtiuitates (inquit Canon) non ſunt cogendæ ad feriandum nec prohibendæ.

*Nouem feſta in Lugdunẽſi Concilio.*

Gregorius Nonus circa annum Domini 1230. cap. conqueſtus, de feriis eundem habet feſtorũ Catalogum, niſi quod addit Annunciationem Mariæ, & omittit feſtum Rogationum, Martini & dedicationis cuiuſque Oratorij.

*In decretalibus.*

Nec vero hoc numero feſtorum cõtenti fuerunt, ſed de conſecrat. diſtinct. 3. additur feſtum inuentionis Crucis. In Clementinis additur feſtum corporis Chriſti, lib. 6. de reliquiis & venerat. adduntur feſta quatuor Doctorum Eccleſię. Canoniſtæ addunt feſta Euangeliſtarum, Marci & Lucæ. Vrbanus ſextus inſtituit feſtum viſitationis Mariæ, quod Antoninus dicit, nunquam receptum vel cuſtoditum fuiſſe. Paulus Secũdus inſtituit feſtum præſentationis Mariæ. Sixtus Quartus addidit feſtum conceptionis Mariæ. Alij addiderunt Antonij, Nicolai, Catharinę feſta. Et præterea Epiſcopi in ſingulis diœceſibus ſua peculiaria habuerunt feſta, cap. pronunciandum & conqueſtus.

*Feſtum inuentionis crucis.*
*Corporis Chriſti.*
*IIII. Doctorum.*
*Euangeliſtarum.*
*Viſitationis.*
*Præſentationis.*
*Conceptionis Mariæ.*

Hæc nuda commemoratione tantum annotare volui, vt collatio inter feſta primitiuæ Eccleſiæ, & ea, quæ poſteris temporibus acceſſerunt, eo planior ſit.

*DE SVPERSTITIONIBVS, QVAE in feſtiuitates irrepſerunt: & quomodo in noſtris Eccleſiis feſta religioſe obſeruentur.*

Hiſce breuiter ex Scriptura & ex primitiua Eccleſiæ hiſtoria expoſitis, facilis & plana iam erit ratio de diebus feſtis, & eorum celebratione. Licet enim pars ſit libertatis Chriſtianæ, quod conſcientiæ nec ſint alligatæ, nec debeant alligari ad certorum vel dierũ vel temporum obſeruationes, opinione neceſſitatis, in nouo Teſtamento: Quia tamen volũtas Dei eſt, ſicut ſupra oſtendimus, vt Eccleſia in ſingulis locis, aliquando ad auditum verbi, ad vſum Sacramentorũ, ad publicas preces, ad gratiarũ actiones, atq; ad alia cõmunia pietatis exercitia cõueniat: Et Paulus vult, vt in Eccleſiaſticis conuentibus omnia fiant ordine & cum decoro, 1. Corinth. 14. Ad euitandas igitur confuſiones, & inordinatos cõcurſus, & ne ab Eccleſiaſticis congreſſibus homines prorſus abducerentur, ſed ad illos magis inuitarentur & excitarentur, certus olim in ſeptimana dies, ex Chriſtiana libertate, ordinis gratia, ad ſolennes Eccleſiæ cõuentus in Apoſtolica Eccleſia conſtitutus fuit. Et licet ad illum diem Eccleſiaſtici conuentus, nulla neceſſitate vel legis vel pręcepti, in nouo Teſtamento alligati ſint, Barbarica tamen petulantia eſſet, ſine cauſa, cum quidem conſcientiis Chriſtiana libertas relinquatur, ordinis & concordię gratia, nolle morẽ illum Apoſtolicæ & primitiuæ Eccleſiæ obſeruare, maxime cum ad ædificationem Eccleſiæ faciat & vſurpari poſſit. Celebrãtur ſane apud nos ſingulis diebus quotidiani ſacri conuentus: ſicut & antiquitus factitatum fuiſſe, Origenes hom. 2. in Numeros indicat, cũ inquit, Vnam aut duas horas ex integro die deputet Deo, & ad orationem veniat in Eccleſiam, & vel in trãſitu verbum Dei audiat. Et Chryſoſt. 1. Tim. 2. Sicut fideles norunt, quomodo diebus ſingulis mane & veſperi orationes funduntur ad Dominum. Sed quia non ille iam eſt feruor religionis in hominibus, vt quotidie frequentes ad verbum, Sacramenta & orationes conueniant, ſicut in Actis Apoſtolorum, & aliquando in primitiua Eccleſia factum fuit: Exhortationib. quidem excitandi ſunt, vt ſit ſabbatum ex ſabbato. Sed quia alij neceſſitate quęrendi victus, alij vocationis laboribus impediuntur, pleroſq; vero pigritia, ſecuritas, iniuria & neglectus religionis abſtinet: Vtile igitur eſt ad commonefactionem & ædificationem vnũ aliquem in ſeptimana diẽ, ita religione conſecrare, vt in eo aliud nihil operis fiat, vel negocij ſuſcipiatur, quã vt in ſacrum cœtum, ad auditum verbi, ad perceptionem Sacramentorum, ad publicas preces, ad confeſſionem fidei, ad gratiarum actiones, ad collationẽ Eleemoſynarum, & alia pietatis exercitia cõueniatur. Ideo enim tunc à reliquis operibus & negotiis, impediẽtibus publicum miniſterium, ceſſamus, ne exercitia illa aliquo vel obſtaculo vel auocamento, turbẽtur, interrumpantur aut impediantur. Vtq; ſuo quiſq; exemplo alios etiam, ad publici miniſterij reuerentiam, inuitet.

*Certus dies ad cõuentus.*

*Quotidiani conuentus.*

*Per integrũ diem.*

Et quia eodem conſilio, in veteri Eccleſia ſicut oſtendimus, de peculiaribus diuinis noui Teſtamenti beneficiis, & de præcipuis Chriſtianæ fidei capitibus, feſta quędam liberè obſeruanda, in primitiua Eccleſia inſtituta ſunt, quę ad commonefactionem rudiorum, inſtitutionem & ædificationem Eccleſiæ, pie vſurpari poſſunt, vt præcipua capita doctrinæ cœleſtis, per annum, ordine, monſtrato vſu, poſſent proponi, & præcipua beneficia Dei ad memoriã reuocari, vt pro illis in magna Eccleſia publica & ſolẽni gratiarũ actione, Deus celebretur, vtq; rudiores ad cõſiderationem & celebrationem talium beneficiorum Dei, doctrina, commonefactionibus & exemplis, inſtitui & excitari poſſint: Pia ſane modeſtia & modeſta pietas, ſalua conſcientię libertate ordinis & concordiæ gratia, ad ædificationem talia feſta nõ grauatim, eo ſicut dictum eſt,

*Alia feſta.*

modo,

modo, obſeruabit. Neq; enim probari poteſt petulans illa quorundam confuſio, ſicut à viro quodam pio & graui me audire nemini, qui magna animi offenſione alicubi audierat die paſſionis quendam interpretantem hiſtoriam de nuptiis in Cana Galileę, in die reſurrectionis hiſtoriam Natiuitatis, in die Aſcenſionis hiſtoriam paſſionis. Non quod peccatum ſit illis diebus de hiſce hiſtoriis vel loqui, vel cogitare, ſed quia in Eccleſia omnia debent ordine fieri, & ad rudiorum ædificationem.

*Quomodo feſta celebrentur.*

Quaſcunq; igitur pias ferias, ordinis & concordię gratia, ad ędificationem, quibusq; Eccleſiis obſeruare iudicatum fuerit, liberum hoc eſt, modo ſumma diligentia aduigiletur, vt nō tantum labores externi intermittantur, ſed multo magis, vt opera carnis euitentur, vtq; feriæ illæ Domino vere & ſolide ſanctificentur, illis quæ ſæpius iam expoſita ſunt exercitiis, ſicut Iſaias inquit 58. Ita ſanctificatur ſabbatum, & glorificatur Dominus, ſi à ſabbato auerteris pedes, ne facias vias tuas, nec inuenias voluntatem tuam nec loquaris verbum tuum in die ſancto, ſed Dei opus opereris, Ioan. 6.

*Abuſus & ſuperſtitiones in feſtis.*

Si itaq; mens & ſententia Tridentini decreti hæc eſſet: Liberam dierum feſtorū obſeruationem, ea deuotione & religione celebrandam, vt ad pietatem inflammandam & augendam ſeruiret, nemo eſſet qui contradiceret. Quia vero abuſus & ſuperſtitioſę opiniones de feſtis illa generalitate videntur vel diſſimulari vel approbari, neceſſario addenda eſt declaratio. Vt enim feſtorum celebratio ſit deuota & religioſa, & ad pietatem augendam faciat, neceſſe eſt, vt abuſus & ſuperſtitiones taxentur & abiiciantur, atq; ita ſalutaris feſtorum vſus reſtituatur.

Breuiter autem capita tantum præcipuarum ſuperſtitionum annotabimus.

*An dies feſti per ſe ſanctiores.*

Primo itaque ſuperſtitioſa eſt multorum opinio, quaſi Dominicæ diei & reliquis diebus feſtis per ſe peculiaris quædam inſit ſanctitas, propter quam gratia Dei tunc maior ſit, & hominibus magis obuia, quam aliis temporibus: opera etiam, quæ illis diebus fiunt, meliora & ſanctiora ſint, quam ſi aliis temporibus fierent, ſicut Iudæi fingunt, diabolum diebus ſabbati propter eius ſanctitatem fugere, & Magi etiam ſuperſtitioſa opinione ſanctitatis dierum feſtorū ad ſuas incantationes abutuntur. Sed paulo ante verbis Hieronymi oſtendimus, dies omnes per ſe eſſe æquales, nec alium ſanctiorem.

*Opus operatū in feſtis.*

Secundo in multorum animis hæret opinio operis operati, quaſi per ſe cultus Dei ſit, feſtis diebus vel à laboribus ceſſare, vel templa viſitare, etiamſi illa nō referantur ad vera pietatis exercitia. Quæ ſuperſtitio in Iudæorum ſabbatis & feſtis, acriter taxata fuit in vetere & nouo Teſtamento. Sanctificatio enim finis eſt ſabbati, & propter illum finem addita eſt ſabbato vacatio ab aliis operibus impedientibus aut turbantib. illam ſanctificationem.

*Merita feſtorum.*

Tertio, huic cognata eſt illa ſuperſtitio, qua Pontificij feriis peculiaria attribuūt merita, ſicut canunt, vt per hæc feſta æterna gaudia adipiſcantur.

*Pietas non in feſtis tantum exercenda.*

Quarto taxanda eſt & illa perſuaſio, quaſi ſatis ſit, vel Dominico tantum die, vel in aliis tantum feſtis, verbum audire, orare, beneficia Dei cogitare, gratias agere, & pietatem exercere, cum feſta ſint commonefactiones, quid per totam vitam fieri debeat, ſicut inquit Chryſoſtomus, Homil. 40. in Matth. Quid ſabbato illi opus eſt, qui per totam vitā ſuam agit ſolennitatem, cœleſti viuens diſciplina, peccata fugiens, virtutes colens? Solenniter igitur viuamus continue, nam tunc ſolum veram ſolēnitatem peragimus, cum ſpiritualis vitæ continue cultum augemus, Ibidem in 1. Corint. 11. vigilemus cum Domino, compungamur cum diſcipulis, oremus, ſemper id quidem, ſed in diebus ſolēnibus potiſſimum. Namq; ſolennitates & feſta ideo inſtituta ſunt, non vt turpitudini ſeruiamus, nec vt delicta cumulemus, ſed vt illa prorſus abiiciamus.

Ita Origenes Homilia in Leuiticum nona, obiurgat eos, qui feſtis tātum diebus ad Eccleſiam concurrebant.

*Feriis deleri peccata.*

Quinto, pernicioſior vero eſt illa perſuaſio, quod quidam fingūt, feriis deleri peccata, etiam ſi nulla agatur pœnitentia, vel celebratis feſtis libere & impune poſſe quiduis deſignari.

*Quæ opera diebus feſtis prohibita.*

Sexto, pars quædam eſt Iudaici fermenti, nimis ſcrupuloſe diebus feſtis prohibere operas externas, quę vel quando etiam non impediunt publicum miniſterium, & exercitia ſanctificationis ſabbati. A tali ſcrupuloſa enim Moſaica obſeruatione nouum Teſtamentum nos liberauit. Ab illis vero externis operibus recte & merito ceſſare iubemur, quibus ea, quę ad ſanctificationem ſabbati pertinent, impediuntur vel turbātur. Illi vero ſabbatū præcipue violant, qui ocio ſeu feriis abutuntur ad voluptates, leuitates, crapulam, ebrietatem, & quæuis alia flagitia, vnde fit vt nullis ferme diebus Deus grauius offendatur, quam illis ipſis qui Dei cultui peculiariter ſunt mancipati. Chriſtiani igitur Imperatores, Codice de feriis, pie & recte ita ſanciuerūt: Dies feſtos maieſtati Altiſſimi dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionū vexationibus prophanari. Dominicum itaq; diē ſemper honorabilem ita decernimus, & venerandum, vt à cunctis executionibus excuſetur, nulla quenquam vrgeat admonitio, nulla fideiuſſionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio deliteſcat, ſit idē dies à cogitationib. alienus, pręconis horrida vox ſileſcat, &c. Et paulo poſt: Nec tamen huius religioſæ diei ocia relaxantes, obſcœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi vēdicet ſcena theatralis, vel Circenſe certamen, aut ferarū lachrymoſa ſpectacula, etiamſi in noſtrum natalem celebranda ſolennitas inciderit, differatur. Amiſſionem militiæ, proſcriptionem patrimonij ſuſtinebit, ſi quis vnquam die feſto ſpectaculis intereſſe, vel cuiuſcunq; iudicis apparitor, prætextu negocij publici ſeu priuati, hæc quæ lege hac ſtatuta ſunt, crediderit remoranda, &c.

*Imperatorum lex de feriis.*

*Commeſſationes in feſtis.*

Et commeſſationes diebus feſtis acriter reprehenduntur ab Auguſtino, ſicut ſententia ipſius citatur, diſtinct. 44.

*Opera neceſſitatis & pietatis.*

Labores vero neceſſitatis & pietatis in feſtis non eſſe prohibitos, ipſum ius Pontificium concedit, titulo de Feriis. Et Proſper in carmine recte dicit:

*Non recte ſeruat legalia ſabbata cultu,*
*Qui pietatis opus credit in his vetitum.*

Non

*Non corrumpuntur virtutibus ocia ſancta,*
*Tantum à peccatis libera corda vacent.*

*Quando inchoāda feriæ.*

Septimo eſt & hæc pars quædam Iudaici fermenti, quod ſcrupuloſe diſputant ocium ſeu ferias feſtorum inchoari debere à veſpera præcedentis diei, & ſeruari vſque ad veſperam diei ſequentis. Et quærunt, quomodo excuſentur barbitonſores, qui veſperi profeſti poſt occaſum ſolis, ſæpius per aliquot horas laborant. Illæ certe circumſtantiæ non habent mandatum aut determinationem in nouo Teſtamento, cuius hoc tantum genus eſt, vt ab iis, quæ publicum miniſterium, & ipſam ſanctificationem impediunt, abſtineamus. Ita Paulus Acto.18. cum apud Corinthios nondum prima ſabbati celebrarentur cõuentus Eccleſiaſtici, ſabbato docebat, reliquis vero diebus (atq; ita etiam prima ſabbati ſeu die Dominica) operabatur. Et Act.19. Cum prima ſabbati conueniſſent ad frangendũ panem, vſq; ad mediam noctem extracta fuit concio. *Vigilia in feſtis.* In veteri Eccleſia, in vigiliis præcedentis diei, aliquãdo vſque ad mediam noctem perſeuerabant, ſicut ſcribit Hieronymus in capit.25. Matthæi. Aliquando media nocte conueniebant, & vſque ad meridiem ſimul manebant. Baſilius in Pſalm. 114. Aliquando, vt tempore perſecutionis cœtus antelucanos celebrabant, quos orto die ſoluebant, ſicut Plinij Epiſtola indicat. Et Tertullianus meminit nocturnarum conuocationum, libro 2. ad vxorem. Et antelucanis etiam cœtibus datum fuiſſe Euchariſtię ſacramentum, tradit in lib. De corona militis. Et Rabanus ſcribit: In nocte natiuitatis, ea hora, qua natus creditur Chriſtus, credentes communicaſſe. Illis ritibus pleriſq; collapſis, & vigiliis antiquis in pridiana ieiunia conuerſis, poſtea legem fecerunt de feſtis à veſpera ad veſperam ocio feri ndis ex opere operato. De conſecrat.3. cap. Pronunciandum. Et de feriis, cap. Omnes. *Quæ ſint in feſtis apud Pontificios præcipua.* Octauo Pontificij celebrationem feſtorum in eo potiſſimum conſtituunt (De conſecrat. diſt.1.) vt audiat quis Miſſam integram, & ſacerdoti ſtipem offerat ad altare. De auditu verbi, de vſu Sacramentorum, de publicis ſeu communibus precibus & gratiarum actionibus, cũ lingua populo ignota Miſſa celebretur, deq; Eleemoſynis pro pauperibus, non adeo ſunt ſoliciti. Quam horrenda vero ſit opinio de ſacrificio propitiatorio in actione Miſſæ, in ſecunda parte de Miſſa oſtendimus.

*Neceſſitas feſtorum.*

Nono, feſtorum obſeruationem non relinquunt pro ędificatione liberam, ſed addunt opinionem neceſſitatis, ſub obediẽtia debita & ſub pœna excommunicationis, ita, vt mortaliſſime (ſicut Bernhardinus loquitur) dicant peccare eos, qui feſta quædam non ſeruant.

*Multitudo feſtorum.*

Decimo, vetus eſt querela de nimis magna feſtorum multitudine, non quod exercitia pietatis frequentiora damnentur, ſed quia vulgus, q̃ per labores plerunq; à multis vitiis arcetur, ex feriis nimium frequentibus occaſionem arripit ad compotationes, & alia multiplicia vitia. Sicut Polydorus Virgilius cõqueritur, multitudinem feriarum laſciuæ & petulanti iuuentuti prębere occaſionem ad qualuis morum corruptelas, & addit, de Chriſtianorum feſtis, in tanta vitæ diſſolutione, recte iam poſſe dici, *Tertullianus* quod Tertullianus de gentilium ſolennibus ſacris olim dixit: Grande ſcilicet officium, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu obolefacere, certatim curſitare ad iniurias, impudentias, ad libidinis illecebras, quaſi publicum gaudium, per publicum exprimendum eſſet dedecus. Hæccine ſolennes dies decent, quæ alios dies non decent? Num malorum licentia pietas erit, & occaſio luxuriæ religio deputabitur, &c. Cum itaq; multitudo feſtorum non amplius iam ita ad ædificationem faciat, ſicut in veteri Eccleſia, recte faciunt qui ſuadent, vel multitudinem illam minuẽdam vel diebus illis hiſtorias Biblicas de feſtis populo proponẽdas, poſt preces dimittendum eſſe populum ad labores.

*Feſta de apocryphis.*

Vndecimo, multa inſtituta ſunt feſta, de quibus nullæ in Scripturis hiſtoriæ extant. Imo de apocryphis dubiis, incertis, atq; adeo commentitiis & falſis narrationibus inſtituta ſunt feſta, vt ſunt pleraq; de ſanctis Legendæ. Item, de feſto Natiuitatis, præſentationis, aſſumptionis, & conceptionis Mariæ. Illę enim Legendæ, diſt.15. à Gelaſio inter Apocrypha abiiciuntur. Poſtea vero apocryphas fabulas, ſicut Auguſtinus loquitur, per feſta quaſi canonizare voluerunt. Et ad confirmationẽ nouitij & falſi dogmatis, quaſi Maria ſine peccato originali cõcepta eſſet, quod in prima parte refutauimus, feſtum cõceptionis Mariæ inſtituerunt, quod Antoninus dicit, non eſſe feſtum ninis.

*Feſta ob patrocinia Sanctorum.*

Duodecimo vſitata fuit ſuperſtitio, pro qua ſtabilienda & retinenda, adhuc præcipue dimicant Pontificij, ideo celebranda ſanctorũ & pręcipue Mariæ virginis feſta, vt illo opere mereamur ſanctorum patrocinia & auxilia, ſicut Roſarium inquit: Sancti magis patrocinantur, & opitulantur iis, qui feſta ipſorum celebrant. Item, ſancti merita ſua communicant illis, qui ipſos feſtiuitatibus honorant. Et quomodo Ethnica prorſus cõſuetudine illud factum fuerit in Pontificia Eccleſia, ſupra in loco de inuocatione ſanctorum ex publicis ipſorum Hymnis, ſequentibus & collectis, annotauimus, & quam horrenda ſit idolomania oſtendimus.

*In feſtis conſecrationes luminarium, herbarũ, &c. Ludicræ ceremoniæ.*

Poſtremo ex Agendis Pontificiis notum eſt, quas ſuperſtitioſas conſecrationes luminarium, herbarum & aliarum creaturarum, exerceant in feſtis Purificationis & Aſſumptionis. Item, in vigilia Paſchæ. Et quam ludicris vtantur ceremoniis in feſto Palmarum, Paſſionis & Aſcenſionis. Quomodo etiam veteres ritus, lectiones & cõciones de publica pœnitentia, d baptiſmo adultorum, rebus ipſis dudum abolitis, ſine vero ac veteri vſu, pro forma, quod dicitur, retineant, & quaſi pro ludibrio habeant, in die cinerum, per Quadrageſimam, & feſtum Paſchatis, manifeſtum eſt.

*Quæ feſta, & quomodo in noſtra Eccleſia celebrentur.*

Abiectis vero ſuperſtitionibus vera & vtilia veteris Eccleſiæ feſta, ad conuentus Eccleſiaſticos, ea deuotione & religione apud nos celebrãtur, vt non dubium ſit, Dei benedictione pietatẽ inde inflammari & augeri, cum quidem populus doceatur, Spiritum ſanctum per miniſteriũ verbi & ſacramentorũ velle efficacẽ eſſe, & Chriſtum velle medium intereſſe illis, qui in nomine ipſius congregantur, Matth.18. Vt enim de hac Brunſuicenſi Eccleſia iam potiſſimum dicam: *Exercitia pietatis in Scholis.* In ſcholis quotidiana pietatis exercitia ita inſtituta ſunt, vt conuenientibus pueris ſemper prælegatur

tur caput aliquod, ſiue ex veteri ſiue ex nouo Teſtamēto, addita ſummaria eius explicatione. Deinde ſingulis horis pij aliquot Hymni decantātur. Præterea ſingulis diebus certa hora ſcholaſtici ad templum accedunt recitantes publice caput aliquod vel ex Scriptura, vel ex Catecheſi, additis piis Pſalmorum, Reſponſoriorū, Hymnorum, Canticis & collectarum precationibus.

*Quotidiani Eccleſiæ conuentus.*

Populus vero ſingulis diebus bis, certa hora mane & veſperi conuenit, & poſt decantatos aliquot Pſalmos, concio habetur, diſtributis ordine lectionibus, partim ex veteri, partim ex nouo Teſtamento. Et concio ſemper concluditur precibus cōmunibus, & Hymno aliquo gratiarum actionis. Præterea ſingulis ſeptimanis, certo aliquo die, populus frequentior conuenit ad publicas & ſolennes ſupplicationes, quę Litanię vocantur.

*Dominicæ diei exercitia.*

Dominicis autem diebus magna ſolennitate, frequentia populi, ad decantandas laudes Dei, ad auditum & meditationem verbi, ad vſum Sacramentorū, ad publicas preces, & collationem eleemoſynarum, & alia pietatis exercitia cōuenit. Et ordo temporis ac lectionū, ab hora quinta matutina, vſq; ad horam quartā veſpertinam, ita diſtributus eſt, vt pro ratione Oeconomię ſinguli ex familia certis conuentib. intereſſe, & pro ſuo quiſq; captu aliquid audire & diſcere poſſit.

*Alia feſta.*

Præterea de præcipuis beneficiis Chriſti, & de principalibus doctrinę cœleſtis capitib. ſolennia feſta, magna deuotione & religione celebrātur, explicatione doctrinæ & publica celebratione beneficiorum Dei.

*Natiuitatis.*

Ita feſtum Natiuitatis Chriſti religioſe celebratur, vtq; tota de hoc articulo doctrina ordine proponi & explicari poſſit, triduū huic feſto, ſicut & quibuſdā aliis, tribuitur.

*Circumciſionis.*

Die circūciſionis explicatur doctrina, quomodo Chriſtus factus ſit ſub lege, & tractatur locus de libertate Chriſtiana, & adduntur commonefactiones de auſpiciis noui anni.

*Epiphaniorū.*

Epiphaniorum die tractatur doctrina & gratiarum actio de vocatione gentium.

*Purificationis.*

In feſto purificationis exponitur doctrina, quomodo Chriſtus ſit primogenitus inter multos fratres, traduntur commonefactiones vtiles pro puerperis, & dulciſſimum Simeonis canticū explicatur. In hoc vero feſto, ſicut & in aliis, abuſus & ſuperſtitiones à Pontificiis inuectæ, taxantur & refutantur.

*Baptiſmi Chriſti.*

Diebus Bacchanaliorum hiſtoria Baptiſmi Chriſti proponitur, vt moneātur homines ſuę profeſſionis, ne ethnicorum furores illis diebus imitentur.

*Annunciationis.*

Feſtum Annunciationis Mariæ, propter articulum de conceptione Chriſti ſeruamus.

*Cœnæ Domini.*

Memoriam inſtitutionis Euchariſtiæ celebramus die cœnæ.

*Paſsionis. Reſurrectionis. Aſcenſionis. Pentecoſtes. Trinitatis. Baptiſtæ. Viſitationis. Michaelis.*

Paſſionis Dominicæ ſolennem meditationem, die Paraſceues celebramus. Eadem ratione feſtum reſurrectionis Chriſti, Aſcēſionis, miſſionis ſpiritus Sancti, & Trinitatis, ſolenniter celebramus. Ioannis Baptiſtę & viſitationis Mariæ feſtum, propter hiſtorias complectentes vtiliſſimas doctrinas, retinemus. Die Michaelis, fabulæ Pontificię & ſuperſtitiones de dedicatione Michaelis & inuocatione, refutantur. Traditur autem Scripturę doctrina de officiis Angelorū, & publica celebratur gratiarum actio, pro perceptis per totum annum fructibus.

*Apoſtolorum Feſta.*

Apoſtolorū diebus hiſtoriæ de ipſis Biblicæ populo proponuntur, & deinde ad ſuæ quiſq; vocationis labores admittitur. Ita cum ſingulis diebus ordinarij ſint Eccleſię conuentus, per occaſionem de aliis etiam in Calēdario ſignatis feſtis, de quibus verę extant hiſtorię, continentes vtilem aliquam doctrinam, fiunt cōmonefactiones.

*In Quadrageſima.*

Et præter feſtiuas illas ſolēnitates, per tempus Quadrageſimę, doctrina veræ pœnitentiæ, & hiſtoria paſſionis tractari ſolet.

*Catecheſis.*

Præterea ſingulis anni quadrantibus certi aliquot dies ad ſolennem Catecheſeos tractationem conſtituti ſunt.

*Certa lectiones in feſtis.*

Et veteris Eccleſiæ morem in certis lectionibus, feſtiuis diebus tractandis, non pudet imitari, ſicut Auguſtinus inquit, in procœmio Epiſtolæ Ioannis: Meminiſtis Euangeliū Ioannis ex ordine lectionum nos ſolere tractare, ſed quia nunc interpoſita eſt ſolēnitas ſanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Eccleſia recitare, quæ ita ſunt annuæ, vt alię eſſe non poſſint, ordo ille quem ſuſceperamus, neceſſitate paululum intermiſſus eſt, non omiſſus. Idem Tract. 6. in Ioannem dicit: Anniuerſaria ſolennitate, poſt paſſionem Domini, noſtis librū Actuum Apoſtolorū omni anno in Eccleſia recitari. Et tract. 13. dicit: Pſalm. 21. omni anno legi in nouiſſima hebdomada, intento vniuerſo populo.

De vera igitur veterum & vtilium Feſtorum celebratione, non habent quod in noſtris merito reprehendant Pontificij. Vtinam ipſi recte curarent de religioſa & deuota veterū Feſtorum celebratione, ita vt abiectis ſuperſtitioſis opinionibus, ad augendam veram pietatem inſeruire poſſent. Iam vero ex vna fidelia omnia ſua feſta dealbant, tam ea quæ apocryphis fabulis nituntur, quam illa quæ in Scriptura Canonica certas & vtiles habent hiſtorias. Et ſuperſtitioſas opiniones ſub titulo deuotionis occultant. Ideo, vt precioſum à vili, religio à ſuperſtitione, eo facilius & rectius diſcerni poſſet: Apoſtolicæ, primitiuæ & veteris Eccleſiæ de Feſtis ſententiam & obſeruationem oppoſuimus Pontificiorum acceſſoriis ſuperſtitionibus, & oſtendimus, in noſtris Eccleſiis celebrationem feſtorum, ad exemplum Apoſtolicæ & primitiuæ Eccleſiæ, reſtitutam & conformatam eſſe.

## CONCLVSIO.

ET hæc ſunt pręcipua capita, quę de reſiduis Tridentini Cōcilij locis, de Virginitate ſcilicet, de Cœlibatu ſacerdotum, de Purgatorio, de Inuocatione, Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum, de Indulgētiis, de Ieiuniis, & Feriis, annotanda & explicanda viſa fuerūt, quæ explicatio opinione longius excurrit, inde & ideo, quod in ſingulis locis hiſtoriam certaminū, inde vſq; ab Apoſtolorum temporibus ordine contexere volui.

*Hiſtoria certaminum de ſingulis locis.*

Quæ hiſtoricæ obſeruationes, quanquā labore non exiguo mihi conſtiterunt, inter ſcribendum tamen honeſta & pia delectatione ita me detinuerunt, vt exiſtimem, in hoc genere argumenti, explicationes controuerſiarum non poſſe rectius & melius illuſtrari, quam hac ratione, ſi fundamentis confirmationum, refutationum, ex Scriptura extructis, addatur talis hiſtorica annotatio certaminū de ſingulis locis. Tales enim hiſtoricæ obſeruationes recte & ſolide poſſunt opponi Pontificiorū clamoribus de veterum teſtimoniis & ſentētiis, oſtendunt etiam qua fide, & quo candore, veteris Eccleſię authoritatem,

ritatem, ſuis ſuperſtitionibus prætexant Pontificij. Et in prioribus duabus partibus illa ratio nō ita tunc mihi in mentem venit, ſi tamē aliquando editio repetenda & retexenda erit, dabo operam, vt ſingulis locis talis hiſtorica certaminum obſeruatio addatur. Et hæ ipſæ obſeruationes, quas nunc collegimus, facile poſſent ex hiſtoriis latius extendi, in quo, vt eruditiores diligentius & facilius elaborent, oro, ego ſimplici filo præcipua tantum annotare volui. Ex illis etiam, quæ Lindanus & Tiletanus prioribus huius ſcripti partibus oppoſuerunt, conſtitueram quædam addere. Continent enim nō parum multa, quibus hæ controuerſiæ, quo magis agitantur, non infeliciter illuſtrari, & Pōtificiorum ſophiſmata clarius oſtendi poſſunt. Sed quia nimium hæc ſcriptio iam excreuit, fiet illud alio tempore, editio repetenda erit. Quod ſi prolixitas quem offenderit, poterit Lectori vel occupato vel faſtidienti, per Epitomen quandam quam adornari curabo, conſuli. Deum oro, vt hiſce laboribus bono animo & pio ſtudio ſuſceptis, ſua benedictione adeſſe velit, vt aliqua inde vtilitas ad Eccleſiam redeat, Amen.

*Lindanus & Tiletanus.*

## ADDITIO.

IN loco de Indulgentiis, in deſcriptione rituū publicæ pœnitentiæ & abſolutionis, facta fuit mentio inſtituti cuiuſdam in Eccleſia Halberſtadienſi, quod perſonatum Adamum quendam die Cinerum templo eiiciant, & die cœnæ rurſus recipiant & abſoluant. In quo cum veſtigia quædam veteris publicæ pœnitentiæ & abſolutionis, licet in ludicrum ſpectaculum iam transformata, appareant, viſum fuit eius deſcriptionem ad finem adiicere.

*Volaterranus de Adamo Halberſtadienſi.*

Volaterranus igitur in Geographia, vbi de Saxonia agit, ita ſcribit. Apud Saxones in Eccleſia Halberſtadienſi, quotannis inſtitutum conſpicitur inauditum. Die namq; Cinerum, ſacrificio peracto, facinoroſum quēpiam, ſordidatū & operto capite templo eiiciunt. Is die noctuq; diſcalciatus, vrbem, ſacra, templaq; ſalutando, perambulat, tantum poſt mediam noctē in plateis aliquantulum quieſcit. Deinde inuitatus (omnes enim eum inuitant.) quicquid apponitur, taciturnus veſcitur. Demum in die cœnę Dominicæ accerſitur & abſoluitur, pecuniaq; collata cumulatiſ, ac eum Adamum vocant.

Alciatus lib. 9. Parerg. cap. 22. ritum iſtum ita deſcribit:

*Alciatus de Adamo Halberſtadienſi.*

Quæſitum nuper fuit, quænam eſſet publica pœnitentia, cuius frequens in iure Pontificio mentio eſt, & quæ ſolis prophanis conceditur, ſacris viris prohibetur. Reſpondi eam rem ſatis eſſe declaratam in Agatheſi Synodo, licet vbiq; hodie exoleuerit, niſi quod Saxones, vrbe Halberſtadienſi, eius imaginem etiamnum ſeruant: Ibi ſingulis annis ex plebe aliquis eligitur, quē grauioribus noxis inquinatum putant, hunc ferali habitu, & obuoluto capite, cineraſium die in templo ſtatuūt, & peractis ſacris eiiciunt, donec 40. dies, per vrbis compita, vagus & mendicans errauerit, interim diuinas ædes eum ingredi fas nō eſt: qualemq; cibum, ſibi vel ab æditius vel aliunde oblatum non aſpernatur, neminem alloquitur, non indulget ſomno, niſi poſt cōcubinam noctem, idq; in media via. De Iouis, quæ Dominicæ cœnæ dicata eſt, ad templum reducitur, ibi à Sacerdote ſolennibus quibuſdam ceremoniis abſoluitur, & à confluente illuc populo ſtipem accipit. Adamum hunc vocant, & omni crimine expiatum credunt: quem ritum mirabilem Pius Pontifex, inſtitutū inauditum Raphael Volaterranus, appellant: ego olim vulgarem, & ex veterum decretis acceptum ſcio. Sic enim publica pœnitentia peragi ſolebat, videnturq; mihi ſacroſancti illi Patres hac in re veterum Græcorum ſacrificia quadantenus imitati. Siquidem apud interpretē Lycophronis relatum eſt, cum vrbs aliqua peſtilitate aut fame, vel maiore vi atque calamitate affligeretur, conſueuiſſe hominem in ea fœdiſſimum perquiri, quem caſeo cum placenta & caricis allectum, ſepties virgultis quibuſdam circa pudenda verberatum, tandem facta ſcrobe comburebant, eiusq; cineres in mare proiiciebant, ſic expiari ciuitatem exiſtimantes.

*Græcorum καθάρματα*

*Beatus Rhenanus de Adamo Halberſtadenſi.*

Beatus Rhenanus ritum hunc ita deſcribit: Singulis annis eligitur aliquis ex plebe, qui Comœdiam pœnitentis & confitentis agat. Is in capite ieiunij quadrageſimalis ad templum adductus, in cultu lugubri, & qui pœnitētem deceat, nimirum caput obuolutum habens, poſt ſacrū inde eiicitur. Perq; totos illos 40. dies nudis pedibus vias vrbis terit, templorum muros circuit, tantum non ſubintrat, nec cum quoquam ſermonem miſcet. Canonici huic cibum præbent, quem ille qualemqualem boni conſulit. Non indulget ſomno, niſi poſt mediam noctem, idq; in plateis. At in die, quæ Dominicæ cœnæ dicata eſt, ad templum reducitur, & à Sacerdote, non abſque longis, ſed pulchris ceremoniis abſolutus à plebe ſtipem accipit. Hunc Adamum vocare ſolent.

Hoc tempore pauper aliquis, mercede à Canonicis, ad agendam Comœdiam illam publicę pœnitentiæ & abſolutionis (ſicut Rhenanus loquitur) conducitur, qui pulla veſte, & oblongo pileo, in ambitu templi, taciturnus vel obambulat vel ſedet, & cum libet dormit, in Canonicorum vero ædibus bene paſcitur.

*Ceremonia eiectionis.*

Ceremonia autem eiectionis & receptionis ita ſe habet.

Poſt cinerum ceremoniam eiiciendus eſt pœnitēs ab Eccleſia, & tali modo increpandus: Ecce eiiceris hodie à ſinu matris tuæ ſanctæ Eccleſiæ, propter peccatum tuum, ſicut Adam primus homo eiectus eſt de Paradiſo, propter trāſgreſſionem ſuam. Et Chorus canit Reſponſoriū, In ſudore vultus tui, &c.

*Quomodo pœnitentes offerantur Epiſcopo.*

Feria quinta, den grünen Donnerſtag / hora 7. egrediatur pœnitens de loco, vbi pœnitentiam geſſit, vt præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Eccleſię, eminus cum Archidiacono, pœnitentibus iuſſum illius in atrio Eccleſiæ præſtolantibus, antequam eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis.

Adeſt, ô venerabilis Pontifex, tempus acceptū, dies propitiationis, & ſalutis humanæ, qua mors interitum, & vita æterna accipit principatum, quando in vinea Domini Zebaoth, ſic nouorum palmitum plantatio facienda eſt, vt purgetur execratio vetuſtatis. Quamuis enim à diuitiis bonitatis & pietatis Dei nihil tēporis vacet,

nunc

nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium, augemur regenerandis, creſcimus reuerſis, lauant aquæ, lauant lachrymæ: Inde eſt gaudium de aſſumptione vocatorum, hinc lætitia de abſolutione pœnitentium.

*Forma publica cõfeſſionis.*

Inde eſt quod ſupplex populus tuus, poſteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœleſtium, & morum probabiliũ tranſgreſſione, cecidit, humiliatus atq; proſtratus, Prophetica ad Dominum voce clamat, dicens: Peccaui, impie egi, iniquitates feci, miſerere mei Domine, Euangelicam vocẽ non fruſtratoria aure capiens: Beati qui lugẽt, quoniam ipſi conſolabuntur. Manducauit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lachrymis ſtratum rigauit, cor ſuum luctu, corpus afflixit ieiuniis, vt animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat ſanitatem. Vnicum itaque eſt pœnitentię ſuffragium, quod & ſingulis prodeſt, & omnibus in commune ſuccurrit. Dum ergo ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis, ſub conſpectu ingemiſcentis Eccleſię, Pontifex dicat:

*Petitio abſolutionis.*

Iniquitates meas agnoſco, &c. Auerte faciem, &c. Redde mihi lætitiã. Quo itaq; ſupplicante, iterum ſubiungit Archidiaconus: Redintegra in eo, Apoſtolice Põtifex quicquid Diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinãtibus meritis, per diuinæ reconciliationis gratiam, fac hominem proximum Deo, vt qui antea in ſuis peruerſitatibus ſibi diſplicebat, nunc iam placere Domino in regione viuorum, deuicto mortis autore gratuletur. Tunc dicat Pontifex: Venite, & Archidiaconus ex parte pœnitentium: Flectamus genua. Tunc omnes pœnitentes genua flectant.

Cantat Clerus: Venite Filij, audite me, & timorem Domini docebo vos, &c.

*Recipiuntur pœnitentes.*

Interim pœnitentes manuatim à plebe ſanis Archidiacono, ab Archidiacono reddantur Epiſcopo, ab Epiſcopo Eccleſiæ: Vbi proſtrati iaceant.

*Proſternuntur.*

Deinde imponat Epiſcopus Antiphonã: Cor mundum, &c. Tunc proſtrato Epiſcopo, addatur Litania, in qua ter dicatur: vt pœnitentem iſtum benedicere & reconciliare digneris.

*Orationes pro abſoluendis.*

Poſtea dicantur preces hæ: Saluum fac ſeruum tuum Domine Deus meus ſperãtem in te. Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruo tuo. Mitte ei Domine auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum. Illuſtra faciem tuã ſuper ſeruum tuum, ſaluum fac eum Domine, ne confundatur, quoniam inuocauit te. Ne memineris Domine, &c. Oremus, &c. Famulum tuum quæſo Domine, confugientem ab ira tua ad te, paterna recipe pietate, vt qui tuæ Maieſtatis flagella formidat, de tua mereatur venia gratulari, per Dominum, &c.

*Forma publica abſolutionis.*

Frater N. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, Quæcunq; ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terra, erunt ſoluta & in cœlo. De quorum numero quamuis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſoluat, per miniſterium noſtrum, ab omnibus peccatis tuis, quæcunq; cogitatione, locutione atq; operatione negligẽter egiſti, & à nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, Amen. Hîc aſpergat eum aqua benedicta, & turificet, & poſtea dicat:

*Admonitio poſt abſolutionem.*

Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Poſtea ſurgãt pœnitentes & moneantur ab Epiſcopo, vt quod pœnitẽdo diluerunt, iterando non reuocent. Tunc faciat ſermonem, &c.

*Comœdia publica pœnitentia.*

Hæc ex libro Agendorum ad verbum deſcripta, oſtendunt eſſe veterem illam formam publicæ pœnitentiæ, & publicæ abſolutionis, quæ deſcribitur in capite 9. Agathenſis Concilij, & citatur diſt. 50. Poſtea collapſa diſciplina publicæ pœnitentiæ, ſubſtitutum eſt ſpectaculũ illud, vt Dauus aliquis Comœdiam confitentis & pœnitentis agat, ſicut Rhenanus loquitur.

*Traiectina Comœdia.*

Lindanus addit, Traiecti Batauorum, populum totum templo eiici, & è veſtigio ad pœnitentiam per Archidiaconi vmbram reuocari, & in templum reductũ, poſt preces publicas, ac manus Epiſcopalis impoſitionem, abſolui & reconciliari, &c.

Cum autem ſcriptũ ſit: Nomen Domini non eſſe inuanum aſſumendum, cogitet Lector, qualis ſit prophanatio, verbo Abſolutionis in Eccleſia ita ludere, ſicut Hiſtriones in Comædiis ſolent facere. Potius opera eſſet danda, vt publica pœnitentia, confeſſio & abſolutio, ad veterem ac verum vſum reſtitueretur.

INDEX

# INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS OBITER ALLEGATORVM ET EXPLICATORUM.


GEneſis 1. Deus fecit hominem ad imaginem ſuam, 24.a.b.34.b. Ecce omnem herbam dedi vobis in eſcam, 101.a. vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona, 101.a
2. De ligno ſcientiæ non comedes, 97.a.98.b.103.b.129.b. 132.a. appellauit Adam nominibus ſuis cuncta animantia, 35.b 96.a
3. Quia feciſti hoc & obediſti voci vxoris, 54.56.a. maledicta terra propter te, 99.b. in labore vultus tui manducabis panem, 51.b
Terra es, & in terram reuerteris, 5.a.55.b. Adam eiectus de Paradiſo, 68.b.103.b.106.a.136.a
4. Abel de primitiis offert, 68.b.103.b.106.a.136.a
7. De mundis animalibus ſeptem, 96.b
8. Noe altare conſtruxit Domino, 35.b.
9. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, 96.b.99.a.b. carnem vt olera comedetis, 126.a
Noah inebriatus, 127.b
11. Vr Caldæorum, 19.b
19. Loth inebriatus, 127.b
22. Abraham filium Iſaac immolaturus, 29.b.35.a.
Altare erigit, 35.b
23. Abraham adorat populum terræ, 36.b.42.b
28. Lapidem erexit in titulum, 21.b.35.b
31. Furata eſt Rahel ſimulachra Iacob, 18.a.19.b
32. Vir luctans cum Iacob, 19.a.b
33. Iacob adorat Eſau, 36.b
35. Abiicite Deos alienos, qui ſunt inter vos, 19.a.20.a
47. Iacob adorat Pharaonem, 36.b
50. De Ioſephi ſepultura, 4.a
58. De ſanctificatione Sabbati, 161.a
EXodi 3. Rubus ardens, 19.a
12. Cultu perpetuo Paſcha celebrabitis, 149.a
13. Ioſephi oſſa aſportate, 4.a. columna ignis & nubis, 19.a
16. Nemo egrediatur loco ſuo die ſeptimo, 150.a
20. Non facies tibi ſimulachrum, vt colas illud, 20.a. 21.a.bis, 22.a.24.b.32.a.34.a.37.a.43.b. quæ in cœlis ſurſum, aut in terra deorſum, 20.21.a. non adorabis nec coles ea, 20.b.37.a.38.b.40.b.43.b. non aſſumes nomen Domini inuanum, 100.b. ſex diebus creauit Deus cœlum & terram, 149.a
24. & 34. Moſes ieiunat, 40. dies, 89.a.103.b.107.b.129.b
25. Fac duos cherubinos aureos, 22.a.34.b.35.b.42.a
31. Impleui Bezaleel Spiritu Dei, 22.a. pactum hoc eſt ſempiternum, 149.a
32. Hi ſunt Dij tui, 20.a. cras ſolennitas erit Domini, ibid. ſedit populus vt manducaret & biberet, 18.a.101.b. peccauit populus meus, recedens à via quam oſtendi eis, 20. cultus vituli aurei, 20.a. in die viſitationis, & hoc peccatum viſitabo, 54.a
33. Columna ignis & nubis, 19.a
35. Non ſuccendetis ignem die Sabbati, 150.a
39. Mala punica ex auro in veſte Pontificis, 22.a
LEuit. 10. Vinum & omne quod inebriat non bibetis, 95.a.149.b
11. De mundis & immundis animalibus, 96.b.98.b
16. & 23. Affligatis animas veſtras, 87.b.90.b.93.a.112.b. omnis anima quæ non fuerit afflicta hoc die peribit de populis ſuis, 87.b.94.b
20. Liberos per ignem ducere Moloch, 18.a
22. Mortuum tangere immundus habetur, 2.b
25. Legitimum præceptum & ſempiternum erit, 149.a
26. Ne feceritis vobis idola, 20.b.21.a. nec lapidem inſignitum ponetis ad adorandum, 21.b
NVmeri 1. & 21. Chemos idolum Moabiticum, 18.a
6. Nazaræi vinum non bibunt, 129.b.140.b
7. De medio Cherubin Deus loquitur, 34.b
8. Cum quinquageſimum annum impleuerint ſeruire ceſſabunt, 149.b
11. Iſrael contra Deum murmurat, 130.b
12. Miriam lepra percutitur, 54.a
14. Dimiſit peccata populo: attamen nemo eorum videbit terram promiſsionis, 54.a
16. Aaron ſtans inter viuos & mortuos orat, 54.b
21. Serpens æneus erectus, 22.a.42.a
23. Excelſa Baal, 18.a
25. Baalpeor Moabitarum, 18.a. Fornicatio Iſraelitarum cum Moabitis, 18.a. coniugatus eſt Iſrael ipſi Baalpeor, ibidem.
30. Votum & iuramentum de ieiunio.
DEut. 4. Vocem eius audiſtis, ſimulachrum non vidiſtis, 20.b.22.b. ſimulachrum cuiuſcunque figuræ, 20.b
5. Ne feceris tibi ſculptile, aut ſimilitudinem, 20.b.21.a.
Memineris quod ſeruus fueris in Aegypto, 149.a
8. Afflixit te & eſurire te permiſit, 88.b. cum comederis & ſaturatus fueris, benedicas Domino, 101.b
12. Non facietis quod vobis bonum videtur, 5.a.21.b.39.a.48.b.102.b. coram Domino comedes & lætaberis, 91.b
13. Si Propheta ſurrexit, & ſignum dederit, 10.b.40.b
14. De mundis & immundis animalibus, 96.b
15. Seruiet tibi in æternum, 169.b
17. Aſtaroth à fœtura ouium dictus, 18.a
18. Prophetam excitabo eis, 149.b
25. Iuxta menſuram delicti erit modus plagarum, 47.b.54.b
27. Maledictus qui facit ſculptile, 21.a.22.a
28. Maledictiones alicui infligi, 49.a.51.a
32. Impinguatus recalcitrauit, 91.b.101.b.109.a
Sacrificauerunt Dæmoniis, Siddim, 18.b
IOſ. 2. Duodecim lapides erigendi, 21.b
22. Duæ tribus cum dimidia altare erigunt, 21.b
24. Seruieruntque Diis alienis, 19.a.b. Lapis erigitur in teſtimonium icti fœderis, 21.a.b. Oſſa Ioſeph ſepulta, 4.b
IVdic. 2. Seruierunt Baalim, 20.a
2. & 3. Aſtaroth Sidoniorum, 18.a
8. & 9. Baalberith, 18.a
11. Chemos Moabitarum, 18.a
16. Dagon idolum, 18.a
17. Conſecraui hanc pecuniam Domino, 20.a. idolum Michæ, 19.b
18. Iehoua adeſt itineri veſtro, 20.a
20. Ieiunauerunt vſque ad veſperam, 88.a.89.b
1. REgum 1. Anna flebat nihilque comedebat, 93.b
Anna orat flens largiter, ibidem. Samuel vinum non bibit, 129.b. manebit in tabernaculo vſque in ſeculum, 149.b

5.Dagon Philiſtinorum, 18.a
7.Hauſerunt aquam & effuderunt eam coram Domino, 93.a.95.a.Ieiunauerunt in die illa,88.a. Lapis adiutorij, 21.b
10.Dauid adorat Samuelem, 36.b
15.Quia mendacium Teraphim eſt inobedientia, 20.a
19.Michol ponit imaginem hominis in lecto, 22.a
21.Dauid edit panes propoſitionis, 97.a
30.AEgyptius qui tribus diebus non comederat, 97.b
31.Saul & Ionathas ſepultus,5.a. Ieiunauerunt ſeptem diebus, 88.a.89.b
2.Regum 1.Sciderunt veſtimenta ſua,90.a.planxerunt, fleuerunt & ieiunauerunt, 88.a
3.Scindite veſtimenta veſtra, 90.a. Si ante occaſum Solis guſtauero panem, ibid.
12.Ideo ſuſcitabo ſuper te malum, 54.b. Dauid orans pro filio ſuo,ieiunat,88.a.93.b.95.a.pernoctauit dormiens in terra,90.a.noluit cum ſenioribus domus ſuæ cibum capere,89.b. ſeptimo die infans moritur,55.b. Dauid expleto ieiunio lauit, 90.a
15.Si voluerit,reſtituet me in regnum, 56.b
10.Berzellai cupit ſepeliri cum patribus ſuis, 5.a
21.Saulis oſſa tranſlata in ſepulchrum paternum, ibid.
24.Peſtis immiſſa ſuper populum, 54.a. Dauid orans, ceſſare facit peſtem, ibid.b
3.Regum 7. Imagines variæ in ornatu templi, 22.a 11. Aſtaroth Sidoniorum, 18.a
Chemos idolum Moabitarum, ibid.
Moloch Ammonitarum, ibid.
13.Propheta non debet panem comedere in Bethel, 129.b
15.Miplezeth, 18.a
16.& 19.Genu flectere Baal, 17.b
Domus Baal, ibid.
18.Prophetæ & Sacerdotes Baal, 18.a
Baal exaudi nos, ibid.
Deus igni abſumit victimam, 19.b
19.Eliæ ieiunium ad dies quadraginta, 89.a.103.b.107.b 113.a.114.b.129.b.Reliqui mihi ſeptem millia, 81.a
21.Ieſabel indicit ieiunium, 94.a.Ahab ieiunauit & dormiuit in ſacco, 88.a.90.a.b.92.a.b.95.a
22.Panis tribulationis & aqua anguſtiæ, 97.b
4.Regum 1.Baalzebub Ammonitarum, 18.a
3.& 10.Statua Baal, ibid.
5.Rimnon idolum Syriæ, ibid.
10.Sacrificia Baal,ibid. Feſta & ſolennitates Baal, ibid.
13.Eliſæi oſſium contactu mortuus reſuſcitatur, 3.b.4.a
17.Succoth,Benoth,Nergel,&c. 18.b
18.Ezechias ſerpentem æneum confringit, 22.a
21.& 25.Altaria luci & vaſa Baal, 17.b
Genu flectere coram Baal, ibid.
23.Militiam cœli colere,18.b.incenſum Baal, 18.a
Liberos per ignem ducere Moloch, 18.a
Equi currus Solis,18.b. Aſtaroth Sidoniorum, 18.a
Chemos Moabiticum idolum, ibidem. Ioſias oſſa eruta comburit, 5.a. Oſſa Prophetæ intacta manſerunt, ibid.
1.Paral.25.Pſalmi & Hymni decantati, 149.b
2.Paral.3.Variæ imagines in ornatu templi, 22.a
7.Deus in igni apparet, 19.b
12.Quia humiliati ſunt non diſperdam eos, 90.b
20.Ioſaphat prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda, 88.a.93.b.95.a
23.Prophetæ & Sacerdotes Baal, 18.a
Eſdr. 8. Prædicaui ieiunium , &c. 88.a.90.b.93.b. 95.a. Ieiunauimus & rogauimus Dominum, 88.a. 97.a
9.Euulſi capillos capitis & barbæ, 90.b
Nehem.1.Sedi,fleui,luxi & ieiunaui, 90.a.93.b.95.a
8.Comedebant pinguia & lætabantur, 90.a
Eſth.4.Mardochæus ſcidit veſtimenta ſua, 90.a. Ieiunium vlulatus & fletus,90.a.95.a. Ieiunate pro me, 88.a
9.Ieiunium duodecimi menſis, 94.b. Obſeruanda ſuſceperunt ieiunia & preces, 88.a
Iob.1.Filios ſuos ſacrificiis ſanctificabat, 101.b
9.Induta eſt caro mea putredine, 2.b
10.Vado ad terram tenebroſam, ibid.
19.In hac carne mea videbo Dominum, ibid.
Pſalm.16.Caro mea requieſcit in ſpe, ibid.Sanctis qui in terra ſunt, 21.a 36.a
17.Vt venter eorum impleatur, 101.a
22.Edent pauperes & ſaturabuntur, 102.a
25.Ad te Domine leuaui animam meam, 93.b
32.Beati quorum ſunt tecta peccata, 60.a. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus, 49.b
34.Benedicam Dominum in omni tempore, 102.a
Declina à malo & fac bonum,55.b. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, 2.b.3.b.5.a
36.Humiliabam in ieiunio animam meam,87.b.90.b.95.a.tanquam qui fratrem aut matrem luget, 90.a
42.Fuerunt mihi lachrymæ panes, 89.b
45.Vultum tuum diuites deprecabuntur, 38.b.42.a
Omnis gloria filiæ Regis intus eſt, 116.a.142.a
49.Nemo fratrem ſuum redimere poteſt, 57.b
51.Miſerere mei Deus,102.a. Spiritus contribulatus,cor contritum & humiliatum, 92.a
62.Nonne Deo erit ſubiecta anima mea.
69.Fletu & ieiunio animam meam affligebam, 87.b
78.Tentauerunt & exacerbauerunt Deum, 103.b
80.Cibabis non pane lachrymarum, 89.b.97.b
96.Omnes dii gentium elilim, 18.b
69.Adorate ſcabellum pedum eius, 38.b
Adorate ad montem ſanctum eius, 38.b.42.a
102.Oblitus ſum comedere panem,93.b. Cinerem,vt panem comedi, 89.b.95.b
103.Qui ſanat omnes infirmitates meas, 55.a
Longe fecit à nobis iniquitates, 49.a
104.Vinum lætificat cor hominis,126.a.Aperiente te manum,implentur bonis, 101.a
106.In ſimilitudinem bouis comedentis herbam, 20.a.& coniugati ſunt ipſi Baalpeor, 18.a
111.Confeſſio & magnificentia opus eius, 36.b
Eſcam dedit timentibus ſe, 102.a
115.Aures habent & non audiunt,19.a. Deus autem noſter in cœlo eſt, 20.b
116.Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, 2.b
117.Laudate Dominum omnes gentes, 102.a.veritas Domini manet in æternum, 149.b
119.Reuela oculos meos, 42.a. funes peccatorum circumplexi ſunt me,59.b.particeps ſum ego omnium timentium te, 59.b. . in æternum Domine verbum tuum permanet,149.b.lucerna pedibus meis verbum tuum, 21.b.23.b. meditatio ſermonum tuorum illuminat, 31.b
122. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi,101.b. cuius participatio in idipſum, 59.b
124.Forſitan viuos deglutiſſent nos, 43.a
130. Si iniquitates obſeruaueris Domine quis ſuſtinebit, 49.b
143.Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, ibidem
145.Exaltabo te Deus meus Rex, 101.b. aperis tu manum tuam,& imples omnia benedictione, 101.a
149.Ad faciendam vindictam in omnibus, 59.b
Prouerb.13.Redemptio animæ viri diuitiæ eius, 38.a


20.Luxu-

20.Luxurioſa res eſt vinum, 109.a
23.Qui vina ſectantur ſpectabunt extraneas, ibid.
30.Ne bibant & obliuiſcantur iudiciorum, ibid.
ECcleſiaſt.4.Edamus in lætitia panem noſtrum, 101.a.
10. Væ terræ cuius Principes mane commeſſantur, 92.a.108.b
ESa.1.Cum extenderitis manus veſtras non audiam,93.b.bona terræ comedetis, 126a.
2.Talpas & veſpertiliones colentes, 18.b
5.Væ qui conſurgitis ad ſectandam ebrietatem, 109.a. opus Domini non reſpicitis, 103.b
6.Deus ſuper ſolio ſedens, 19.b
8.Veritatem à mortuis requirere,40.b. Si non dixerint iuxta verbum hoc, 3.a
11.Sepulchrum eius glorioſum, 2.b
22.Comedamus & bibamus, cras enim morimur, 109.a.138.a
26.Mortui tui viuent, 2.b
28.Præ ebrietate ignorauerunt iudicium, 109.a
30.Panis arctus & aqua breuis, 89.b
34.Deus eſt qui remittit peccata, 78.a
37.Non erant Dij,ſed opera manuum hominum, 18.b
Neſroch Aſſyriorum, 18.a
40.Cui ſimilem facietis Deum, 18.b.21.a.22.b.artifex conflat ſimulachrum, 18.b
41.Faber confortauit ſimulachrum, 18.a
42.Calamum conquaſſatum non conteret, 52.b.gloriam meam alteri non dabo, 41.a
44.Sculptile conflauit ad nihil vtile, 18.b
45.Pudeſiant fabricatores idolorum, ibid.
46.Bel Babyloniorum, 18.a. Nebo Babyloniorum,ibid. Conducunt artificem vt faciant Deum, 18.b
53.Percuſſus eſt propter peccata noſtra, 49.a. pœnas noſtras ipſe ſuſtinuit, 48.a.49.a
56.Veniunt in pacem & requieſcunt, 2.b
57.Requieſcunt in cubilibus ſuis, 5.a
58.Ieiunauimus & non aſpexiſti, 91.a.93.a.117.b.non inueniatur voluntas tua in die ieiunij,87.b.ieiunatis ad lites & contentiones,108.a. nolite ieiunare ſicuti hactenus,87.b.90.a.117.b. in ieiunio curuabunt caput, 90.a.hoc eſt ieiunium quod elegi, 88.a.89.a.92.b.104.b.109.a.ſi animam afflictam ſatiaueris, 87.b
60.Vt prædicem captiuis dimiſsionem, 52.b.75.b
64.Iuſtitiæ noſtræ,quaſi pannus menſtruatæ, 49.b
65.Menſam Gad adornantes,18.b. libamen Meni conſecrantes, ibid.
IErem.7.& 23. Suffitum facere Baal,18.a.Reginam cœli colentes, 18.b
8.Eiicient oſſa eorum de ſepulchris, 5.a
10.Lignum formatur,auro ornatur, 18.b
12.Saginantur vt oues ad diem occiſionis, 101.a
14.Etiamſi ieiunent non exaudiam, 91.a.93.a.117.b
15.Si precioſum à vili ſeparaueris, 147.b.158.b
18.Pœnitebit me mali,quod cogitaueram, 49.a.56.a
19.& 32.Excelſa Baal, 17. b.liberos immolare Baal, 18.a
30.Caſtigabo te in iudicio, 55.a
31.Faciam fœdus nouum, 94.b. iniquitates eorum non recordabor, 55.b.56.a
32.Baal ſuper tectis cultus, 17.b
36.In die ieiunij quod prædictum erat,88.a. liber Ieremiæ legitur, 94.a
46.& 49. Quibus non erat iudicium, hi bibendo biberunt, 55.b
48.Chemos Moabiticum idolum, 18.a
50.Bel Babylonicus, ibid.
EZech.1.& 10. Facies hominis, leonis, bouis & aquilæ, 20.a
4.Subcineritium hordeanum comedas, 89.b.97.a
6.Cadent in medio idolorum, 19.a
8.Reptilia & idola depicta,18.b.Thamutz, ibid.
9.Non gemunt ſuper abominationibus, 52.a
14.Poſuerunt idola in cordibus, 19.a
18.Peccatorum eius non recordabor amplius, 49.a
20.Scient quia ego Dominus ſanctificans eos, 149.a. in præceptis meis ambulate,102.b. deflexerunt ad idola Ægypti, 20.a
21.Teraphim Gentium, 20.a
41.Cherub faciem hominis habuit, 34.a
DAn.1.Daniel cum ſociis abſtinet à cibis regiis.96.b.97.a
6.Daniel orat facie verſus Hieroſolymam conuerſa, 22.a.Rex pernoctauit incœnatus, 89.b
7.Antiquus dierum, 19.b.22.b. veluti filius hominis, 19.b
9.Deprecatus ſum Dominum in ieiunio, 88.a.91.a.92.b.95.b. exaudi preces ſerui tui propter Dominum, 95.b. adducatur iuſtitia æterna, 48.a
10.Panem deſiderabilem non comedi, 88.a.89.b.93.b.95.b.111.a.Vnguento non ſum vnctus, 89.b.vt affligeres te in conſpectu Dei tui, 88.a.90.b
12.Qui in puluere dormiunt, 5.a
OSe.2. Argentum & aurum contribuere ad cultum Baal,18.a.me vocarunt Baali, 20.a
3.Viſitabo contra eos dies Baalim, 19.a
4.Vinum & ebrietas cor auferunt, 109.a
8.Artifex fecit illum,& non eſt Deus, 19.a
11.Sacrificant Baalim, ibid.
Sacrificate, 87.b
IOel.1.& 2.Sanctificat ieiunium, 92.a.92.b
2.Conuertimini ad me in ieiunio & planctu, 90.a.ſcindite corda veſtra & non veſtes, 90.a. quis ſcit ſi conuertatur & pœniteat, 57.b. egrediatur ſponſus de cubili ſuo, 90.a
AMos 5.Portaſtis Sichur,18.b.Adoratis idola,ideo transferam vos,
6.Canitis bibentes vinum, 109.a
IOnæ 3. Prædicatur ieiunium, 88.a.90.a.92.a.93.a.129.b.nec homines, nec iumenta comedant, 92.b. vidit Deus opera Niniuitarum, 61.b. quia conuerſi ſunt à via ſua mala,61.b.92.b. Niniuitæ non fuerunt deleti, 54.b.56.a.b
MIch.1.Omnia idola ponam in perditionem, 19.a
7.Iram Domini portabo quia peccaui ei, 93.a. proiiciet in profundum maris omnia peccata, 49.a
NAhum 3. Oſtendam gentibus turpitudinem tuam, 82.b
ZEphan.2.Quærite humiliationem, 90.b
Zach 7.Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi, 87.b.89.a.91.a 94.b.96.a.b.105.a.117.b
8.Ieiunium quarti,quinti,ſeptimi & decimi menſis, 94.b.113.b.147.b.
10.Simulachra loquuta ſunt vana, 19.a.20.a
IVdith.4. Humiliauerunt animas ſuas in ieiuniis, 88.b.ſi permanſeritis in ieiuniis & orationibus, 88.b.95.a
6.Expleto ieiunio eos refecit, 98.b
8.Ieiunabat omnibus diebus viduitatis ſuæ, ibid.
SAp.13.Artifex hominis effigiem faciens, 14.a
14.Initium fornicationis eſt excogitatio ſimulachrorum, 14.a.18.a
15.In errorem nos non ſeduxit malæ artis excogitatio, 14.b
TOb.3.Sara tribus diebus & noctibus non edit aut bibit, 88.a.89.b
4.& 12 Ieiunium & eleemoſyna liberat à peccato, 107.a
12.Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna, 88.a
STrach 31.Modicum ſufficit homini temperanti, 108.b
32.In luctu muſicam eſſe intempeſtiuam, 90.a

34. Homo ieiunans propter peccata ſua, & rurſum vadens, & eadem faciens, 91.a.107.a
46. Sit memoria eorum in benedictione, 4.a
46. & 49. Oſſa eorum locis ſuis reuireſcent, 2.b.4.b
48. Eliſæi corpus poſt mortem prophetauit, 3.b.4.b
49. Oſſa Ioſephi aſſeruata, 4.a. poſt mortem prophetarunt, 4.b
BAruch 1. Plorabant, ieiunabant & orabant, 88.b
2. Oſſa patrum de loco tranſlata proiicientur, 5.a
1. MAchab 3 Defecit tibia & cithara, 90.a. ieiunauerunt illo die, 88.b
2. MAchab. 6. Eleazar non comedit porcinam carnem, 96.b
7. Septem fratrum conſtantia, ibid.
13. Miſericordiam petentes cum fletu & ieiuniis, 88.b
MAtth. 3. Cibus Ioannis Baptiſtæ, 117.b. facite fructus dignos pœnitentia, 55.b.65.a.74.b
4. Chriſtus quadraginta dies & noctes ieiunauit, 89.a. 103.b.105.b.113.a.118.a.129.b.132.a,140.b.144.a Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, 31.b.38.a.b.42.b
5. Ne iuretis per cœlum, 3.a
6. Fiat voluntas tua, 56.a. dimitte nobis debita noſtra, 49.a.64.a.b.65.b. Ieiunium hypocritarum, 91.a.97.b. 118.a. Tu autem cum ieiunaueris, 90.a.97.b.118.b
7. Ite per anguſtam viam, 130.b. Intrinſecus ſunt lupi rapaces, 126.a
9. Diſcipuli Ioannis & Phariſæi ieiunant, 95.b.118.a. Non poſſunt filij ſponſi lugere, 93.a.95.a 105.b.113.a.118.a. 132.b. cum auferetur ab eis ſponſus ieiunabunt, 88.a. 113.b.131.a.136.a. Nemo aſſumentum nouum immittit veſti veteri, 91.a.95.a.118.a. Mulier profluuio ſanguinis liberata, 27.a. confide fili, remiſſa tibi ſunt peccata, 51.a.55.a. Non eſt mortua puella, ſed dormit, 2.b. Chriſtus mortuum tangit. ibid.
10. Quicquid vobis apponitur edite, 118.b.143 a
11. Non ſurrexit maior Iohanne Baptiſta, 2.a. Lex & Prophetæ vſque ad Iohannem, 149.b. venit filius hominis edens ac bibens, 118.b.129.b.142.b. In ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent, 92.b. Diſcite à me, quia mitis ſum, 104.b.113.a.132.b
12. Diſcipuli euellunt ſpicas Sabbatho, 150.a
13. Iuſti fulgebunt vt Sol, 2.b
14. Sepultura Baptiſtæ, 3.a
14. & 15. Chriſtus acceptis panibus gratias agit, 101.a
15. Fruſtra me colunt mandatis hominum, 48.b.103.b.110. b. Non quod in os ingreditur inquinat hominem, 97. a.129.b. Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, 74.b. nolo eos dimittere ieiunos, 88.a
16. Tibi dabo claues Regni cœlorum, 11.a.50.a.51.a. Quicquid ligaueris, aut ſolueris ſuper terram, 47.a.48.a. 50.b.74.b
17. Non eiicietur niſi per orationem & ieiunium, 88.a. 93.b.95.a.106.a
18. Lucratus es fratrem, 52.a. ſi te non audiat aſſume vnum atq; alterum, 53 a. Dic Eccleſiæ, 53.a.63.a. quicquid ſolueritis ſuper terram, 47.a.51.a.54.b. vbi duo aut tres congregati fuerint, 53.a.150.a.157.b. Dominus remittit ſeruo debitum, 47.a.49.a.51.a. Seruus conſeruum iugulans, 49.a
21. Soluite aſinam, 51.b
22. Cuius eſt hæc imago? Cæſaris, 22.a.23.a. In his duobus præceptis pendent lex & Prophetæ.
23. Amant ſalutationes in foro, 36.b. Iurare per templum, 3.a. culicem colare & camelum deglutire, 23.b. ſepulchra foris pulchra, intus plena oſsibus, 2.b.4.a. ædificatis ſepulchra Prophetarum, 4.a
24. Dabunt ſigna & prodigia, 10.b.40.b
25. Virgines prudentes non dant aliis de oleo ſuo, 49.b. 52.b. Quando vidimus te famelicum, & cibauimus te, 49.b. Quicquid vni ex minimis meis feciſtis, 42.b
26. Mulier Chriſtū vngens, 11.b. aufer calicem à me, 57.b Non quod ego volo, ſed quod tu vis, 56.b
28. Docete eos ſeruare, quæ ego præcepi, 110.b
MArci 2. De panibus propoſitionis, 97.a. Dominus eſt filius hominis etiam Sabbati, 150.a
4. Neſcitis parabolam hanc, 150.b
8. Si demiſero eos ieiunos, 88.b
11. Non permiſit vt vas deportaretur per templum, 150.b
16. Prima Sabbatorum veniunt, 151.a. Angelus in albis ſedens in ſepulchro, 2.b. ſigna quæ ſequentur credentes, 3.b
LVc. 1. Multitudo populi precabatur foris, 149.b. ad dandam ſcientiam ſalutis, 48.a
2. Ieiuniis & obſeruationibus ſeruiens Deo, 88.a.89.b
3. Spiritus ſanctus deſcendit corporali ſpecie quaſi columba, 18.b.22.b
4. Chriſto datur liber Eſaiæ Prophetæ.
5. Qui erant ſocij Simoni, 59.a.b. Non poteſtis facere, vt filij thalami ieiunent, 118.a
6. Væ qui ſaturati eſtis & ridetis, 109.a
7. Peccatrix pedes Chriſti lachrymis rigat, 61.b.63.a. condonauit vtrique, 53.b. dimiſſa ſunt ei peccata multa, 63.a. Remiſſa tibi ſunt peccata, 51.a.55.a
8. Miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, Semen voluptatibus ſuffocatur, 61.b
10. Qui vos recipit, me recipit, 42.b
11. Beelzebub princeps Dæmoniorum, 18.a
13. Niſi pœnitentiam egeritis, ſimiliter peribitis, 51.a.56.a
14. Num licet Sabbato ſanare, 145.a. Beatus qui edit panem in regno cœlorum, 101.b
15. Paſtor quærens & reportans ouem, 26.a. gaudium in cœlis eſt ſuper vno peccatore reſipiſcente, 52.a
16. Diues epulabatur ſplendide, 101.a. Recepiſti bona in vita tua, ibid. Habent Moſen & Prophetas, 40.b
17. Cum omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus, 49. b. fides tua te ſaluum fecit, 74.b. Regnum Dei non venit cum obſeruatione, 116.a
18. Ieiuno bis in hebdomada, 91.a.95.a.116.b.118.a. Decimas do omnium, Abiit hic iuſtificatus, 55.a
21. Templum multis donis ornatum, 23.a. Leuate capita veſtra, 55.b. Ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate, 90.a 91.b.132.a
22. Deſideraui hoc Paſcha edere vobiſcum, 99.b.146.a. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua, 50.a
23. Hodie mecum eris in Paradiſo, 106.a
24. Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, 99.b. Prædicare pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, 48.a.50.b
IOhan. 1. Ex plenitudine eius omnes accepimus, 58 b.59. a Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, 73.b
2. Chriſtus vino donat ſponſum, 146.a
3. Spiritus vbi vult ſpirat, 11.a. Sicut Moſes ſerpentem erexit in deſerto, 22 a Qui credit in filium non iudicatur, 48.a.49.a. Deus Spiritum non dat ad menſuram, Ira Dei manet ſuper ipſum, 51.b
4. Neque hic, neque Hieroſolymis adorabunt, 5.b. Veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate, 5.b.10.b.24.a.38.b
5. Noli amplius peccare, 51.a.55.b.64.b.65.b. Vt omnes glorificent Filium ſicut Patrem, 39.b. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, 39.b. non veniet in iudicium, 48.a.49.a. è morte tranſibit in vitam, 48. a qui in monumentis ſunt reſuſcitabuntur, 2.a.5.a
6. Operemini cibum, qui non pereat, 101.b. operemini opus Dei, 156.a
8. Neque ego te condemnabo, 51.a

9.Peccatum veſtrum manet, 51.b
14.Qui videt me, videt & Patrem, 39.b. Ego in Patre, & Pater in me, ibid.
19.Conſummatum eſt, 57.b
20.Sicut miſit me Pater, ita & ego vos, 51.a. quorum remiſeritis peccata, 48.a.b.49.b.50.b. 51.a. 81.b. vt credentes vitam habeatis per nomen eius, 48.a
ACtor.2.quotidie perſeuerabant in doctrina, 150.a. diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat, 150.a
5.Signa & prodigia per manus Apoſtolorum, 2.a. infirmi vmbra Petri ſanati, 2.a.3.a. non ceſſabant omni die docere, 150.b
6.Stephanus plenus gratia & fortitudine, 3.a
8.Curauerunt vna Stephanum, &c.ibid. quia donum Dei exiſtimaſti pecuniis parari, 50.a.51.a.58.b
9 Saul quid me perſequeris? 57.b. Paulus tribus diebus non edit, aut bibit, 89.a
10.Quæ Deus purificauit tu immunda ne dixeris, 97.b. 101.a. Petrus non vult adorari, 38.b. vſq; ad horam nonam ſedebam ieiunus, 89.b.93.b.95.a. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, 48.a. in nomine eius habere omnes remiſſionem peccatorum, 5.b. Petrus baptizat Cornelium, 150.a
13.Ieiunantibus illis dixit Spiritus ſanctus, 88.a. Ieiunantes & orantes, 98.a.93.b.95.a.148.a. Prophetæ per omne Sabbatum leguntur, 149.b. cum Dauid ætati ſuæ inſeruiſſet dormiuit, 3.b. ciuitas conuenit ad audiendum ſermonem Dei, 150.a
13.16.17.18.Apoſtoli ſabbato docuerunt, 150.b
14.Dij ſpecie hominum deſcenderunt, 18.b. cum oraſſent cum ieiuniis, 93.b.88.a.95.a.148.b
15.Imponentes iugum ceruicibus, 129.b.130.b.131.b.132.b. Sabbato legitur Moſes in Synagogis, 149.b
17.Ara inſcripta ignoto Deo, 18.b. numen non eſt ſimile auro & argento, 22.b
18.Sabbato Paulus docet, aliis dieb. operatur, 157.a
19.Sudariis Pauli impoſitis infirmi curantur, 3.a. magna Diana Epheſiorum, 18.b
20.Prima Sabbatorum conueniunt ad frangendum panem, 150.a.157.a. vſque ad mediam noctem protrahitur concio, 157.a. Paulus ad Pentecoſten aſcendit Hieroſolymam, 150.b
21.Paulus ſalutat presbyteros, 36.b
27.Decimumquartum diem ieiunij nũc permanetis, 89.a
28.In ſigno Caſtoris & Pollucis, 18.b.23.a
ROm.1.Euangelium eſt potentia Dei, 23.b.32.a. fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas, 19.b. mutauerunt gloriam Dei in ſimilitudinem, 18.b. coluerunt præter creatorem creata, 19.a
2.Qui approbant aliorum peccata, 52.a. ira & indignatio, 48.a. propter vos blaſphematur nomen Domini, 65.b
3.Faciamus mala vt eueniant bona, 56.a. remiſſionem peccatorum per eius ſanguinem, 47.a. iuſtificari hominem fide abſq; operibus, 49.b
4.Non operanti, ſed credenti, 49.a.b. Beati quorum remiſſa ſunt peccata, 47.a. cui non imputabit Dominus peccata, 51.a. quibus imputabitur credentibus, 48.a
5.Iuſtificati fide pacem habemus, 48.a.49.b. 53.b. peccatum non imputatur, cum non eſt lex, 51.a. vnius Chriſti gratia exuberauit in multos, 58.b. per obedientiam vnius iuſti conſtituuntur multi, 57.b
6.Manebimus in peccato, vt gratia abundet? 56.a. aboleatur corpus peccati, 55.b. Chriſtus vltra non moritur, 57.b. præbete membra veſtra arma iuſtitiæ Deo, 2.a. peccabimus cum ſimus ſub gratia, 56.a. præbete membra veſtra ſerua iuſtitiæ, 56.a
7.Volenti facere bonum, malum adiacet, 49.a
7.& 8.Corpus peccati & mortis, 2.b
8.Corpus propter peccatum mortuum eſt, 55.b. Si facta carnis Spiritu mortificaueritis, 56.a. Non ſunt condignæ paſſiones noſtræ, 51.a. vt conformes fiamus imagini Filij Dei. 58.a. affligimur tota die, 54.a
10.Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, 11.b. fides ex auditu, 32.a
11.Si permanſeris in bonitate, 54.a
13.Abiicite opera tenebrarum, 55.b. non in commeſſationibus & ebrietatibus, 108.b. corporis curam ne agatis ad concupiſcentias, 92.a.110.a
14.Infirmum fide ſuſcipite, 150.b. alius oleribus veſcitur, 110. diem ad diem conferens, 150.b. Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundat, 11.b. ſcio in Chriſto Ieſu nihil eſſe immundum, 97.b. Si propter cibum frater tuus contriſtatur, 97.a. Regnum Dei non eſt cibus & potus, 90.b. 98.b.110.b.116.a.125.b.127.a.137.b.138.a.142.b. Malum eſt homini, qui offendiculum veſcitur, 118.b
15.Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, 31.b. Gentes debitores ſunt Sanctorum, qui ſunt Hieroſolymis, 58.b
1. COrinth 1.Num Paulus pro vobis eſt crucifixus, 57.b. 58.a placuit Deo per ſtultam prædicationem ſaluos facere, 31.b
4.Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus, 49.b
5.Inflati eſtis & non potius luxiſtis, 52.a. ad interitum carnis vt Spiritus ſaluus fiat, ibi.53.b.63.a. paululum fermenti totam maſſam fermentat, 52.a.65.b. nam & Paſcha noſtrum eſt Chriſtus, 150.b
6.Ebrioſi regnũ Dei non poſſidebunt, 109.a. Sumus membra Chriſti, 2.a. eſtis templum Spiritus ſancti, ibi. glorificate Deum in corpore veſtro, ibid.
7.Vt vacetis ieiunio & orationi, 88.a.90.a.93.a.95.b. vir infidelis ſanctificatur per vxorem fidelem, 100.b. præceptum Domini non habeo, 150.b
8.Nihil eſt ſimulachrum in mundo, 20.a. Eſca nos non commendat Deo, 91.a.98.a.129.b.132.b.137.b.138.a. neque ſi manducauerimus abundabimus, 142.a
9.Si ſpiritualia vobis ſeminauimus, magnum eſt ſi carnalia metamus, 58.b. qui in agone contendit per omnia temperans eſt, 94.a.108.b. caſtigo corpus meum, 90.b. 92.a.97.a.108.b
10.Ne ſitis cultores idolorum, 19.a. Dæmoniis immolant, & non Deo, 19.a. Nihil interrogantes propter conſcientiam, 97.a.118.b.133.a
11.Imitatores mei eſtote, vt & ego Chriſti, 43.a. ſi nos ipſos iudicaremus non iudicaremur, 56.a.66.a. cum conueneritis ad comedendum, 150.a
12.Currebatis ad ſimulachra muta, 18.b. vnius corporũ membra omnes ſumus, 58.a.59.a
14.Dicturus eſt Amen ad tuam gratiarum actionem, 150.a. vnuſquiſq; veſtrum canticum habet, ibid Deus non eſt Deus confuſionis, 150.a.155.b
15.Dormiunt in Chriſto, 2.b qui baptizantur ſuper mortuis, 9.a. ſeminatur in corruptione & infirmitate, 2.b. Reſurget in gloria, 2.a
16.In vna Sabbatorum vnuſquiſq; apud te ſeponat, 150.a.b
2.COrinth.1.Paſſiones Chriſti abundant in nobis, 58.a. ſit hoc pro veſtra conſolatione & ſalute, ibid.
2.Sufficit ei iſta correptio, 53.a.b. vt charitatem erga ipſum confirmetis, 53.a. ſi quid donaui vobis, propter vos in perſona Chriſti, 48.b.50.a.51.b.53.a.b. 61.b
3.Fecit nos miniſtros noui Teſtamenti, 23.b. Euangelium eſt miniſterium ſpiritus, 32.a
4.Omnia hæc propter vos, 58.a. Internus homo renouatur, 106.a

5.Vnus pro omnibus mortuus eſt, 58. a. miniſterium reconciliationis, 48.a.51.a

6.Templum eſtis Spiritus ſancti, 2.a

7.Dolor ſecundum Deum parit pœnitentiam, 52.b. pœnitentiam ſecundum Deum, 92.a.b. genuit in nobis defenſionem indignationem, 25.b.61.b.65.b.commendaſtis vos, quod puri ſitis, 65.a

8.Societatem miniſterij in ſanctos, 58.b.59.b. propter nos pauper factus, vt gratia illius diteſceremus, 58. b. veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ibi.

11.In ieiuniis, 87.a.b

12.Pro eo ter rogaui Dominum, 56.b.lugeam eos qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, 52.a

GAlat.1.Si Angelus è cœlo aliud euangeliZauerit, anathema ſit, 5.b.146.a

3.Dextras dederunt ſocietatis. 59.a. quod Petrus non recto pede inceſsit ad veritatem, 97.b

3.Vt redimeret nos à maledictione legis, 51.a. factus pro nobis maledictum, 49.a. 54.b. Lex pædagogus eſt ad Chriſtum, 149.b. Non amplius ſumus ſub pædagogo, ibid.

4.Miſit filium ſuum factum ſub lege, 48.a. ſeruiebatis iis, qui natura non ſunt Dij, 19.a ad infirma, & egena elementa mundi, 147.b.151.a.Dies obſeruatis & menſes & tempora, 112.b. 113.a. 129.b.131.b.139.a.149.b. 150.b.153 b

5.In libertate in qua Chriſtus nos liberauit ſtate, 112. b. 146 b.149.b.caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, 146. b.comeſſationes & ebrietates, &c.109.a.carnem crucifixerunt cum concupiſcentiis, 56.a

6.Abſit vt glorier, niſi in cruce Chriſti, 44.a. ſtigmata Chriſti geſto in corpore meo, 2.a

EPheſ.4.Vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma, 59.b.deponite veterem hominem, 55.b.condonate vobis inuicem, ſicut & Chriſtus vobis, 49.b.53.b

5.Ne commertium habeatis cum operibus infrugiferis tenebrarum, 65.b. Nolite inebriari vino in quo luxuria eſt, 109.a.110.a.membra ſumus corporis eius, 2.a

PHilip. 1. Ad perfectum & conformationem Euangelij euenerunt, 58.a

3.Inimicos crucis Chriſti, 44. a. transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, 2. a. vt conforme reddat corpori ſuo glorioſo, 2.b.55.b

4.Scio egere & abundare, 142.a

Coloſ.1.Qui eſt imago Dei inconſpicui, 39.b.impleo quod deeſt paſsionum Chriſti, 57.a.57.b

2.Gaudens ac videns veſtrum ordinem, 150.a. condonans vobis omnia delicta, 51.a.53.b. Nemo vos iudicet in cibo & potu, 97.a.112.b.118.b.154.b. In parte diei feſti, 147.b.150.b.vmbra futurorum, corpus autem Chriſti, 97.b.Mortui eſtis in Chriſto ab elementis mundi, 98. a.b.112.b. 147.b. quid adhuc decretis tenemini, 48.b. 151.a.Iuxta præcepta ac doctrinas hominum, 97.b. 98. b.102.b.118.b.119.a. 120.a. corpori non parcunt, 91.b. 121.a

3.Mortificate membra veſtra, 64.a. ſicut Chriſtus vobis condonauit, ita & vos, 53.b

1.THeſſal.5.Vigilemus & ſobrij ſimus, 91.b.ſobrij ſimus induti loricam fidei, 108.b

2.THeſſal.2.Ne turbemini per ſermonem tanquam nobis autoribus, 123.a. per ſpiritum aut reuelationem, 123.b. Chriſtus aduentu ſuo Antichriſtum abolebit, 47.a.Signis & prodigiis mendacibus, 10.b.40.a. mittit eis efficaciam eluſionis, 123.b

3.Qui non laborat, non manducet, 151.b

1.TImoth.1.Quos tradidi Satanæ, vt diſcant non maledicere, 52.a.53.a

2.Fiant obſecrationes interceſsiones, 150. a. precium redemptionis pro omnibus, ibid.

3.Deus in carne manifeſtatus, 21.b

4.Attendentes ſpiritibus impoſtoribus, 123.b per hypocriſin mendacia loquentium, 117.a. 119.a. prohibentium cibos, quos Deus creauit, 96 b.98.b.100.b.104.a 110.b. 119.a.122 b.130.a. 131.b. 132.b. ſanctificatur per verbum, & precationem, 96.a 98.b 99.b.101.b 121.126.a. de his ſi commonefeceris eos, bonus eris miniſter, 101.b. exerce te potius ad pietatem, 94.a.Corporalis exercitatio parum prodeſt, 94.b.108.a. 116.a. 121.a.134.a. 137 b

5.Vidua in deliciis viuens, 89.b.argue eos coram omnibus, 52.b.63.a vt cæteri timorem habeant, 52 a. modico vtere vino, 91.b.121.a

2.TImoth.1.Formam habeto ſanorum verborum, 109.a. 111.a

2.Hæc commenda fidelibus hominibus, 23. Si quando det eis Deus pœnitentiam, 52.b

3.Poſſunt te erudire ad ſalutem, 31.b.Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, 23.b

4.Vigila in omnibus, 108.b

TIt.1.Epiſcopus non ſit vinolentus, ſed temperans, 108. b.Mundis omnia munda, 97.a.100.b.104.a.135.a

2.Senes vt ſobrij ſint, 108.b. Adoleſcentes adhortare vt ſobrij ſint, 108.b.vt abnegata impietate pie viuamus, 55.b

1.PEt.1.Sanguis agni immaculati, 107.a. Hoc verbum quod per Euangelium delatum eſt ad vos, 23.b

2.Sequamur veſtigia Chriſti, 58.a

4.Conſortes eſtis afflictionum Chriſti, 58. a. Iudicium à domo Dei incipit, 55.b

5.Humiliamini ſub potenti manu Dei, 56.b 92.a.b Sobrij eſtote & vigilate, 91.b.108.b

2.PEt.1.Subminiſtrate in fide veſtra virtutem, 82.b. In temperantia patientiam, 108.b. Obliuiſcens purgationis peccatorum ſuorum, 55.a. Non arte compoſitas fabulas ſequimur, 124 a. habemus firmiorem ſermonem propheticum, 122.b

2.Per auaritiam fictis verbis de vobis negotiabuntur, 49. b.libertatem aliis pollicentur ipſi ſerui corruptionis, 49 b.Canis rediens ad vomitum, 55.b

2.Detorquent ſcripturas ad ſuam perniciem, 38.b

1.IOh.1.Si dixerimus peccatum non habemus, 49.b

2.Aduocatum habemus Ieſum Chriſtum, 57 b. debet ita ambulare, vt Chriſtus ambulauit.

5.Si quis viderit fratrem ſuum peccare, &c. 62 a.Cauete à ſimulachris, 20.b.35 b

HEb.1.Character ſubſtantiæ eius, 39.b

4.Septimo die requieuit Dominus, 149.b

8 Faciam teſtamentum nouum, 94.b

9.Cherubim gloriæ, 35 b. vſque ad tempora correctionis, 149.b.æterna redemptione parta, 57.b

10.Vnica oblatione perfectos fecit, 57.b. non deſerentes aggregationem noſtri mutuam, 150.a

11.Iacob ſceptrum Ioſeph adorauit, 38.b.42.a

12.Quos diligit caſtigat, 56.b.ne radix amaritudinis ſuppullulet, 56.a

13 Gratia ſtabiliri cor, non eſcis, 98.a

IAcob.5.Si in peccatis fuerit, remittentur ei, 62.a

APoc.1.Dies Dominica, 151.a

4.Abiiciunt coronas ſuas ante thronum, 49.b

14.Beati mortui, qui in Domino moriuntur, 2.b

19.Noli facere, quia ſum conſeruus tuus, 38.b

# INDEX RERVM ET VERBORVM IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS MEMORABILIVM.

## A.


ABdias Babylonicus, 124.a
Abgari hiſtoria apocrypha, 26.b.42.b
Abſentem non eſſe colendum, 25.a
Abſolutionis doctrina per indulgentias labefactata, 50.b. 51.a. publica lapſorum pœnitentium abſolutio, 52.b. 62.a.b. abſolutio Papiſtica, 53.b. ante aut poſt abſolutionem ſatisfactiones imponi, 65.a 66.b. Formæ abſolutionis in bullis. 77.a. abſolutionem ſacramentalem præſtare indulgentiis, 81.b
Abſtinentia, 90.a.92.a.89.a.111.a.146.b. non per ſe, ſed ſecundum fines diſtinguit hos, qui ei ſtudent, 94.a. abſtinentia ab aliquibus cibis non eſt ieiunium, 89.b. 103.b. hoſtes eius, 117.b. finis, 246.a. diuerſitas abſtinentiæ, 146.b
Accuſationes ſine redditis cauſis, 135.b
Accuſatoris falſi pœnitentia, 68.b
Adam eiectus paradiſo, 68.b. Adamus Halberſtadenſis pœnitentiam agens, 71.a.159.b. Adamo indictum fuiſſe ieiunium in paradiſo, 103.b
Adiaphoris annumerantur imagines, 13 b. Adiapherici ritus non rumpere debent vnitatem fidei, 125.b.127.a. 140, a. quid ſit adiaphoron, 140.a. ſtudium circa res indifferentes, 143.a
Adoleſcens per Iohannem à latronibus reductus, 62.a
Adon, 41.b
Adoratio an & qualis debeatur ſtatuis, 34.b. quid ſcriptura vocet adorationem, 38.b.42.b.45.b. Omnis adoratio imaginum prohibita, 38.a cui ea debeatur, 38 a
Adramelech, 18.b
Adulterorum pœnitentia, 68.a. adulteram ducentis, 68.a. vxorem adulteram non pœnitentem agnoſcentis pœnitentia, 69.a
AEgyptiorum de reliquiis Ieremiæ perſuaſio, 9.b. templa, 15.b. Dij, 16.b. Idolum Apis, 20.a. Sacerdotes quibus abſtinuerint, 119.b.120.a
AEgyptus Mathematica ſtudia fouit, 154.b
AElianus de varia hiſtoria, 9.b
Aerij hæreſes apud Epiphanium, 137.b
AEſculapius Romam adductus, 16.b
AEternum quid ſignificet in ſcriptura, 149.b
Afflictiones noſtræ non ſunt meritoriæ. 49.b.53.b.54.a.b. cauſæ afflictionum, 54.b.55.a. Non tollunt eas indulgentiæ, 55.b.56.a
Africanus, 124.a
Agni paſchalis benedictio, 100.a
Alanus, 111.a
Albertus Magnus, 73.a
Albertus, 114.a
Albertus Krantzius, 84.b
Alexander ab Alexandria, 14.b.15.b.19.b
Alexander Alenſis, 73.a.110.a.b.111 a.113.a
Alexander VI. 76.b.83.a
Alexandri Magni reliquiæ, 9.a.9.b. ſtatua & imago, 15.a
Alexander Seuerus Chriſti imaginem habuit, 25.a
Alexius, 26.b
Altaria olim non reliquiis ſanctorum, ſed Chriſto tribuebantur, 9.a. altaria plura extructa ad effictas reliquias, 10 a. altare ſummum Romæ, 79.a
Amelunxborn, 12.a
Ammonitarum idolum, 18.a
Amphilochius, 31.a
Amplificationes Rhetoricæ in patribus, 103.b.105.b. 108.a. 136 a
Anamelech, 18.a
Anaſtaſius quos ſanet, 37.a
Anathemata Conciliorum & patrum, 33.a.39.a
Andradius, 19.a.19.b
Andreæ reliquiæ, 8.a
Andreas Abbas Amelunxbornenſis, 12.a
Angariæ quatuor, 112.b.113.a.b
Angeli non colendi, 20.b 36.a
Angelorum corpora, 36.a
Angelis imperat Papa, 77.b
Angeli cum Herma colloquium de ieiunio, 123.b
Angelus ſcriptor Papiſticus, 76 a
Anglia quot dentes Apolloniæ habuerit, 12. a
Animarum immortalitas, 2. a
Animæ operationes iuuantur & impediuntur certa corporis diſpoſitione, 91.b
Animi affectiones ſe per corpus produnt, 92.b
Anni initium & exitum feſtiue habeamus, 149. a
Anniuerſariæ panegyres ad ſepulchra martyrum, 6.b
Annonius, 41.b
Annunciationis feſtum, 158.a
Antigonus patris ſui cineres tranſtulit, 8.a
Antiochi ſtatua, 15.a
Antiquitati reuerentia debetur, 6 a. authoritatis eius vſus aut abuſus, 10.127.a.120.b.121.b
Antoninus, 48.b.51.b.76.a.111.a
Antonini ſtatua, 15.a
Apis cultus, 20.a
Apocrypha, 107.b.121.a.123.b.124.a.137.a.b
Apocrypha allegare, 26.b.34.b.40.a.44.b
Apollo Daphnæus, 8. a
Apolloniæ dentes in Anglia, 12.a
Apollonius, 128.a
Apoſtolorum imagines inuocatæ, 37.b
Apoſtolicarum traditionum fucus, 121.b.136.b. Conſtitutionum Apoſtolicarum libri, 121.b.122.a. 136.b.137.b Canones Apoſtolorum, 122.b.123.a.146.a
Aqua luſtralis, 16.b. Aquæ effuſæ ceremonia, 93.a. Aquæ benedictio, 102.a aquam frigidam, aut calidam bibere, 120.a. ea abſtinere, 139.b
Ariſtogitonis ſtatua, 14.b
Armeni, 133.b.148.b
Arnobius, 16.a.b 28.b
Aſcenſionis feſtum, 153.a.157.b
Aſconius, 61.b
Aſyma, 18.a
Aſtharoth, 18.a
Aſtexanus, 61.b.72.a
Aſterius, 31.a
Aſſyriorum idolum, 18.a
Athenienſium perſuaſio de oſsibus Theſei, ſtatuæ ab illis poſitæ bene meritis, 9.b. Athenienſium ſacra, 119.b
Auguſtus Alexandri reliquias conſpicit, 9.a
Auentinus, 41.b.82.a
Aues ſtangulatas comedere, 69.a
Aureus numerus, 152.b


## B.


Baal, 17.b
Baal Berith, 18.a

Baal peor, 18.a
Baal Zebub, 18.a
Babylæ martyris reliquia, 8 a
Babyloniorum idolum, 18.a
Bachanalia.
Baptiſmum corpore etiam percipimus, 2. a. ſuper ſepulchris olim fuit baptiZatum, 9. a. ſecundo baptiZari, 64.a. Innocentiam in Baptiſmo acceptam per indulgentias reſtitui, 77.b. baptiſmo æquiparare ingreſſum portæ cuiuſdam Romanæ, 79.b. cum precibus & ieiunio adminiſtratus, 103.a.124.b. tēpus baptiſmi, 103.a
Baptiſmi Chriſti feſtum, 154.a.158.a
Baſilicæ ſanctorum nominibus appellatæ, 47.b. hæretici illas non ingreßi ſunt, 7. a. ſine reliquiis ſanctorum nullam pro vera agnoſcere, 11.b. conſtructiones earum iuuare quid proſit, 47.b. viſitare eas indulgentias meretur, 74.a.75.a
Baſilidis hæreſis de martyrio pro Chriſto non ſubeundo, 6. a.7.a
Baſilidis ſectatores, 23.b
Baſilius Imperator, 44.b
Bel Babyloniorum, 18.a
Bellum contra infideles iuuare, quid proſit, 47.b.74.a. 75.a.77.b.86.b
Benedictini carnes non edunt, 99.a
Benedictiones creaturarum, 100.a.b. menſæ benedictio, 101.b
Benoth, 18.a
Bernhardinus, 72.a.112.a.114.b
Beroſi ſtatua, 15.a
Beſtiis mixti, quamdiu pœnitentiam agant, 65.a
Biturgibus inuenti verſus de indulgentiis, 78.a
Blondus, 41.b
Bohemi nundinatores indulgentiarum in carcerem coniecerunt, 81.a
Bona alia per ſe, alia propter aliud, 90.b. bono nihil magis obeſt, quam hypocriſis & ſuperſtitio, 118.a
Bonauentura, 45.b.73.a.b.114.a
Bonauentura de implenda ſatisfactione Chriſti imperfecta, 54.a.57.a
Bonifacius VIII. 75.a
Bonifacius IX. 76.a
Britzen, 85.b
Brunſuicenſis Scholæ & Eccleſiæ conuentus ſacri & pietatis exercitia, 158.b
Burchardus, 67.b.68.a.69.a.70.a

C.

Caiani cur damnati, 7.a
Caietanus, 85.b
Calamitatum cauſæ in reconciliatis, 54.b.55.a.b.56.a. de impiorum calamitatibus quid ſentiendum, 55.a. diſpenſatio rerum eſt in arbitrio Dei, 56.b
Calici inſculptæ picturæ, 26.a
Caligulæ ſtatua, 15.a
Caluinus de reliquiis Sanctorum, 12.a
Canonicæ ſatisfactiones. vide Satisfactiones.
Cantus ad funera, 8.b. in cultu idolorum, 16.b
Capitis vertigo, 119.b
Caranza, 45.a
Carena quid ſit & vnde dicta, 68.a.71.a
Caro cruce frenatur, 55.b. crucifigenda, 56.a. Coercenda & ſpiritui ſubiicienda, 91.b. 105.b 145.a. Carnis vſus in cibum, quando homini conceſſus. 96 a. cauſa prohibitæ carnis in cibum, 99.b. Carnis eſus à quibuſdam prorſus damnatus, 98.b.133.a.b in vitando eſu carniū perfectionem ponere, 99.a.128.a. b. cauſæ prohibiti eſus carnium ex Scholaſticis, 110.a. Carnis concupiſcētias excitantia, aut ſedātia, 108.b. AEgyptij Sacerdotes, & multi alij carnibus abſtinuerunt, 119.b. In eſu carnis tempore ieiunij quantum peccatum, 100.a. Carnes prouocare concupiſcentiam, 120.a. 127.b. 128. a.133.b.143.a. nomine conſtitutionis Apoſtolicæ abſtinētiam à carnibus prohibere, 120.b.122.a.b. Iudæi cur non emant carnes è macellis gentium, 123.a. qui introduxerint abſtinentiā à carnibus, 127.b. dicere eas immundas & execrandas, 143.a.b. quando cœperit prohibitio, 134.a.b.135.a.b. Carnes ſuillas in ieiunio edere, 134.b eſus earum eſt res indifferens, 145 b. Monachis prohibitus, 99.a.128.a. Carnes in quadrageſima venales nemo emere voluit per ſuperſtitionem, 141.b
Carolus Magnus Synodum conuocat Francofurti, 41. a. libri eius de actis Synodi illius, 41.b. filius eius Ludouicus, 43.a
Carpocrates, 24.a
Carrina quid & vnde dicta, 68.a.71.a
Carthuſienſes non comedunt carnes, 99.a. 127.b. 128.a. 133.b
Caſei benedictio, 100.a
Caſſander, 125.a
Caßianus martyr, 29.b
Caſtigationes reconciliatorum, quomodo accipiendæ, 55. a. Caſtigationes peccatorum in Eccleſia, vide pœnitentia & Satisfactiones.
Caſus reſeruati, 77 a.83.a
Catecheſeos exercitia, 158.a
Catonis imago, 14.b
Celerini pœnitentia, 62.a
Cerei ad reliquias Sanctorum, 9.b.10.a.b.30.b. in cultu idolorum, 16.b.17.a.42.b. Cereus Paſchalis, 152.a
Ceremoniæ dißimiles in fidei vnitate, 125.a.b.126.b.146. b. ceremoniarum veteris Teſtamenti periodus, 149.a. quatenus abrogatæ, 150.a
Chriſtophorſomus, 62.a.125.b
Chriſtum crucifixum eſſe negauit Baſilides, 6. a. diuinitas eius ab Eunomio negata, 7.b
Chriſti imaginem olim Patribus apparuiſſe, 19.a. Chriſti imago quomodo colatur à Pontificiis, 21.a. an facienda & toleranda, 22.a.25.a. Chriſti imago an Abgaro communicata, 26.a 26.b.42.b. Chriſti crucifixi imago in Berytho, 26.b. crux Chriſti inuenta, 27.a ſtatua Chriſti Cæſareæ Philippi. 27.a. 128.a. Petrus & Paulus olim cum Chriſto picti. 27. b. præter ſignum crucis etiam imago Chriſti crucifixi templis illata, 30.a. 32.b. Chriſtum ad ſignum crucis adorare, 32 a. 32.b. Imago Chriſti quomodo habita fuerit, 37.b. Maria & Iohannes cum Chriſto depicti, 37.b. de Chriſti adoratione, 39. b. Chriſtum ſecundum humanitatem adoptiuum Dei filium dixerunt Feliciani, 41. a. crucis Chriſti conſecratio, 45.b.46 a. Chriſtus nos à culpa & pœna liberauit, 47.b.48.b. 49. a. quomodo beneficia eius nobis applicētur, 48. b. paßionem & ſatisfactionem Chriſti facere imperfectam, 49 a.54.a.57.a. Chriſtum ſolum hominem eſſe docuit Theodotus, 62. a. quomodo Chriſtus dicatur tollere peccata, 73. b. meritum eius non prodendum, 108. a. Chriſtus in miraculis non imitandus, ſed admirandus, 113.a. aduentu Chriſti limitata eſt lex Moſaica, 149. b
Ciborum delectus eſt laqueus conſcientiarum, 87.a. ſuperſtitiones eum comitantes & ſecutæ, ibid. quo prætextu eæ defendantur, 87.b. cibus lugentium peculiaris, 89.b. cibo & potu animæ operationes impediri poſſunt, 91.b. non ciborum delectu, ſed abſtinentia definiendum eſt verum ieiunium. 96. a ratio victus tempore feſtorum aut ieiuniorum, 95.b. in ciborum commutatione

mutatione ieiunium ponere, 96.a.opinio neceſſitatis, cultus & iuſtitiæ in delectu ciborum poſita, ibidem. cibus mundus aut immundus vnde æſtimandus 96. b. cauſæ diſcriminis ciborum in veteri teſtamento inſtituti, 96.b. ratio conceſſorum, aut prohibitorum ciborum non à medicis eſt petenda, 96.a.96.b.cibi ſanctificatio vnde dependeat, 96.b lex de ciborum diſcrimine abrogata nobis, 97.a. propter infirmos aliquandiu tolerat as eſſe Leuiticas obſeruationes ciborum in Eccleſia Chriſti, 100.a. libertate Chriſtiana abolitæ ſunt leges Moſaicæ de cibis, 97.a. an Eccleſia poteſtatem habeat abrogata lege Moſaica de diſcrimine ciborum, nouam de eo legem ſancire, 97.b. ciborum diſcrimen, quomodo probetur ſeruandum, 98.a.99.a. Pontificij idem quod olim hæretici de ciborum prohibitione docent, 99.a.b.de conſecrationibus ciborum papatu, 94. b.formulæ conſecrationis cibi & potus apud Pontificios, 100. a. cibi ſanctificatio, 100.b 101.a. benedictio menſæ, & gratiarum actio poſt ſumptum cibum, 101.b. 102.a.prohibitiones ciborum ſub prætextu ieiunij execratæ, 103.b.moderationis in cibo & potu & aliis rebus cõmendatio, 109.a.b.in delectu & prohibitione ciborũ Papiſtæ ieiunium ponunt, 110.a. Scholaſtici de cauſis prohibiti eſus carnium, 110.a. refutatio prohibitionis ciborum, 110 b. Patres contra delectum ciborum, 110.b. de quantitate ciborum in ieiunio 110.b.111.b.de precüs Romanorum indultorum & licentiæ veſcendi cibis interdictis, 115. b. ciborum delectus tempore Apoſtolorum, 118.b.intergentes, 119.b.apud Eſſæos, 119.b.à cibis abſtinere, quia res ſint abominabiles, 122.b.126.b.128. a.de delectu & prohibitione ciborum apud Montaniſtas, 128.b.130 b.135.a. Ethnicorum abſtinentia, 119.b. Euſtachius de ciborum delectu, 134.a. quando cœperit indici & obſeruari talis abſtinentia, 134.b.135.b. ciborum diuerſæ obſeruationes, 137.b. opinio cultus in eo, 137.b. cibos non cauſare malitiam, 143.a.145.b. ſanctitatem in delectu ciborum conſtituere, 145.b. de reliquiis vide ieiunium. Item, caro, &c.
Cineres pœnitentibus aſperſi, 68.b.71.a
Circumciſionis feſtum, 158.a
Cium, 18.b
Claudius presbyter contra peregrinationes, 11.a
Claudij cum Iona de imaginibus certamen, 43. a.quis ille fuerit, & quomodo miniſterio functus ſit, 43.a.b
Clauium doctrinam peruertunt indulgentiæ, 49.a.51.a. quæ ſint, quæ per claues non tollantur, aut relaxentur, 56.b.eas tantum in terra valere, 68.a.81.b
Clemens V. 74.b
Clemens VI. 76.a
Clemens VII. 76.b
Cochab, 18.b
Coclitis ſtatua, 15.a
Cœlibatus Sacerdotum gentilium, 16.b
Cœna Domini. vide Euchariſtia.
Cœna Pontificiorum in die ieiunij, 111.a
Coitus præter naturam quomodo puniatur, 68.a. coitus cum animalibus pœna, 67.b.68.b
Collatio pro cœna in diebus ieiunij, 111.a.112.a
Collectæ, 154.b
Commodi ſtatua, 15.a
Communio. vide Euchariſtia.
Communio ſanctorum, quo extendatur à Pontificiis, 58. b.quid ſit, 59.a
Computus Eccleſiaſticus, 152.b
Concilia & Synodi, &c. Concilium Agathenſe, 63.a.68. b.Ancyranum, 67.b.69.b.70.a.135.b. Auraſicanum, 63.a. Aurelianenſe, 148.a. Cabilonenſe, 61.a.111.b. Carthaginenſe, 11.b.63.b.65.b.67.a. Conſtantienſe, 81.b. Elibertinum, 30.b.32.b.148.a. Francofordiana Synodus, 41.a.b. Sexta Synodus, 32.b.122.a.133.a.148.a. Septima Synodus, 34.a.35.36.37.38.39.40. Octaua Synodus, 45.a. Concilium Gangrenſe, 7.a.134.a. Lateranenſe, 72.a. 72.b.75.a.81.a. Lugdunenſe, 155.a. Moguntinenſe, 148.a.155.a. Nicænum, 13.a.34.a.41. b.67.a.69.b.152.b. Viennenſe, 74.b.80.b
Concilia qualia ferre poſſunt Pontificij, 34.a. conciliorum maior pars vincit meliorem, 41.a
Conciones habitæ ad monumenta Martyrum, 6.b.7.a.b. 11.b.in quolibet etiam loco, 7.a.b
Conciones habitæ ex prædicto textu, 151.a
Coniugij cum adultera pœna pœnitentiaria, 68.a.duas ſorores aut cognatas cognoſcens quomodo pœnitentiam agat, 68.b
Confeſsio peccati in publica pœnitentia, 62.b.63.64.65.
Confeſsio publica etiam occultorum peccatorum, 64.a
Confeſsio priuata coram pœnitentiario, 64.a. pro ſua conſcientia adminiſtrorum communionem non præmiſſa confeſſione accedere, 64.a.ante aut poſt confeſſionem & abſolutionem ſatisfactiones imponi, 65.a
Confeſsionalia quid, 76.a.b
Conradus VVimpina, 81.a.82.b.85.b
Conſcientiis laqueos iniicere ſine Scriptura, 49.a
Conſolandi reſipiſcentes, 53.a
Conſtantinopolin translatæ reliquiæ Sanctorum quorundam, 8.b
Conſtantinus reliquias Sanctorum tranſtulit ad monumenta celebriora, 8.a. imagines multas fieri curauit, 26.a.27.a. de Baptiſmo Conſtantini & Baptiſterio ab illo facto, 27.a.34.b. de clauo Chriſti frenum ſibi fecit, 27.a quomodo ſe depingi fecerit. 28.a. ſignum crucis ei apparuit, 28.b. vexillum eius forma crucis, 28.a
Conſtantinus Leonis filius per Synodum omnes imagines abolet ac damnat, 33.b. corpus Conſtantini effoſſum Irene cremauit, & cineres in mare diſperſit, 34.a
Conſtantini filij interfectrix mater Irene, 34.a
Conſtantini imagines, 15.a
Continentia quid, 107.a. vtilitas eius, 113.a
Cõtrouerſias dextre aut minus dextre diiudicare, 138.a.b
Conuentus Eccleſiaſtici in veteri Teſtamento, 149.a. in nouo Teſtamento, 149 b.150.a. in veteri Teſtamento ad certas circumſtantias erant alligati, 150.a. ordo & decorum in conuentibus Eccleſiaſticis, 150 a. tempus conuentuum, 150.b. ſanctificatio eorum, ibid. libertas dierum, 150.b.155.a. quotidiani conuentus Chriſtianorum, 150.b.155.b. dies dominica ab Apoſtolis deſtinata ſacris conuentibus, 151.a.155.b
Conuentuum ſacrorum propria exercitia, 151.a. habiti etiam ſunt quinta & ſexta feria conuentus ſacri, 151. b. diuerſa tempora conuentuum ſacrorum, 157.a
Conuentus Eccleſiaſtici Brunſuigæ, 157.b
Coronæ mortuis oblatæ, 8.a.9.b. idolis impoſitæ, 16.b
Corporum humanorum in hac vita ſanctificatio, 2.a. in futura vita glorificatio, ibidem. abiectio poſt mortem, 2.a. 6.a 8.a. redemptio per Chriſtum, 2.a. regeneratio per Baptiſmum, ibidem. percipimus etiam corpore Euchariſtiam, 2.a. ſunt domicilia Spiritus ſancti, 2.a. per corpora Sanctorum Deus multa facit, ibid. Deum glorificamus in corpore noſtro, 2.a. quæ ſunt per naturam, & quid per gratiam, 2.b. corporum honorifica ſepultura, 6.a b.8.b 9.a. translationes eorum, 4.a.8.a. b.9.a. corporis affectiones impedire & iuuare poſſunt operationes animæ, 91.b. cura coporis debita, 91.b
Coſmæ imago, 37.b
Crapulæ fructus, 91.a.108.b
Creaturarum benedictiones Papiſticæ, 109.a
Crucis ſigno ſe ſignare, 28.a. vexillum Conſtantini forma crucis,

crucis,28.b.ſignum crucis Conſtantino apparuiſſe,28. a.ſignum crucis duobus lignis formari cœptum, ſed ſine addita imagine,28 a.b.cultus crucis, 28.b

Crucis Chriſti miraculum,40.b.per crucem Chriſti quid veteres intellexerint, 42.b. 44. a. adoratio crucis à Iona inuecta, 44.a. quomodo adoretur in Eccleſia Romana,45.b. quomodo conſecretur vt virtutem iuuandi adorantes habeat,45.b.46.a. quomodo inuocanda ſit, 45.b. crucis piorum vtilitas, 55.a.dulcem crucem facit quod nomen habet paſsionum Chriſti, 58 a.ſanctæ crucis Eccleſia Romana, 80.a

Culpæ remiſsio Vide pœna.

Cultus ex Scriptura iudicandi, 1.a. occaſione miraculorum nouos cultus ſine verbo inſtituere, 10.a.b.13.a. cultum in idolatriam degenerare,17.b. in cultu non recedendum eſt à via quam præcepit Dominus, 20.b. 21.a.cultus externus & internus, 20.b.21.a abſentem non eſſe colendum ,25.a.cultus nouos ex miraculis ſine inſtitutione effingere,4.a.electitij cultus quantumuis ſpecioſi reiiciuntur, 5.a.b. cultum omnem vulgo non velle explicare,17.a. cultum facere bona intentione, 38.b. cultus non inſtituendus ex conſuetudinibus & & rationibus humanis, 40.b

D.

Dagon, 18.a

Dæmones vnde ſint,16.a.officium eorum, 15.b

Damaſi Pontificale, 27.a

Damiani imago. 37.b

Decimas omnium dantes,etiam temporis, 113.a

Definitio optima, quomodo & vnde conficienda Theologo, 88.b

Defectionis authorum pœnitentiæ, 67.b

Dei imaginem aliquam non faciendam eſſe, 15.b

Deus primus & magnus ſub ſe habens Deos minores, & hos alios bonos,alios malos,15.b.cur gentibus placandi Dij fuerint,16.a. Deorum imagines in templis poſitæ, 16.a.variæ formæ Deorum, 16.a. an quia Deus in certis formis appareat, idcirco à nobis etiam ſit efformandus, 19.b

Deus vbique, 25.a

Demetrij cineres tranſlati, 8.a

Demoſthenis ſtatua, 15.a

Dentium dolores curare, 12.a

Detractionis pœnitentia, 68.a

Deuotio in ſuperſtitionem degenerans, 10.a.11.b.12.a

Dies obſeruare, 112.a.113.a.129.a.b.131.a.b.130.a.

Dies in horas diſtributio in Papiſtarum cultu, 111.b

Dies Dominica ſacris cœtibus deſtinata,151.a. non tamen præcepto aut neceſsitatis opinione nobis eſt impoſita. 151.a.Chriſtianis in primitiua Eccleſia obſeruata,151. a.diei Dominicæ exercitia propria,149.b.150.a. quare ſit Chriſtianis feſtiua,151.a.151.b.155.a.155.b. ſanctificatio& ſanctitas eius,156.a.violatio eius,156.a.b.quomodo habeatur Brunſuigæ,157.b. certæ lectiones eius, 158.a.b

Diocletiani ſtatua, 15.a

Dionyſius Areopagita de imaginibus, 26.b

Diſciplinæ Eccleſiaſticæ forma, 51.b.52.a.53.b.55.a. hæc erat ſtudioſe reducenda,63.b.66.a.b. nimia eius commendatio,66.b.collapſæ eius cauſa, 116.a

Diuinatorem conſulens quandiu pænitentiam agat, 67.b

Doctrinæ inclinatio quomodo fiat, 108.a

Dogmata è Scriptura iudicanda, 1.a. 113.b.omiſſo verbo Dei è miraculis dogmata fingere, 9.a.è conſuetudinibus & ratiocinationibus humanis dogmata affingere, 41.a. dogma aliquod ſolius Eccleſiæ authoritate niti, 73.a

Domitiani ſtatuæ, 15.a

Durandus, 45.b.48.b.49.b.81.a.111.b.112.a.114.a

E.

Ebrietatis pœnitentia,68.a.fructus, 89.a.108.a

Eccius, 85.b

Eccleſiam non poſſe errare,73.b. Eccleſiam poſſe indulgentias dare, quatenus non errat,82.a.82.b. Eccleſiæ Romanæ ſtatuta omnibus fidelibus ſeruanda obtendere, 87.a. 99.b. Eccleſiæ debita obedientia, 98. a.Eccleſiam non agnoſcere, vbi non ſint reliquiæ Sanctorum, 11.b.Eccleſiam virtualiter eſſe Pontificem Romanum, 50.a.Eccleſiarum ad quas venimus, ritus obſeruandi, 140.a

Edeſſenorum in imagine Chriſti, quam habuerunt fiducia, 26.b

Eduardus,Rex Angliæ,dentes Apolloniæ colligit, 12.a

Egidius Romanus, 73.a

Eginardus, 41.b

Eiſingrinius, 3.a

Eleemoſynis peccata velle redimere,69.b.117.a.b.ad colligendas eleemoſynas indulgentiæ propoſitæ, 72.a.Eleemoſynarum contributiones in conuentibus ſacris,150. a 151.a

Eleuſynia ſacra, 119.b

Encœnia veterum, 149.b

Encratitæ, 127.b

Ephemerides, 152.b

Epiphania, 154.a.158.a

Epiſcopum à presbytero nihil differre, 136.b

Eſſæorum ieiunia & abſtinentia, 120.a

Euchariſtiæ ſanctitatem iuuare reliquiis Sanctorum, 1. b.percipitur ea etiam corporibus noſtris,2.a.ad ſepulchra Sanctorum adminiſtrata,9.a. poſt publicam pœnitentiam iterum lapſis non data fuit, niſi in extremis,63.a.69.b.præmiſſa confeſsione aut eadem omiſſa ad communionem accedere, 63.a.b. pœnitentibus nondum etiam peracta ſatisfactione in extremis eſt data, 63.b. etiam his data eſt, qui tunc primum conuerterentur, 65.b.67.a. interceſsione ſua alicui communionem impetrare, 69.b.70.a. Pœnitentes ante impletam ſatisfactionem ad communionem admiſſi,70.a. ad Paſcha ſolennior communio habita,103.a. ad communionem accedentes, pridie vel à cœna abſtinent,vel quam parciſsime cœnant, 116.a. fuit ſæpe ad feriam quartam & ſextam adminiſtrata, 124. b. 136.b. liberum eſt Chriſtianis quemcunque diem ei deſtinare,150.b. die Dominica adminiſtrata, 151.a.151. b.diuerſis diebus celebrata, 151.b.153.b. Cœnæ Domini feſtum, 158.a

Eugenius IIII. 77.a

Eunomius & Eunomiani, 7.b.8.a

Euripides, 119.b

Euſtachius,7.b.Euſtachij abſtinentia, 133.b.135.b.137.a

Eutychiani de imaginibus, 36.a

Excommunicatio papalis,33.b.39.a. veræ excommunicationis ratio,proceſſus & finis,52.a.b.61.b.62.a.b.63.b. excommunicatorum receptio, 52.b. communio cum excommunicatis quomodo puniatur, 68.a

Exequias non tollunt indulgentiæ, 77.a

ἐξετάζεσθαι, 26.b.66.a

ἐξομολόγησις, 62.b

F.

Feliciana hæreſis, 41.a

Feſta Deorum gentilium, 17.a. feſtorum celebratio indulgentias meretur,74.a. feſta veteris Teſtamenti à

Deo ad quid inſtituta, 149.a. Deus feſta ſua certis ceremoniis, & aliis circumſtantiis circumſcripſit, 149.a.150.a. ſanctificatio eorum, 150.a.150.b.156.b. libertas dierum feſtorum in Chriſtianiſmo agendorum, 150.b. 152.b. feſtorum veteris Teſtamenti abrogatio, 150.a. propria feſtorum in Eccleſia Chriſti exercitia, 151.a.b. 152 a. Apoſtolos non tuliſſe leges de feſtis, 146 b. ex obſeruationibus eorum leges eſſe factas, ibidem. de feſtis tanquam de vita ſæpe decertant, qui tamen ſcortationem indifferentem habent, ibidem. feſtum Paſchatis, 152.b. Pentecoſtes, 149.a. Aſcenſionis, 153.a. de cauſis feſtorum, 153.b.155.b. feſtum natalis Chriſti, 154.a. Epiphaniorum, 154.a. martyrum, 154.a. primitiuæ Eccleſiæ feſta, 154.b. feſtum dedicationis templorum, 154.b. cumulationes feſtorum, 154.b.155.a. feſtorum qualis apud Chriſtianos obſeruatio, 155.b. feſtorum hiſtorias & certas lectiones retinere, 155.b.158.b.157.b. merita eorum, 155.b. pietas non in feſtis tantum exercenda, 156.a. quæ opera diebus feſtis prohibita, 156.a. quando inchoandæ feriæ, 157.a. vigiliæ feſtorum, ibid. quid præcipue ſpectetur & agatur in feſtis Pontificiorum, ibid. opinio neceſſitatis feſtorum, ibid. multitudo feſtorum Papiſticorum, ibid. gentilium ſolennia ſacra, 157.b. feſta quorum non extat hiſtoria in Scripturis, ibid. Sanctorum feſta celebrari ad promerendum patrocinia eorum, ibidem. conſecrationes luminarium herbarumque in feſtis, ibid. Ludicræ Papiſticorum feſtorum ceremoniæ, ibid. quæ feſta in Brunſuicenſi Eccleſia celebrentur, 157.b
Fides eadem omnes ſaluandos iuſtificat, 11.a. fides in imagines, 37.a. quomodo alij ad fidem Sanctorum imitãdam ſint inuitandi, 42.a. fidei articulos facere ſine verbo Dei, 48.b.49.a.82.a. fidei doctrinam ſubuertunt indulgentiæ, 49.a.b. fides organum eſt quo applicatur nobis meritum Chriſti, 49.a. fidem metu periculi abnegantium, pœnitentia, 67.b.69.b. fidei fundamentum eſt verbum Dei, 102.b. fidei doctrina per nimias laudes obſcurata, 108.a
Filiam ſpiritualem cognoſcens, 69.a
Fine rei obſeruato recte de ea poteſt iudicari, 142.b.94.a
Flagelliferi pœnitentiarij, 71.a
Floribus conſperſa funera, 9.b.10.a. idola ornata, 16.b
Florum benedictio, 100.a
Fornicationis pœnitentia, 68.a. fornicatio cum ſanctimoniali, 68.a
Fortalitium, 82.a
Forum pœnitentiæ, 51.a
Forum Dei aut Eccleſiæ, 73.a
Franciſcus Maioranus, 47.a
Franciſcus Maironis, 73.b.75.b
Franciſci indulgentia plenaria, 78.b
Francofordiana Synodus, 41.a. acta eius ſuppreſſa, 41.b. conceſſit imagines, ſed cultum eorum damnauit, 42.b. fundamenta eius & refutationes contrariæ doctrina, 42.a.b. anno 764. fuit celebrata, 43.a
Frondium benedictio, 100.a
Frugalitas, 89.a.109.a.b. hoſtes eius, 117.a
Fulgoſius, 15.a
Fundamentum firmiter retinendum, 108.a
Funerum curationes, 3.a.8.a.b
Furto impoſita pœnitentia, 68.a

## G.

Gabriel, 114.a
Galli à cultu imaginum alieni, 43.a.b
Germani à cultu idolorum alieni, 15.b.42.a.42.b.43.b
Germanorum ieiunia, 116.b
Germaniæ grauamina, inter quæ etiam ſunt indulgentiæ, 85.a
Germanorum credulitas, 83.b
Gnoſtici, 23.b
Gorgiæ ſtatua, 15.a
Grachi ſtatua, 15.a
Græci cum diu ſuper imaginum adoratione diſputaſſent & perſecutiones eſſent paſſi, tandem præualere eam in Eccleſia ſua ſinunt, 45.a
Gratia idem quod indulgentiæ, 47.a
Gratiam Dei in reliquiis Sanctorum quærere, 1.b.5.b.10.a. vbi & quomodo velit eam Deus quæri, 5.b. quod Deus per gratiam remittit, hoc Pontificij retinent & precio à ſe emi ſinunt, 49.a.b. gratiæ retinendæ ſtudium, 55.a
Gratiarum actione cibos ſanctificari, 101.a. gratiarum actio poſt cibum ſumptum, 101.b
Gratianus, 67.a.b.68.b.118.a.b. nihil habet de indulgentiis, 60.a
Gregorius II. 33.a
Gregorius III. 33.b
Gregorius VII. 99.a
Gregorius XI. 76.b
Gregorius Ariminenſis, 73.a
Gregorius Neocæſarienſis, 41.a
Gropperus de nimia commendatione pœnitentiæ publicæ apud Patres, 66.b
Gulæ fructus, 89.a.108.b
Gula Pontificiis familiaris, 111.a

## H.

Hæreſes deſcribere ſecundum præconceptas opiniones, 130.b
Hæreſes attribuere iis, quos refutare non poſſis, 136.b
Hæretici communicantis pœnitentia, 69.a
Haimo, 144.a
Halberſtadenſis Adami hiſtoria, 71.a.159.a.b
Harmodij ſtatua, 15.a
Helena crucem Chriſti inuenit, 27.a
Heliogabili ſtatua, 15.a
Herba ἀλεξιφάρμακος ad imaginem Chriſti inuenta, 27.a.b
Hermas de ieiunio, 123.b
Herodotus, 16.a
Heroes in templis ſepulti, 37.b
Hieronymus Pragenſis, 81.a
Hieroſolymam viſere, 9.b.10.b.72.b
Hildeſia, 78.b
Himmarus, 41.b
Hiſtoriæ Eccleſiæ non fideliter deſcriptæ, 130.b. hiſtoriæ certaminum, 133.a
Hogoſtratus, 87.b
Homeri ſtatuæ, 15.a
Homicidio cuiuſcunque generis impoſita pœnitentia, 67.b.68.a.b.69.b
Hominis miſeria & vanitas, 2.b
Horarum ſupputatio, 111.a.b
Hoſpes quomodo acceptus à Spiridone, 134.b.135.a
Hoſpitalium bona per propoſitas indulgentias cumulare, 72.a.74.b.78.a
Humiliatio noſtri in ieiunio, 92.a.b.98.b
Hypocriſis plurimum obeſt bono, 117.a
Hyſſopi vſus, 119.b 120.a

## I.

Iacobi Apoſtoli thronus Epiſcopalis, 9.b
Iacobus Angularis, 49.b.60.a

Iconoma-

Iconomachi, 33.a.b

ἰδιωτισμὸς, 125.b

Idola.vide imagines.

Idolis ſacrificantium pœnitentia, 67.b.

Ignis Perſarum, 19.b

Ignis perpetuus in cultu Ethnicorum, ibid.

Ignem è ſolis flamma elicere, ibid.

Igni apparuit Deus, ibid.

Ieiunia facta diis gentium. 14 a. Ieiunia varia pœnitentium,68.a.b. Ieiunij ſoluti pœnitentia, 68.a.Ieiunij leges ſunt laquei conſcientiarum, 87.a. ſuperſtitiones quæ acceſſerunt, ibidem. quomodo prætextu defendantur, 87.a. Ieiunium per ſe non eſſe impium, nec pertinere ad traditiones humanas, ſed habere fundamentum Scripturæ,87.b.88.a.b.103.b.Ieiuni qui dicātur,88.b.Ieiunium miraculoſum,88.b.143.a.Ieiunare à peccatis, id eſt, abſtinere, 89.a. Ieiunium ſpirituale, ſeu allegoricum,89.a. verum quibus rebus conſtet ac definiatur, 89.a.b.90.a.b.144.a. 147.a. propriiſsime ſic dictum in Scriptura eſt cum prorſus abſtinetur à cibo, 89.b. non conſtat prohibitione & abſtinentia certorum ciborum,89.b.103.b.104.a.105.a.130.b. Deo probatur ſi ſit pœnitentiæ & orationi coniunctum,91.a.per ieiunium caro Spiritui ſubiicitur, 91.b.142.b. non eadem carnis caſtigatio omnibus imponi poteſt, 91.b.92.a. Ieiunium in ſeriis pœnitentiæ exercitiis adhibendum, 92.a. Ieiunantium luctuoſi geſtus, 92.b. Ieiunij luctus admonet de magnitudine iræ Dei & peccatorum, 93.a.103 a. vſus ieiunij fuit in precibus ſolennioribus & ardentioribus,93.a.103.a.b. Ieiunium obſeruatum eſt tempore publicorum conuentuum Eccleſiaſticorum,94.a. Ieiunij definitio vnde conſtituenda,88.b.94.a. abſtinentia non per ſe, ſed ſecundum fines debitos pro ieiunio vero eſt habenda,94.a.104.a.107.b.108.a.114. Ieiunium quod Deus aut negligit, aut etiam abominatur, 91.a. vnum ieiunium ſtatum in veteri Teſtamento, 94.a. Ieiunium ante Paſcha olim & nunc,94 b.103.a.105.a.111.b.112.a.121 b. Ieiunium opinione cultus & neceſsitatis obſeruare, 87.a.94.b.95.a. quando ieiunandum vt recte fiat, 94.a. 95.a. non delectu ſed abſtinentia cibi æſtimandum,95.b. Ieiunantes ad veſperam vſque quomodo tandem cibati, ibidem. Papiſtæ in ciborum commutatione ieiunium ponunt, 96.a. Patrum de ieiunio doctrina, 103. &c. rebus arduis agendis præmiſſum ieiunium,103.a.b. Scriptura ad nimiam ieiunij commendationem violenter detorta, 103.b. hinc ſub prætextu ieiunij prohibitiones ciborum exortæ, 103.b. leges ieiuniorum, 104.a. quod ſit verum ieiunium,104.b.105.a b.106.a.Ieiunij vis à Patribus rhetorice nimis amplificata, 105.b. Ieiunium ſubordinandum pœnitentiæ & orationi,106.a.107.a b. Ieiunium pro ſatisfactione, & expiatione peccatorum habent Ieſuitæ,106.a. de meritis ieiunij, 103.b.106.a.107.a.b.Operi operato ieiunij tandem ea tributa ſunt, quæ ſunt merita Chriſti, 107.a. Ieiunij abuſus ad fines malos,108.a. per ieiunij nimias laudes deprauata eſt doctrina pœnitentiæ, fidei, meriti Chriſti, & iuſtitiæ gratuitæ,108.a. quibus graue eſt ieiunium, illis temperantia & ſobrietas tamen eſt ſectanda, 108.b.idem ad excitandam pietatem facit temperantia & ſobrietas, quod ieiunium, 109.a. Pontificiorum doctrina de ieiunio ſcripturæ prorſus eſt contraria, 111.b. Pontificij ieiunij definitio, 109.b. abdicationem deliciarum non vrgent fieri in ieiunio, 110.a. ponunt illud in diſcrimine & prohibitione ciborum, ibid. tempus refectionis in diebus ieiunij,111.a. in quadrageſimali ieiunio prorſus receſſerunt Pontificij ab antiquitate, 114.a. in prandio cœnam, & pro cœna collationem habent tempore ieiunij, 111.b.quid & quantum cibi & refectionis ſumere liceat in diebus ieiunij, 111.b. non ieiunia ſed ludibria ieiunij habent Pontificij, 112.a. certa ieiunij tempora conſtituunt cum opinione neceſsitatis, 112.a. leges legalium ieiuniorum ſunt abrogatæ,94.b.97.b.113.b. Pontificiorum alia ſunt aſſumpta, alia votiua, alia iniuncta, alia indicta, alia conſilij, alia conſuetudinaria, alia extraordinaria, 112.b. ieiunia indicta per annum integrum, ibid. de ieiunio quadrageſimali, 113.a.124.125. vide quadrageſima. De ieiunio quatuor temporum, 113.b.147.b.148.a. de opere operato, fine, fructu & merito ieiuniorum Pontificiorum, 114.a.b.115.a.b.131.a.b.138.a.141. Tridentini diſsimulant ſatisfactiones in ieiunio à ſcholaſticis poſitas,114.b. de diſpenſationibus Pontificus in ieiuniis,115.a qui à ieiunandi neceſsitate excipiantur, 115.a. nundinationes diſpenſationum ieiunij, ibidem. redemptio indultorum & licentia veſcendi cibis prohibitis tempore ieiunij, 115.b. in Euangelicis Eccleſiis ieiunium verum manere, papiſticum eſſe ſublatum, ibidem. aliud ieiunium virtutis, aliud Eccleſiæ,116 a. ieiunij cognata, itemque contraria & hoſtes à dextris & ſiniſtris, 117.a. hiſtoria certaminum de abſtinentia & ieiunio, 125.a. certamina ſcripturæ contra ſuperſtitiones ieiunij, 117.b.in ſcriptura non inueniuntur ludibria ieiunij, vt in papatu, 117.b 139.a 143.a. ieiuniorum opus operatum, merita, leges, 117 b.118. &c.138.a.b.143.b 144.b.147.a.b.148.b. ſuperſtitiones in ieiuniis non ſunt nouæ, 119.a. Eſſæorum, 120.a. ieiunium triduanum, ibid. nomine Apoſtolicæ traditionis ieiunia venditare,120.b.121.a. Contentio de ieiunio Sabbati, 123.a.140 a.148.a. de moderato ieiunij vſu, 126.a.140 a. ieiunium in pane & aqua,126.b 131.a. Montani leges de ieiunio,128.a.131.a.139 a b. opiniones eorum de effectibus & virtute ieiunij,129.a.b. ieiunij ſuperſtitioſi improbatoribus obiicere intemperantiæ & gulæ ſtudium, 130.a. Eccleſia vſque ad tempora Tertulliani de ieiunio doctrina, 130.b.131.a. ab Ethnicis ieiunium diſcere, 130.a.132.a. opinione perfectionis ieiunare, 99 a.127.a.132.133.a. ieiunium diei Dominicæ, 133.a.b.134.a.abſtinentiæ admiratio fecit conſuetudinem ieiunandi,134.b.135.b. quando cœperint indici & obſeruari ieiunia, 134.a.b 135.a. communia Eccleſiæ ieiunia contemnere, 128.a.133.a b.134.a.137 a.libertatis & neceſsitatis pugnantia, 125.a b.141.a. Baſilius per commendationes & exhortationes ieiunium obſeruari fecit,135.b. Epiphanius leges de eo fecit & Eccleſiæ obtruſit,136.a.ieiuniorum liberæ obſeruationes, 103.a.105.a.125.a.b.128.b.130.b.132.b.134.a.137.a.140.a.141.a.146.a. 153.b. diuerſæ obſeruationes ieiuniorum, 137.b.140.a.146.b. tempus ieiunij, 140 a.de ieiunio quartæ & ſextæ feriæ, 113.b.124.b.126.a.130.b. 131. a.136. b. 139. a. 140. b. Lautitiæ in ieiunio, 113.a.110.a.139.a.b.141.143.146.b. Imago Pontificij ieiunij apud Auguſtinum, 141.b. moderatum ciborum vſum in ieiunio non eſſe peccatum,142.a.139.b.nec in manducando nec in abſtinendo eſſe iuſtitiam, 142.a. æmulationes in ieiuniis,148.b. ieiunium eſt res adiaphora, 140.a.143.a. ieiunium eſſe poſtremam virtutum,143.a.ieiunum audire conciones,142.b.non ſimpliciter exigitur ieiunium, ibidem. habere leges ieiunij, 146. a. ieiuniorum ſuperſtitioſæ leges & opiniones per Pontificum & Conciliorum decreta cumulatæ, 147. b. quo tempore inclinare cœperit ſana de ieiuniis doctrina, 147.b. operum cultus in ieiunio poſitus, 137.b.148.a. ieiunij &

*ſtationis diſcrimen,148.a.ieiunium rogationum,ibid. vigiliarum ieiunium,ibid. Miſſa circa tempus veſpertinum habita in ieiuniis, ibid. de reliquiis.vide, cibus, caro,&c.*

*Ieremiæ reliquiæ,* 9.b

*Imaginum vſus ad religionis, aut pietatis partem aliquam non pertinet, 13 b. dimicationes variæ de vſu imaginum,ibidem. non eſſe ferendas in templis, 13.a. non feres eas etiam in locis priuatis,ibid.neceßitatem non faciendi,aut habendi,aut tolerandi eas conſcientiis imponere,13.b.pietatis partem in demolitione earum & vacuitate ab illis ponere,ibidem. neceßitatem facere habendarum & retinendarum illarum, ibid. religionis & pietatis bonam partem in illis ponere, 13.b.de honore & cultu illis exhibendo,13.b.21.a.quomodo colantur à Pontificiis, 13.b. Lutherus inter adiaphora ponit eas, quæ veras & vtiles hiſtorias repræſentant, 13. b. 23. b. quid de his faciendum quæ ad ſuperſtitionem & cultum adhibentur, 13. b. de vſu imaginum apud Ethnicos, 14. a. ſimulachrorum inuentio eſt initium fornicationis ſpiritualis, ibidem. vſus eorum politicus apud gentes fuit, hiſtoriæ & grata memoriæ cauſa, 14.b.25.a. virtutem accendi imagines maiorum inſpiciendo,14.b.41.b.ſtatuas poſitas eſſe bene meritis hominibus, 14.b.fuiſſe eas amoris & honoris indicia, 15.a. vſus imaginum apud gentes ſuperſtitioſus & idolatricus, 15.a. Deorum cultus per ſimulachra aut ſine illis, ibidem. templa gentium olim abſque ſimulachris fuerunt, ibidem. ſimulachra & eorum vſus vetitus apud quoſdam in gentiliſmo, 15.b. in ſtoliditate ſimulachrorum ipſos Deos facile contemni, ibidem. poſteriores gentes totam religionem ſuam ad ſtatuas & imagines alligarunt, ibidem.ſimulachra artificioſe fabrefacta, 15.a.16.ſtatuarum variæ formæ, 16. a. conſecratio earum, 16.b. Spiritus in ſtatuis, ibidem. varij honores & cultus idolis exhibiti, 15. a. 16.a. 21.b. cultus idolorum apud gentes & in papatu ſimilimus, 16. b. quomodo Pontificij defendant ſe non ſimiliter vt gentes idola colere, ibidem. cultum ſtatuarum tam gentes quam pontificios non in materiam & formam idolorum, ſed in numen aliquod contuliſſe, 17.a. imagines habere pro libris & literis, 17.a. 31.a.b. ſcripturæ ſententia de imaginibus,ſimulachris & ſtatuis, 17. b. gentium idola in ſcripturis deſcripta, ibid. Scriptura ea ridet & damnat, 17.b.19 a. ſimulachra translata ad cultum veri Dei etiam reprehenduntur in ſcriptura, 19. a. b. Andradij ratiocinatio pro cultu imaginum, 19. a. cultus ad ſtatuas non alligandus aut exercendus, 21.a. quomodo Pontificij eludere conantur legem de ſimulachris, 21.a. An ſimpliciter omnis factura & vſus imaginum prohibeatur,21.b.an in templis prohibitus ſit omnis imaginum vſus,22.a.an Dei & Chriſti imagines ſint faciendæ & tolerandæ,22.b.Iudæos non toleraſſe ſtatuas in templo,ibid.prorſus etiam alias imagines noluiſſe tolerare,23.a.pios non contaminari tolerandis imaginibus idolatricis ſi eas legitime non poßint tollere,23.a. imagines à Theodoſio abolitæ aut relictæ, 23.b. Chriſtus & Apoſtoli non adhibuerunt imagines ad propagationem doctrinæ,ibidem. in primitiua Eccleſia non fuit vſus imaginum, ibid. hæreſes cultum imaginum defendentes, ibidem. diſcrimen cultus gentilium & Chriſtianorum ad ſtatuas, ibid. primitiua Eccleſia in oratoria non admiſit imagines aut Sanctorum ſtatuas,24.a.Chriſtianos non habentes ſtatuas iniuſte Perſis conferri, 24.b. veteres cur iniquiores imaginibus fuerint & ſimpliciter eas reiecerint, 25.a. b. homines potius ab imaginibus quam has ab illis adorandas eſſe,25 a. ſimulachrum à ſimulando,25.b. Patres non ſubſtituiſſe alias imagines in locum earum quas reprehenderunt, 26.a.b. vſque ad Conſtantinum non fuiſſe imagines in templis,26.a.de imagine Chriſti fabulæ,26.b.hiſtoricus imaginum vſus in primitiua Eccleſia, 27.a.b.28.a 34.a.42.a. peregrinationes ad ſtatuas,27.b.ſtatua Chriſti Cæſareæ Philippi,27.a.b.30.b.Signum crucis,28.a. vide etiam crux,&c. picturæ hiſtoriarum & carminum in templis quando & quomodo cœperint,29.a.b.ſtatua Chriſti in templo poſita,29.b. Signum crucis in templa illatum,30.a.contradictum imaginum introductioni in templa,30.a.b.imagines in Eccleſiis multiplicatæ, 31. a. Gregorius etſi imagines voluit eſſe libros laicorum, tamen adorationem earum damnauit,* 31.a

*Imagines ſcripturæ non eſſe æquandas,multo minus præferendas, 31.b. 42.a. b. per imagines vox verbi Dei in papatu conticuit, 31. b. ſeminaria cultus imaginum tempore Gregorij,32 a. Imaginum adorationem impugnantes,pro hæreticis fuerunt traducti,32.a.40.b. quomodo imago Chriſti crucifixi in templis poni cœperit, 32. b. Cultus & adoratio imaginum quomodo & quando cœperit, 33.a. Certamina de imaginibus cruenta & eorundem vera cauſa, 33. a. b. Synodus Conſtantiniana ſimpliciter omnes imagines damnauit, 33. b. ſeptima Synodus adorationem & omnem cultum imaginum ſtatuit, 34.a. Synodus ſeptima de hiſtorico imaginum vſu recte iudicat, ſed cum hoc adorationem confundit, veterum ſententias abſurde allegat, pro fundamentis cultus imaginum habet figmenta fabulasq́ꝫ, ineptißime ſcripturas allegat, vt adorationem imaginum ſtatuat, 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. alienos à Chriſtianiſmo fuiſſe offenſos cultu imaginum Chriſtianis vſitato, 36. a. venerationis & adorationis, quam ſeptima Synodus imaginibus tribuit, exempla, 37.a. miracula ad imagines aut per imagines facta, 37.a.b. 40.a.42.b. quomodo Tridentini ſuperſtitiones & impietatem circa imagines ſtabiliant, 38. b. adorationem imaginum bona intentione fieri, ibidem. eſſe traditionem Apoſtolicam,39.a. quomodo patrum teſtimoniis probetur,39.a.b.ex hiſtorico vſu imaginum non probatur adoratio earum,39.a.an honor idem exhibendus imagini qui prototypo referatur,39.b.40.a.43.a.b.45.b. Francofordiana Synodus imagines concedit ſed cultum earum damnat,41.a.b. Imaginum multitudine populum tam noui teſtamenti quam veteris fieri deteriorem, 42.a.Imagini dicere:hic eſt Chriſtus, 37.b. 41.a.Imagines Euchariſtiæ conferre,42.b. an lignum crucis adorandum quia Chriſtus in tali forma ligni paſſus ſit,44 a.Turbæ & perſequutiones in Græcia ob impugnatum cultum imaginum,44.b.In octaua Synodo adoratio imaginum ſtabilita, 45.a. Scholaſtici in Romana Eccleſia adorationem imaginum ſtabiliuerunt,45.b.46.a.Imaginum conſecratio in pōtificali, & earundem varia virtus ex conſecratione,45.46.a. formulæ inuocationis imaginum,46.a.vota facienda & peregrinationes ſuſcipiendæ ad certas ſanctorum ſtatuas,46.a.quomodo ſe Tridentini adorationi imaginum conforment,* 46.a

*Imperium firmum conſtituere velle per reliquias heroum,* 9.a

*Impunitatem ſibi polliceri per opera ſua,* 70.a

*Inceſtus quomodo puniatur,* 68.a

*Indulgentiæ occaſionem dederunt ruinæ Regni Pontificij & purgatæ doctrinæ noſtro ſeculo, 46. b. Impudentia Tridentinorum in ſtabiliendis indulgentiis,47.a. Indulgentiæ quid ſignificent in Eccleſia,ibi.quid papiſtis*

in hac diſputatione, ibidem. Summa commenti Pontificij de indulgentiis, 47.b. quomodo redimantur indulgentiæ, ibidem. Indulgentiæ à culpa & pœna ex theſauro Eccleſiæ ſumptæ, hoc eſt, ex operibus ſupererogationis ſanctorum, 47.b. 48.a.b. Indulgentias è ſcriptura non poſſe doceri, papiſtæ etiam fatentur, 48.b.50.b.52.a. Non igitur ſunt recipiendæ, 48 b. quomodo ſummos & præcipuos doctrinæ Chriſtianæ articulos conuellant, 49.a. pugnant contra meritum Chriſti, ibidem. contra remiſſionem peccatorum gratuitam & plenariam, ibidem. contra doctrinam de clauibus, 49.b. contra doctrinam de fide, ibi. contra doctrinam bonorum operum, ibid. nundinatio indulgentiarū expreſſe damnata in ſcripturis, 50.a. doctrinam iuſtificationis & ſalutis per indulgētias peti, 50.a. quo ſpiritu agantur Tridentini in propugnandis indulgentiis, 50.a. de conquiſitis è ſcriptura teſtimoniis pro indulgentiis, 50.b. &c. Eccleſia poſt Chriſtum amplius mille annos ignorauit indulgentias, 51.b. probatio earum ex locis de abſolutione pœnitentium, 51.52.53. ex locis, de reconciliatorum calamitatibus loquentibus, 54.a. ex mitigatione pœnarum, 55.b. Indulgentiæ non poſſunt condonare aut relaxare nouam obedientiam, nec mortificationem ſpiritus, nec afflictiones, quæ tria Deus imponit reconciliatis, ſed tantum ea quæ ipſis hominibus imponuntur, ergo non niſi obſoletas & fictitias pœnas remittere poſſunt, 56.a.b. ex eo quod Paulus impleri dicit quod deeſt paſſionum Chriſti, 57.a. ex retributione pro acceptis beneficiis ſpiritualibus, 58.a. ex articulo de communione Sanctorum, 58.b. fuiſſe illas antiquitati & vniuerſæ veteri Eccleſiæ per annos fere mille ducentos prorſus ignotas, 59.b. Omnis indulgentiarum exiſtimatio pendet à purgatorio, 61.a. contra eas pugnare omnem antiquitatem, ibidem. nerui earum ſunt pecunia, & peregrinationes, 60.b. Impudens iactatio de indulgentiis quod à Chriſto ſint Eccleſiæ conceſſæ & antiquiſſimis temporibus vſurpatæ, 61.a. ex ritibus canonicarum ſatisfactionum fruſtra indulgentias probari, 61.&c. de quæſtu indulgentiarum magis ſolicitos eſſe Patres Tridentinos quam de vera diſciplina Eccleſiaſtica, qualis olim fuit, reducenda, 66.b. Indulgentiæ olim dicebantur relaxationes mulctæ pœnitentiariæ, 67.a. ex abrogatis veteribus ſatisfactionibus & ſurrogatis nouis indulgentiæ natæ ſunt, ibidem. Indulgentias olim nil aliud fuiſſe quam moderationes, relaxationes aut remiſſiones mulctarum canonicarum, quæ in publica pœnitentia fuerant impoſitæ, 69.a Indulgentiæ vocabulum veteribus ignotum quid ſignificet, 69.b. Indulgentiarum nouarum origo & doctrina quomodo ſe habeat. 71.a.b. Indulgentiæ Gregorij fabuloſæ, 60.a 71.b. Indulgentias ex ſtationibus nō probari, 71.b. Indulgentiæ Papiſticæ quam diu ignotæ vetuſtati & quando cœperint, 72.a Satiſfactionum impoſitarum indulgentiam petendam eſſe, & quis poteſtatem habeat concedendi eam, 72.a. Datæ ſunt primum indulgentiæ in mitigationem ſatisfactionis impoſitæ ſi rigidior eſſet, 72.a. Contra nouas illas indulgentias fuiſſe diſputatum & ex quibus id fundamentis, 72.b. diſputationes de vtilitate indulgentiarum in foro Dei aut Eccleſia, 72.b. Indulgētias eſſe piam fraudem, & deceptionem plebis, 73.a. 82.b. dare eas periculoſum danti, 73.a. Indulgentiarum fundamentum nec ſcriptura eſt nec patres, ſed Eccleſiæ authoritas, 73.b. Satisfactionum per indulgentias redemptio, 73.b. Indulgentiarum nundinationes quomodo cœperint atque hominibus fuerint commendatæ, ibidem. Indulgentiarum virtus ſeu effectus, ibid. Diſpenſatio & applicatio indulgentiarum, 74.a. non prodeſſe eas tantum viuentibus ſed etiam exiſtentibus in purgatorio, ibidem. quæ ad hoc requirantur vt valeant indulgentiæ, ibidem. Impudentes indulgentiarum impoſturæ à Concilio Viennenſi repreſſæ, 74.b.75.a. qui fuerunt indulgentiarum abuſus, 75.a.b. indulgentiarum abuſiones in pontifice non ſimiliter vt in aliis eſſe reprehenſibiles, 75.a. Epiſcopi & Archiepiſcopi tantum partiales, Papa vero plenarias & pleniſſimas indulgentias concedere poteſt, ibidem. Aſſentatores Papæ quomodo ſtabilierint indulgentias, 75.b. Indulgentiæ plenæ & pleniſſimæ quid, 75.a Indulgentiæ culpæ & pœnæ in Iubilæo, ibidem. Indulgentiarum formula olim vt nunc vſitata, 75.b. Aliorum de indulgentiis querelæ, 76.a. Bullæ indulgentiarum, 76.a.b 77.a.b.81.a. ob quæſtum indulgentiarum inſtitutus Iubilæus, & mox ad pauciores annos reductus, 76.a.b. legati Papæ ad diuidendas indulgentias emiſſi, 76.b. Indulgentias ab aliis venditas ab aliis reuocari, ibidem. Pontifices cumularunt eas vt ſuos inde ditarent, ibidem. Indulgentiæ pro futuris peccatis, 76.a 86.a. Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, 77.a.b. Formula plenariæ indulgentiæ, 77.a formæ indulgentiarum ad hoſpitalium & fraternitatum participationem, 77.a. Romanarum indulgentiarum ſumma, 78.a.79.b.80.a.b. verſus de indulgentiis, 78.a. de plenariis Indulgentiis Franciſci Fabula, 78.b. vnius preculæ quotidie recitatæ, 8000. annorum indulgentiæ conceſſæ, 79.b. Indulgentiis datis Papa imperatoribus obedientiam ſubditorum ſubtraxit, 80.b. ſemper fuiſſe aliquos qui impoſturis indulgentiarum contradixerint, ibi. alij modum in profuſione indulgentiarum voluerunt, ibid. alij omnem eorum nundinationem reprehenderunt, 81.a. de veris indulgentiis quas ſolus dat Chriſtus, 81.b. Confeſſores indulgentiarum difficulter ſaluari, 82.a. damnum per indulgentias datum Germaniæ, 83.a hiſtoria indulgentiarum à Leone X. propoſitarum àque Luthero impugnatarum, 84.85.a.b. Concionum Tecelij de indulgentiis ſumma, 84.b. Leo X. edita noua decretali, condemnat Lutherum, & indulgentias à pœna, & culpa pro viuis & mortuis confirmat, 86.a. ipſos Pontificios tandem indulgentiarum puduit, cum Imperatorem rogarunt, vt faceret ne Papa amplius mitteret indulgentias in Germaniã, 86.b. Concilium Tridentinum & Papa quid hodie de indulgentiis fieri velint, ibidem. gratuito hodie indulgentias proponi, vt homines de nouo ineſcentur, ibidem.

Innocentius Tertius, Innocentius de eſu piſcium, 75.76 a

Intentione bona aliquid facere, 38.b.61.a.130.a

Inuerſionis exemplum, 135.a

Iobi terram peregrinando viſere, 9.b

Iohannes Scotus, 73.a. Huſſ. 81.b. Veſalienſis, 82.b

Iohannis imago cōſecratione ſacrificata quid poſſit, 46 a

Ionæ cum Claudio certamen de imaginibus, 43.a. quis fuerit, & quid egerit, ibid politicum imaginum vſum agnoſcit, adorationem earum damnat, ſubuerſionem reprehendit, Idolatriæ crimine tamen hos qui adorant liberat, ſimulque aliquam adorationem permittit, 43.b

Ioſephus, 120.a

Iouiniani certamen de ieiunio & cibis, 138.a.b

Iouinianiſtæ, 107.a

Iræ Dei ſenſus quomodo excitandus, 52.b. Iræ Dei cognoſcendæ incitamentum eſt ieiunium, 92.93.b

Irene Leonis vxor, 33.b

*Iſidis ſacra*, 119.b

*Iſidorus*, 110.111.b.153.b

*Iſocratis ſtatua*, 15.b

*Itali ſuperſtitioſi*, 43.a

*Italorum deuotio*, 117.a

*Iubilæus veteris teſtamenti*, 149.a

*Iubilæus à Bonifacio octauo inſtitutus*, 75.a. *quæſtus ex Iubilæo*, 75.77.a.77.b.78.a.84.a. *reprehenſio eius*, 81.a.b

*Iudæos nec in templo nec alias toleraſſe ſtatuas aut imagines*, 22.b. *non fuiſſe etiam inter eos qui fingerent aut fabricarent tale aliquid*, 25.a. *abhorruerunt de Chriſtianiſmo, propter cultum imaginum*, 36.b

*Iulianus*, 2.a.7.b.10.a

*Iuramenti leuis pœnitentia*, 68.a

*Iuſiurandum præſtare attactu reliquiarum*, 1.b.5.b.37.b. *per mortuos non iurandum*, 11.a

*Iuramenti leuioris pœnitentia*, 68.a

*Iuramentum Pontificis.* 76.a

*Iuramentis abſtinere*, 144.a

*Iuſtitia fidei aut operum*, 98.b. *gratuita iuſtitiæ doctrina per nimias laudes ieiunij deprauata*, 108.a

*Iutrobock.* 85.b

K.

Karfreytag/ vnd Karwochen/ 68.a

Kar vnd wandel thun/ ibid.

*Kemnicij patria*, 85.b

Κοιμητήριον, 7.a

Κοινωνία *pro ſocietate*, 59.a

L.

*Lacedæmoniorum ſtatuæ*, 14.b

*Lacte & lacticiniis abſtinere*, 110.111.a.115.119.b.133.a.148.b

*Laganorum benedictio*, 100.a

*Lampridius*, 25.a

*Lapſorum pœnitentia & abſolutio publica*, 52.b

*Lapſuum pœnæ & in futurum remedia, vide pœnitentia & Satisfactiones.*

*Lares*, 9.b

*Lateranenſis Eccleſiæ viſitatio*, 79.a.b

*Laurentij carbones venditare*, 12.b. *templum Romæ*.

*Lauticiæ in ieiunio pontificio non reprehenſæ*, 110.a.b

*Lectiones certæ dierum feſtorum*, 158.b

*Legenda aurea*, 26.b.124.a

*Legenda ſanctorum*, 61.a

*Legis Moſaicæ abrogatio*, 94.b.97.b.110.b.141.b.148.b.149.150.a. *circumſtantiarum in lege neceſſaria obſeruatio*, 149.b

*Legumina permittunt pontificij in diebus ieiunij*, 95.b.110.b. *ſunt libidinis irritatio*, 110.b

*Leo Iſauricus*, 37.b. *Armenius*, 44.b. X.84.a

*Leporis præparatio*, 133.a

*Liberi arbitrij doctrina*, 127.a

*Libertas à traditionibus per Chriſtum*, 48.b. *Libertas Chriſtiana quo ad cibos*, 94.b.97.b.98.a.145.b. *In ieiunio*, 103.b.105.a.b.124.b.130.b.132.b.134.135.146.a. *libertatis in ſeruitutem commutatio*, 140.a. *libertas in conuentibus ſacris ad verbum & ſacramenta tractanda*, 150.a b.152.b.155.b

*Libido virorum in hyeme maior, mulierum in ætate*, 113.a *libidinem cibo ac potu accendi*, 113.a.119.b

*Lindanus*, 51.b.58.b.59.b.61.a

*Liuius*, 16.a

*Locis ſanctitatem peculiarem affingere*, 9.10.b

*Lombardina legenda*, 26.b

*Lombardus nil habet de indulgentiis*, 60.a. *Impugnat etiam illas*, ibid.

*Lucæ reliquiæ*, 8.b

*Lucam pinxiſſe imaginem Mariæ*, 26.b

*Ludouicus Viues de Idolatria gentili & papiſtica*, 16.b. *Idem*, 124.b

*Ludouicus Caroli filius*, 43.a

*Ludouicus rex Galliæ de abuſibus indulgentiarum queſtus*, 76.a

*Lugentium cibus, veſtitus, geſtus*, 80.b.92.b

*Lupanaria ingredi malle quam adorationem imaginum intermittere*, 37.b

M.

*Madianitarum idolum*, 18.a

*Magicæ artis vſurpatio quam pœnam habeat*, 67.68.b.69.a

*Magorum apud Perſas abſtinentia*, 119.b

*Magorum hodierna ieiunia*, ibid.

*Maiorum imagines*, 14.b

*Maledicti pœnitentia*, 68.a

*Manichæi de imaginibus*, 36.a.40.b.42.a. *de carnium eſu*, 98.99.a.99.b. *de ieiunio*, 138.b.141.a.b

*Marcionitæ de cultu imaginum*, 36.a.40.b

*Marcum vitæ monaſticæ authorem facere*, 120.b

*Marcus hæreticus*, 62.b

*Mariæ imago quomodo fuerit inuocata*, 36.a.b. *miracula ad illam facta*, 36.b.40.a. *Chriſtum in vlnis geſtans*, 38.a. *Imago Mariæ à Luca delineata*, 26.b. *Imago Mariæ quomodo conſecretur in papatu & iuuet*, 46.a

*Mariæ Maioris templum Romæ*, 79.b

*Mariæ ad aram cœli Eccleſia*, 80.a

*Mariæ capella Romæ: Maria noua, Transtyberina: Maria ad ſcalam cœli: Maria rotunda*, 80.b. *Purificatio Mariæ*, 149.b. *Dormitio Mariæ*, 149.b. *aſſumptio*, 155.a. *Natiuitatis, Viſitationis, præſentationis & conceptionis feſta*, 155.a.157.b

*Martini Chemnicij patria*, 85.b

*Martyres & martyria olim in magno honore fuerunt*, 6.a. *corpora & reliquiæ martyrum reuerenter habitæ*, 6.a. *Conuentus ad loca ſepulturæ ipſorum habiti*, 6.a.b.7.a. *Occaſio & origo eorum*, 6.b. *ob contumelias martyrum & martyrij hæretici damnati*, 6.b.7.a.b. *templa illorum nominibus appellata*, 7.b. *miracula ad ſepulchra martyrum facta*, 8.a

*Martyres ſuis ſepulcris adeſſe exiſtimare*, 10.11.a. *facere eos patronos & defenſores locorum in quibus ſepulti ſunt*, 9.b.10.a. *Inuocatio martyrum*, 10.a. *Vigilias agere in cœmiterijs martyrum & cibos ſanctificatos eo ferre*, 10.11.a

*Martyres in templis depicti*, 29.a. *Imagines eorum inuocatæ*, 37.b

*Martyrologia*, 41.a.b

*Mathematica ſtudia in AEgypto*, 152.b

*Mediationem ſanctis tribuere*, 37.b.38.a

*Medicinalis collatio ieiunantium*, 110.a.b

*Meletius Antiochenus*, 29.a

*Memoriæ martyrum anniuerſariæ*, 6.b

*Menedemi ſtatua*, 15.a

*Meni idolum*, 18.b

*Meritum Chriſti per indulgentias conuelli*, 49.50.a. *quomodo offeratur nobis & accipiatur*, 138.b

*Michaelis feſtum*, 155.a.158.a

*Michael Syngelus*, 28.b

*Michael Balbus*, 44.b.

*Michael Imperator*, 44.b

Milchom, 18.a
Miltiadis ſtatua, 14.b
Miplezeth, 18.b
Miracula non conſtituunt nouos cultus ſine inſtitutione, 4.a.doctrinam confirmant, 3.a.8.b. Maracula dubia aut commentitia, 8.b.10.b. ad Sanctorum reliquias facta, 3.a.8.b.10 a.b.11.b.ad imagines aut per illas facta, 38.a.37.b.40.42.b
Mirandulanus, 135.a
Miſſam audire indalgentias habet, 74.a
Moabitarum Idola, 18 a
Moloch, ibid.
Monachorum abſtinentia, 146.a
Monaſterium Epiphanij, 136.a
Monaſtices origo ad Marcum refertur, 120.b. propagatio eius per Baſilium & alios, 135.b
Monotheletæ, 33.a
Montanus & Montaniſtæ, 128.a.b.129.a.b.130.131.135.b. 139.a.b
Morborum ſingulorum ſinguli ſancti procuratores, 83.b. morbos ſanari per imagines, 37.b.38.a
Morituris data communio in viaticum, 63 a
Morticinum concedere, 69.a
Mortificatio carnis, 54.b.98.b.109.b. indulgentiæ illam non tollunt, 56.a
Mortuorum cadauera exhorreſcere & abijcere, 2.a.mortui in ciuitate non ſepeliendi, ibid. mortuos tangere olim inquinauit homines, 2.b. Chriſtus tangens mortuos ſanctificauit eos, 2.b. mortuis cultum præſtare, 4.b. corpora ſanctorum mortuorum honorifice ſepulta, 6.b.7.a.translationes eorum, 4.b.5.a.8.a.b.9.a.mortui effoſſi corpus cremare, 15.a.mortui excitati, 103.a
Mulierum quæ partum abegerunt, pœnitentia, 67.69.b
Muſica cultui idolorum adhibita, 16.b
Myſteria olim taciturnitate parietibuſq; clauſa, 17.a

N.

Natalicij pœnitentia, 62.a
Natalis Chriſti, 154.158.a.natalitia martyrum, ſunt dies mortis eorum, 154.a
Nebahaz, 18.a
Nebo Babyloniorum, ibid.
NebucadneZaris ſtatua, 15.a.abuſum eſſe vaſis tēpli, 36.b
Negocia ardua cum Eccleſiæ precibus & ieiunio cœpta, 103.a.b
Neomeniæ, 149.a
Nergel, 18.a
Neronis ſtatuæ, 15.a
Nicetas, 43.b
Nicolaus Ruſt, 83.a
Niſroch, 18.a
Nouatiani cuiuſdam conuerſi pœnitentia, 62.a
Nouitas vitæ reconciliatis præcipitur, 57.b
Numa faciens ſacra, 119.b

O.

Obſeſſos ſanari ab Anaſtaſio, 37.a
Officinis imagines impoſitæ, 37.b
Olam, 149.b
Opera ſupererogationis ſunt, quæ vltra neceſſitatem & debitum ſancti fecerunt aut perpeſſi ſunt, 47.b.74.a. operibus indulgentiæ tribuitur, quod Scriptura non permittit operibus legis, 49.b.refutatio eorum è ſcriptura, 49.b.operum doctrinam corrupit indulgentiarum nundinatio, 49.b. 50.a. fundamentum operum ſupererogationis, 123.b.operum iuſtitia, 88.b.11.a. Opus operatum, 65.a
Opiniones in hominibus non malis toleratæ, ſed poſtea cum rigidius defenderentur, pro hæreticis habitæ, 127.a.b
Orationem facere ad reliquias Sanctorum, 1.b. 5.b.9.a. 10.a.12.b.oratione inuocare idola, 16.a.b. orationes à ſtantibus factæ certis temporibus, 71.b. in orationibus ardentioribus ieiunandum, 93.a.b.oratione cibos ſanctificari, 100.b. 101.a. precibus publicis res arduæ commendatæ, 93.b.103.a.b. orationi ſubſeruit ieiunium, 106.a.107.a.b. temperantia & ſobrietas ad exercitia eius proſunt, 109.a.b.oratio eſt exercitium dierum feſtorum, 156.b. orare geniculando aut ſtando, 68.b.79.a
Oratoribus ſtatuæ poſitæ, 15.a
Ordo & decorum in conuentibus Eccleſiaſticis, 150.a.b. 155.b
Orimaſda, 20.a
Oſſa Sanctorum, vide Sancti.
Ouorum benedictio, 102.a.Ouis abſtinere, 111.a.119.b.133.b.137.b.148.a.b

P.

Pagani confirmati cultu imaginum apud Chriſtianos, 36.a
Palmarum dies quomodo celebretur in Papatu, 157.b
Panegyres ad ſepulchra Martyrum, 6.b
Panis benedictio, 100.a.Pane abſtinere, 119.b.137.139.b 145.b
Panormitanus, 112.a
Papæ ſuper ſcripturam & ea quæ ſunt fidei poteſtas, 85.b
Paralyticos ſanari ab Anaſtaſio.
Pariſienſes indulgentiarum nundinationes damnant, 76.a.82.a
Participium Pontificale, 60.a
Paſchati præmiſſum ieiunium, 103.a. 140.b. vide quadrageſima, &c. Agni Paſchalis benedictio, 100.a. Solennior communio in Paſchate, 103.a. paſcha cum Iudæis celebrare, 124.b.paſchatis inſtitutio, 149.a. Iudaici paſchatis abrogatio, 150.b. Paſcha Chriſtianorum ibidem. per paſcha quid intelligatur 152.a. paſchatis hebdomada, 152.a. vigiliæ paſchæ, ibidem. paſchate ſolutum fuit ieiunium, ibid.cerei paſchales vnde, ibid. Aſiaticorum, & Europæorum duerſitas, quo ad diem paſchatis, 152.a. Controuerſia de paſchatis die per Synodum Nicænam dirempta, 15?.b. Epiſtolæ paſchales, 152.b. error hodiernus in celeratione paſchatis, 152.b. obſeruationem paſchati liberam eſſe, 153.a.Gallorum paſcha, ibid.cauſa celebrationis eius, 153.a.b
Paſſionis Chriſti dies, 157.b.158.a
Patres ſi à Scriptura deuient, non audiendi 66.b.ſententiæ eorum ad Scripturam examinandæ 108.a.b. traditiones Apoſtolicæ falſo à Patribus iactatæ, 121.b
Paulinus, 153.b.154.a
Paulus cum Chriſto pictus, 27.b
Pauli imago, ibi.caput eius Romæ oſtenditur, 79.a.corpus vbi, 79.b.Eccleſia S.Pauli Romæ, 79.b
Pauli Heremitæ tunica, 9.b.Paulus II. 76.b
Peccandi impunitatem ſibi ex ſatisfactioibus polliceri, 70.b peccandi licentia ex indulgentiis 83.a
Peccata non fingenda ſine verbo Dei, 20.. peccatum in rebus indifferentibus quatenus ponendum, 20.b. peccata tegi à Deo quid ſit, 60.a. à peccais reſurgere, b. pœnitentia de peccatis publicis aut ocultis, vide pœnitentia.peccati agnitio quomodo exitanda, 50.b.

peccati

peccati originis remiſſi pœnas experimur, 53.b. peccatum ſine precio ſufficienti non remitti, 53.b.54.a. non extenuandum aut excuſandum, 55.a. peccata oblita & venialia, 77.a. contrita, confeſſa & oblita, 77.b. peccata obolo redimere, 81.a. peccatorum culpam & pœnam remitti, 82.a. peccatum eſt quod Deum offendit, 96.a. peccatum mortale ponere in tranſgreſſione ſtatutorum pontificiorum, 114.a
Pecunia eſt neruus indulgentiarum, 61.b
Pelagius, 127.b
Penates, 10.a
Pentecoſtes inſtitutio, 149.a. pentecoſte pro toto tempore à paſchate ad quinquageſimum diem, 153.a. eſt dies miſſi Spiritus ſancti, 153.a.b
Peregrinationes ad reliquias Sanctorum, 1.b.10.b. ad terram ſanctam, 10.a.b.75.a. ad certas ſanctorum ſtatuas, 46.a. ad viſitandam Romanam Eccleſiam, 47.b.49.b.50.a.75.a.77.b. pro indulgentiis peregrinari, 60.a.b
Peregrinationes ſunt nerui indulgentiarum, 60.b. per illa redimere ſatisfactiones, 70.b. abuti illis ad peccata, 70.b. tribuere illis gratiam Dei, Spiritum ſanctum, & vitam æternam, 10.b. Impugnatæ etiam olim ſunt & refutatæ, 10.b.11.a 82.b. Papa Angelis præcipit vt peregrinantium animas, ſi in itinere euolarent, ſtatim in paradiſum transferrent, 76.a
Periurij admiſſi pœnitentia, 67.b.69.a
Pernarum benedictio, 102.a
Perſæ diis ſuis nec ſtatuas, nec aras erexerunt, 15.b.24.b. ignis à Perſis cultus, 19.b
Perſeuerantia, 55.a
Peſtem fugare per idolum Aeſculapij, 16.b
Petri monumentum Romæ, 7.a. Chryſoſtomus id cupit viſere, 9.a
Petri imago, 27.b
Petrus cum Chriſto pictus, 28.a. caput eius Romæ oſtenditur, 79.b. Corpus eius vbi, ibid. Sancti Petri in Vaticano templum, ibid.
Petrus de Palude, 73.74.b.111.b
Petrus Aſotus, 115.a
Philippi Imperatoris pœnitentia, 62.b
Philippicus imagines patrum aboleuit, 33.a.b
Philiſtinorum Idolum, 18.a
Philo, 120.b
Philoſophis ſtatuæ poſitæ, 15.a
Phocionis ſtatua, 14.b
Phocionis oſſa tranſlata, 8.a
Pietas non in feſtis tantum exercenda, 156.a.b
Pilati gradus Romæ, 79.a
Piſces mortuos comedere, 69.a. piſces immundi & vetiti, 99.b. Chriſtum piſces comediſſe, ibid. eſus piſcium in Papatu, 96.a.110.111.a
Pius V. 86.b
Platina, 76.a
Plato de adoratione mortuorum, 12.b.13.a
Platonis ſtatua, 15.a
Plinius, 14.b
Plutarchus, 8.a.15.b
Pœnas æternas non plene remitti, ſed in temporales conuerti, 47.b.75.b. pro his pœnis iniungi poſſe ſatisfactiones in hac vita præſtãdas, reliquas pœnas vero luendas eſſe in purgatorio, 47.b.53.a.b. pœnas purgatorij per indulgentias, ſi debito modo redimantur, poſſe remitti, 47.b. Chriſtum pro culpa & pœnis nobis debitis ſatisfeciſſe, & vtramque remitti, 48.a.b.49.a.b.51.a. pœnarum mitigatio ad pœnitentiam, 56.a. quomodo pij eam à Deo petant, 56.a. canonicæ pœnæ Eccleſiæ, 56.b. opera ſatisfactionis pœnalia, 57.a pœnæ pœnitentiariæ ſecundum peccata quæque impoſitæ, 67.a.b. de liberatione à culpa & pœna, 73.b.75.a. meritum remiſſionis culpæ, 73.b
Pœnitentiæ doctrina ad occaſionem indulgentiarum repurgata, 50.a.b. publica pœnitentia lapſorum, 52.b. exercitium pœnitentiæ in cruce, 55.b. pœnitentiæ fructus per indulgentias non poſſunt relaxari, 56.a. ad pœnitentiam mitigantur pœnæ, ibid.
Pœnitentia vera quid ſit, 56.b. pœnitentia publica quibus impoſita, 61.a. ritus eius & eorundem cauſæ, 61.b. appellationes rituum, ibid. origo publicæ pœnitentiæ eſt ab Apoſtolis, ibi. ab illa origine tamen paulatim eſt diſceſſum, 62.a. exempla pœnitentiæ tempore Apoſtolorum & patrum, 62.a 62.b.63.a. Imperatoris pœnitentia, 62.b. publicæ pœnitentiæ gradus, & eorundem origo, 63.a. Ritus eius fuit ſolennis & non reiterabilis, 63.a. 68.a. relapſis poſt pœnitentiam non data communio, niſi in extremis, 63.a. Auguſtinus relapſis dedit locum pœnitentiæ, cum alij non darent, ibidem. Alia pœnitentia criminibus, alia leuioribus peccatis deſtinata, ibi. de occultis etiam peccatis pœnitentia olim fuit requiſita, 63.b presbyter pœnitentiarius pro ijs, qui peccata occulta confiteri publice erubeſcebãt, 64.a. eorum qui ſeuere confeſſi peccata eſſent publica pœnitentia, 64.a.b. vita noſtra perpetuo ſit pœnitentia, 64.a.b alia pœnitentia ante Baptiſmum, alia in delictis quotidianis, alia in criminibus, 64.b. diſciplinæ huius pœnitentiariæ nimia apud Patres commendatio, 66.b. ſuperſtitiones quæ ad ritum publicæ pœnitentiæ acceſſerunt, 67.a. relaxationes mulctæ pœnitentiariæ olim dictæ ſunt indulgentiæ, 67.a. Canones pœnitentiales quibus certæ certorum peccatorum pœnæ conſtituuntur, 67.b. 68.a. poſt pœnitentiam relapſis quamdiu pœnitentia agenda, 67.b. pœnitentiam publicam agentium tempus & ieiunia, 68.a. eiectio pœnitentium de Eccleſia, 68.b
Pœnitentiam ſolennem frangentium pœnitentia, 69.a. Serio pœnitentiam agentibus ſatisfactiones relaxatæ aut mitigatæ, 69.b. pœnitentiale Bedæ, 69.a. pœnitentiale Romanum, 70.a.b. Res pœnitentiæ publicæ abolita, retentis tantum vocabulis, 70.b. pœnitentes poſſe conqueri de ſatisfactionum impoſitarum rigore & relaxationem aut mitigationem aut communionem petere: & confeſſorem habere poteſtatem id faciendi, 71.a. Seria pœnitentiæ exercitia ieiunio multum iuuari, crapula impediri, 92.93.a. pœnitentium externa humiliatio & luctus, 92.a 92.b. tempus quo recipiebantur, 103.a pœnitentiæ & orationi ſubſeruire debet ieiunium, 106.a. 117.a.b. pœnitentiæ doctrina per nimias ieiunij laudes deprauata, 108.a. temperantiam & ſobrietatem ad excitanda ſeria exercitia pœnitentiæ facere, 109.a.b
Poetis poſitæ ſtatuæ, 15.a
Polycarpi oſſa quomodo habita, 6.b
Polydorus, 9.b.157.a
Pomerani, 133.a
Pontificale imagines conſecrat, 45.b.46.a
Pontificis Romani authoritas, 50.a. dicunt eum eſſe Eccleſiam virtualiter, 50.a
Porphyrius, 7.b
Porta aurea, 97.b
Potentia Dei abſoluta nil confirmari poteſt, 3.b
Presbyterum occidentis pœnitentia. 68.a.69.b. presbyteri ſcortantis pœnitentia, 68.b
Priapus, 18.a
Primatus Eccleſiæ, 45.a
Priſcillaniſtæ de carnium eſu, 98.b.99.a. de ieiunio & delectu ciborum, 133.b

Prophetarum imagines inuocare, 37.a
Propitiationem ſanctis tribuere, ibid.
Pſychici, 129.a
Purgatorio quæ pœnæ luendæ, & quomodo ab his per indulgentias, qui eas debito modo redimit, liberari poſſit, 47.b. Purgatorii fundamentum, 50. b. 51.a. eſt recens inuentum antiquitati ignotum, 60.b. 61.a. ex purgatorio pendet omnis indulgentiarum exiſtimatio, 60.a. origo purgatorii, 71. b. purgatorii omnem poteſtatem eſſe in manu Papæ, 76.a.85.a. animam 10. ſolidis è purgatorio liberari, 85.a. ad tinnitum nummi animam è purgatorio euolare, 84.b.85.a
Purificationis feſtum, 154.b.158.a
Pythonicos conſulens quamdiu pœnitentiam agat, 67.a

Q.

Quadragena quid, 68.a.71.a
Quadrageſimæ ieiunium, 94.b.103.a.105.a.107.b.111.b. 112.a.113.a.b.114.b.121.b.122.b.124.a.125.a.b.127.a. 137.b.139.a.b.140.b.141.a.143.a.156.b.148.b.149.a.
Tres quadrageſimæ, 148.b
Quadrageſimalis abſtinentia, 94.b
Quæſtura Pontificia, 75.a
Quatuor tempora, 112.113.b

R.

Rabanus, 43.a.153.b.157.a
Raptus mulieris pœnitentia, 68.a
Raſura idolatrarum, 16.b
Reconciliationem detrectantis pœnitentia, 69.a
Regino, 41.b
Relaxatio, idem quod indulgentiæ, 47.a.69.a
Religionem commendabiliorem facere externis ornamẽtis, 8.a. religionis cogitationem vulgus celare, 17.a
Reliquiæ Sanctorum, vide Sancti.
Remiſſionem peccatorum ex reliquiis Sanctorum petere, 1.5.b
Remiſſio peccatorum idem quod indulgentiæ, 47.a. Deum voce Euangelij tantum remittere culpam, pœnam vero æternam commutari in temporalem, papiſtæ dicunt, 47.b.48.a
Remiſſio peccatorum eſt ſumma & ſcopus totius ſcripturæ, 48.a. quomodo ea nobis contingat, ibid. plenariæ & gratuitæ remiſſioni peccatorum repugnant indulgentiæ, 49.a.b. poſt acceptam remiſſionem peccatorum quæ nobis imponantur, 55.b. triplex remiſſio in Eccleſia, 64.a.b
Rimnon, 18.a
Res arduæ cum Eccleſiæ precibus & ieiunio cœptæ, 103.a.b
Reſurrectio à peccatis, 62.a
Rhetoricæ amplificationes in patribus, 103.b.105.b.108.a. 136.a
Richardus, 73.a.111.b
Roffenſis, 48.b.50.b.60.b
Rogationum ieiunium, 148.a
Romam quare Chryſoſtomus viſere cupierit, 9.a. peregrinari Romam, 11.a.70.b
Romani olim non habuerunt ſtatuas, 15.b. ſtatuas poſuerunt bene meritis, 14.b
Romanarum Eccleſiarum viſitatio, 78.b.79.a.b.80.a
Romanæ curiæ mores nemo auſus fuit reprehendere, 80.b
Rupertus Tuicenſis, 61.b
Ruthenorum articuli, 81.a

S.

Sabbati inſtitutio, 149.a. Iudæi volunt vt hodie etiam neceſſario obſeruetur, ibid. Sanctificatio eius non eſt abrogata, 150.a.b. non genus quod morale eſt, ſed ſpeciẽ, quæ ceremonialis, eſſe abrogatam, ibid. certis circumſtantiis in lege fuit circumſcriptum, ibid. Opera in eo conceſſa aut prohibita, 150.a.b. conſeruatio eius quando & cur omiſſa, 150.b.151.a
Sabbato in conuentibus ſacris agendis ſurrogata eſt dies dominica, 151.a. violatio eius aut obſeruatio, 156.a
Sabellicus, 8.a
Sacerdotum Aegyptiorum abſtinentia, 119.b
Saccus & Cilicium, 90.a
Sacramenta adminiſtrare nolle, vbi non ſunt reliquiæ ſanctorum, 11.b
Sacramentorum vſui liberum eſt quoſcunque dies deſtinare, 150.b. die dominica habitus, ibid.
Sacrificantium idolis pœnitentia, 67.b
Sacrificia facta idolis, 16.a
Sacrilegij pœnitentia, 68. 69.a
Saluſtius, 14.b
Salutis organum & Arrhabonem facere imagines, 37.b. ſalutem animæ & corporis ex cibis ſperare, 100.b
Samaritanorum idola, 18.a
Samuelis oſſa & reliquiæ, 8.b
Sanationes ad imagines factæ, 37.b
Sanctificari feſtum, 150.a. ſanctificatio Sabbati non eſt abrogata, ibid. Sanctificatio conuentuum Eccleſiaſticorum, 150.b. ſanctificatio cibi, 101.a.b
Sanctorum oſſa & reliquiæ reuerenter debent haberi, 1.a.b. eleuatio cinerum & oſſium defunctorum, 1.a. canonizatio earum ad inuocationem, 1.a. 8.a.10.a. cultum reliquiarum eſſe meritorium, 1.a.b. gratiam & virtutem Dei reliquiis ineſſe. 1.b.5.b.10.a. dona reliquiis oblata eſſe ſacrificium Deo gratum, 1.b. indulgentiæ datæ tangentibus aut venerantibus illas, 1.b. orationes ad eas factas magis exaudiri. ibidem. iuuari illis ſanctitatem Euchariſtiæ, ibidem. geſtatio earum aut impoſitio in aliquid ad quid proſit, 1.b.10.a.b. augeri illis religionem iuramẽti, 1.b.5.b.11.a. quomodo Scriptura ſanctorum mortuorum corpora, oſſa & reliquias velit honorari, 1.b. 3.a. 5.b. 6.a. 12.a. quomodo veneratio reliquiarum à bono & tolerabili vſu ad ſuperſtitiones & abuſus degenerauerit, 2.a. modus venerationis ſanctorum mortuorum de Scriptura & non aliunde petendus, 3.a. Sanctorum oſſa & reliquiæ à Iudæis non ita habita, vt papatus docet, 3.a.4.a.b.5.a. Deus non promiſit ſe per mortuos ſanctos facturum, quæ per viuos fecit, 3.b. reliquiarum translatio, 4.b. Pontificia reliquiarum veneratio non habet teſtimonium aut exemplum Scripturæ, 2.a.5.a. pugnat etiam cum Scriptura & doctrina Chriſtiana, 5.a. Sanctorum inuocatio, 5.b.9.b.10.a. de initiis, progreſſu & exitu rituum circa reliquias apud veteres, 6.a. 8.a. corpora eorum inhumata aut effoſſa abiici, 2.a.6.a.8.a. veteres non circumgeſtarunt, ſed honorifice ſepelierunt reliquias martyrum, 6.a.b.7.a.11.a. antiquitas non eruit oſſa Sanctorum de monumentis, 7.a. Hæretici propter contumelias reliquiarũ quomodo & quatenus damnati, 7.a.b. pontificij non habent antiquitatis teſtimonium pro veneratione, quã tribuunt reliquiis Sanctorum, 5.b.6.a.8.a.10.a.12.a. reliquiarum & oſſium trãslationes, 4.b.8.a.b.9.a.b. miracula ad ſepulturas Sanctorum facta, 3.a.8.b.10.a.11.a. reliquiæ eorum magno ſtudio conquiſitæ, 8.b. non ſuper altaribus, ſed ſub altaribus poſitæ, 9.a. Sacramenta adminiſtrari ad locum reliquiarum, ibidẽ. naturalis affectio erga reliquias, ibidem. exempla Sanctorum ad imitationem propoſita, ibidem. Sanctos eorum locorum, in quibus ſepulti ſunt facere præſidia

ſidia & columnas,10.a.11.a.concurſus ad reliquias,10.a.reliquias diuellere, & in varia loca diſtribuere,10.a.vendere eas,10.a. peregrinationes ad reliquias Sanctorum,10.a.b.74.a. quo tempore ſuperſtitiones circa reliquias ortæ fuerint,10. b. adorationes ad ſepulcra Sanctorum,11.a.b.12.b. Sanctorum præſentiam ad ſepulchra ſua ſtatuere,10.a.b. non ſtatuere Eccleſiam & Eccleſiaſtica exercitia, vbi non ſunt reliquiæ Sanctorum,11.b.Reliquiæ fictitiæ.1.b.11.b.12.a. Sanctorum imagines quomodo colantur à Pontificiis, 13.b. Sanctorum cultus damnatus, 20.b. Sanctorum imagines quomodo fuerint inuocatæ.37.a.b.communio Sanctorum,58.b.59.a.Sanctorum patrocinia mereri velle celebrando feſta eorum, 157.b

Sanctum Sanctorum Romanum, 79.a

Sanguinem comedere, 69.a

Sapientiam impedit crapula, 109.a.b

Saraceni alieniores à Chriſtianiſmo ob cultum imaginum, 36.a

Satisfactio pro peccatis aut peccatorum pœnis à nobis nulla requiritur,48.a. quid de ea Papatus doceat,47.b.49.a.55.b. ſatisfactioni Chriſti tanquam ſemiplenæ noſtram adiicere, 49. a. 54. b.57.a.b. 58. a.ſatisfactiones canonicas diuerſiſsimas eſſe à nundinatione indulgentiarum, ideoque hanc fruſtra antiquitatis teſtimonio commendari,61.a 62.a.b. 64.b. quales eæ fuerint, 61.a. ſatisfactionis vocabulum vnde ſit, & quid ſit illa, 61.a. 117.b. pœnas pœnitentiæ ſatisfacere Deo.62.a.incommodius eſſe ſatisfactionis vocabulum euentus oſtēdit,61.b.quomodo vtantur eo Pōtificij,ibi. ſatisfactio ſecreta, 64. a. ſatisfactionum diuerſa genera,apud veteres, ſecundum peccatorum diuerſitatem impoſita, 64. b. Pontificij vero pro omnibus & quibuſcunque peccatis imponunt ſatisfactiones,64.b. veteres ante abſolutionem & cōfeſsionem ſatisfactiones impoſuerunt, poſtea vero ad fructus pœnitentiæ Deo debitos exhortati ſunt: Pontificij vero poſt abſolutionem de emendatione nihil ſoliciti, nugatorias ſatisfactiones, vel pecunia redimendas, vel in purgatorio luendas imponunt, 65. a. non tantum quo ad ſubſtantiam aut materiam differunt ſatisfactiones Pontificiorum & veterum, ſed etiam quo ad fines qui vtrinque ſunt diuerſi,65.a.b.de ſatisfactionum Pontificiarum fine, 65.a. ſatisfactiones veterum non pertinuiſſe ad remiſsionem peccatorum,ibid diuerſitas earum apud veteres,ibid. paulatim eas abſoluiſſe, 65.b. 67.b. abſolutio & communio in extremis data pœnitentibus,etiamſi ſatisfactiones impoſitæ nondum eſſent peractæ,65.b.67.a.cauſæ propter quas olim enormiter & publice peccantibus ſatisfactiones canonicæ fuerint impoſitæ, 65.b. canonicæ huius diſciplinæ nimia apud Patres commendatio,66.b.merita ſatisfactionum, ibid. veteribus ſatisfactionibus abolitis ſurrogatæ ſunt nouæ,69.a.quare,quomodo & quando aliquid de ſatisfactionibus fuerit remiſſum,69. a.b. de relaxatione ſatisfactionis,69.b.de redemptionibus ſeu commutationibus publicarum ſatisfactionum,70.72.a.veteres ſatisfactiones collapſas eſſe & his nouas ſucceſsiſſe, 70.b. pœnitentes ante completam ſatisfactionem ad communionem admiſsi, 71.a. etiam ante inchoatam perſolutionem impoſitæ ſatisfactionis datæ pœnitentibus abſolutio & cœna, ibi.ſatisfactiones veteres tandem in ludos & ritus ioculares exierunt, ibi. nouæ ſatisfactionum formæ veteribus prorſus ignotæ, ibid.ſatisfactionis nouæ partes ſunt Ieiunium, oratio, eleemoſyna, 71.a fecerunt eas meritorias,71.b.ſatisfactiones Gregorij fabuloſæ,60.a b.71.b.ſatisfactiones deprecari & relaxationem aut mitigationem petere, 72. a. quis relaxandi ſatisfactiones poteſtatem habeat,ibid.ſatisfactiones exoluendæ aut per indulgentias redimendæ, 73.b

Sauonorola Florentinus, 83.a

Scæuolæ ſtatua, 15.a

Scandalo offenſis per pœnitentiam ſatisfaciendum, 66.a

Scholæ Brunſuicenſis exercitia in pietate, 158.a

Scholaſtica Theologia,73.a.Scholaſtici Doctores vnde ſic dicti,ibid.nomina præcipuorum Doctorum Scholaſticorum, ibid.

Scipionis imago, 14.b

Scotus, 73.a.b.114.a

Scripta ſuppoſititia, 7.a. 27.b. 107.b. 120.b. 121.a. 121.b. 123.a.136.b

Scriptura canonica dicta eſt, vt ex ea de dogmatibus & cultibus iudicetur,1.a.5.b.6.a.10.a.b.19.b.20.a. 107.a. Scripturæ ſumma & ſcopus eſt remiſsio peccatorum, 48.a.Scripturæ fundamento Patrum doctrinam coniungere,107.b.Scripturæ ſtudioſos oportet eſſe temperantes, 105.b

Sebaſtiani Eccleſia Romæ, 80.a

Septena quid, 68.b 71 b

Sepulchra noſtra qualia ſint per naturam & qualia per gratiam, 2.b. ſepulchrū Chriſti noſtra ſepulchra ſanctificauit. Sepultura in ciuitate non habenda, 2.a.ſepultura ſanctorum honorificata, 7. a. locus ſepulturæ κοιμητήριον dictus,ibid. de loco obſcuri... erutos in monumentis celebrioribus ſepelire, 8... in templis ſepulti heroes,ibi.cur honorifi.e habit... olim ſepultura ſanctorum, 9.a

Seres non coluerunt idola, 15.b

Seueriani, 127.b

Siccuth, 18.b

Sidonij pœnitentia, 62.a

Sidoniorum idolum, 18.a

Sigebertus, 35.a

Signum & ſignatum ſeu prototypum, 40.a.42.b

Simeonis imagines in officinis, 37.b

Similitudines non faciunt dogmata, 40.b

Simon Metaphraſtes, 26.b

Simonis Magi ſtatua, 23.b

Simonia, 74.a

Simulachra, vide imagines.

Sixtus IIII. 76.a.b

Smyrnenſis Epiſtola, 6.b.7.a

Sobrietas,90.a.109.a.b.abuſus eius,108.b.hoſtes eius,116.b

Socratis ſtatua, 14.b

Sodomiæ pœnitentia, 68.b

Solis ſacra, 119.b

Spartani non habuerunt idola, 15.b

Speculator, 81.a

Speculum aureum, 80.b

Spiridonis hiſtoria, 134.b.135.a

Spiritus ſancti in certis locis velle participem fieri, 10.b. 11.a.plumas Spiritus ſancti in reliquiis habere, 12.a

Stationarij qui fuerint & quid egerint, 74.b

Stationes in Eccleſia, 71.b.78.b.103.b.128.b.148.b

Statuæ bene meritis hominibus poſitæ, 14.b. ſtatuis diuini honores facti,16.a.b.vide etiam imagines.

Stephani memoria & reliquiæ, 10.a

Stephanus III. 33.b

Strabo, 15.b

Studiorum promotio indulgentias meretur, 74.a

Sucboth, 18.a

Suffragia pro mortuis non tolli per indulgentias, 77.a

Summa Angelica, 75.b.76.a

Superſtitio ex zelo pietatis orta,10.a.ſuperſtitionis pœnitentia,68.a. bono plurium obeſt ſuperſtitio, 117.a

diligenter eſt obſeruanda & retegenda, 119.a
Syriæ idolum, 18.a
Sylueſter Prierias, 48.b.85.b. Sylueſtri legenda, 27.a

## T.

Tabernaculorum feſtum, 149.a
Tabulæ duodecim de ſepultura, 2.a
Tacitus, 15.a
Ταπεινοφροσύνη, 130.132.a
Tatianus de dæmonibus, 15.b. de cultu idolorum, 16.b
Tatiani, 127.b.128.a. Tatiani de carnium eſu, 98.b. 99.a.b
Tecelius quis fuerit & quid egerit, 84.b. quomodo ſpoliatus fuerit ſuo ære ex indulgentiis collecto per nobilem quem à futuro peccato abſoluerat data Bulla, 85.a. Carolus Miltitius eum acriter reprehendit, 86.a
Temperantia, 89.a 109.a.b. hoſtes eius, 116.b.127.b
Templa nominibus martyrum appellata, 7.a. hæretici illa non ingrediebantur, 7.b. heroes in templis ſepulti, 8.a. nullum pro vero agnoſcere velle ſi ſit ſine reliquiis Sanctorum, 11.b. templa Perſarum & Aegyptiorum, 15.a.b. diis dicata templa, delubra, ſacella, fana, 16.a. templorum ornatus, 23.a.25.b.26.a.28.a.b.29.a. imagines in templis, 22.a.30.a 35.a.b. Templa idolatrica ingreſſorum pœnitentia, 67.b. templorum dedicationes, 154.b
Tenebras in meridie faciunt Papiſtæ per quadrageſimam, 111.b
Teraphim, 19.b
Terram ſanctam inuiſere, 10.a.b.11.a.75.a. de terra ſancta aliquid domi ſuæ ſuſpendere, 11.b. indulgentiæ pro defenſione terræ ſanctæ, 74.a.76.b
Teſtamenti veteris abrogatio, 149.b
Teſtimonij falſi pœna, 68.a
Thamuz, 18.b
Tharthac, 18.a
Theodori hæreſis, 62.a
Theodoſius ſago Epiſcopi indutus, 9.b
Theologia ſcholaſtica quando, per quos, & quomodo cœperit, 73.a.b
Theophilus Imperator, 44.b
Therapeutæ Philonis, 119.b.127.b
Theſaurus Eccleſiæ ſunt præter merita Chriſti opera ſupererogationis Sanctorum, 47.b.74.a. ex hoc theſauro ſuccurri aliis pro remiſſione culpæ & pœnæ, 47.a. 86.b.87.a demonſtratio eius, 57.a
Theſei oſſa tranſlata, 8.a. ſpectrum eius & adoratio, 9.b
Thomas Aquinas, 45.b.73.a
Thus incendere idolis, 16.a
Tiletanus, 159.a
Tilius Epiſcopus, 41.b
Τιμωρίαι, 61.a
Timothei reliquiæ, 8.a
Traditiones verbo Dei æquare, 39.a.129.b.130.a. à traditionibus humanis libertatem habemus in Chriſto, 48.b. quam periculoſum ſit illis conſcientias onerare, 61.b. facile degenerant in ſuperſtitiones, 67.a. traditiones quæ ſint aut non ſint 97.b. traditiones ſine ſcriptura, 152.b. traditionum Apoſtolicarum fucus, 122.a.b

## V.

Valerius Maximus, 14.b
Valerius Meſſala, 14.b
Varro, 15.b
Vates vino abſtinuerunt, 119.b
Veneri donatæ pupæ, 25.b
Venia idem quod indulgentiæ, 47.a
Ver quadrageſimæ idoneum, 113.a
Verbum Dei à ſtantibus auditum certo tempore, 71.b. verbo ſuo Deus alligauit populum ſuum, 96.b. verbo Dei cibos ſanctificari, 100 b. 101.a. verbo tractando liberum eſt Chriſtianis quoſcunque dies aſſumere, 150.b. dies Dominica exercitiis deſtinata, 151.a.b
Veronica quomodo inuocetur, 46.a. oſtentatio eius Romæ, 79.b
Vertigo capitis, 119.b
Veſtimentis Sanctorum indui, 9.b
Viclephus, 81.a
Victor excommunicauit Aſiaticos propter Paſchatis diem ab illis obſeruatum, 152.a
Victoriam hoſtium per idola quærere, 16 b
Vigilantius, 2.b.7.a
Vigiliæ in cœmiteriis Sanctorum, 10.b. vigiliæ feſtorum, 157.a. ieiunia vigiliarum, 113.a.148.b
Vini benedictio, 100.a. non prohibuerunt illud Pontificij in ieiunio ſuo, 96.a.111.a.b. vino abſtinere, 119.b.129 b. 140.b. habere illud pro veneno dementiæ, 111.b.127.b. 133 a
Virgilij ſtatua, 15.a
Virginum ſtuprationis pœnitentia, 68.b
Vitam æternam ex cibis conſecratis ſperare, 100.b
Vitæ Patrum, 40.b
Volaterranus, 8 a.158.b
Vota perſoluere idolis, 16.a. reliquiis Sanctorum, 1.b. vota ad Sanctorum ſtatuas certas, 46.a. votum violantis pœnitentia, 68.b
Vouere ieiunium, 112.b
Vrnæ mortuorum, 8.10.a
Vulgi ſuperſtitiones diſſimulare, 11.a
Vxore abſtinere in quadrageſima, 69.a

## VV.

VValdenſes de indulgentiis, 81.a
VVeſſelus, 50.b.73.a.76.a
VVilhelmus Antiſſidonenſis, 81.a. VVilhelmus Durandus. vide Durandus. VVilhelmus Occam, 73.b. VVilhelmus Pariſienſis, 73.a. Varro, 73.a
VVormatienſis Epiſcopus Burchardus, 68.a

## X.

Xenocrates, 119.b
Xerophagia, 129.a.b.132.a.136.b.139.a

## Z.

Zelus pietatis in ſuperſtitionem degenerans, 9.b.10.a
Zonoras, 33.a.45.a.b

FINIS.

IIII. Partis Examinis.

# INDEX LOCORVM E SCRIPTIS PATRVM IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS ALLEGATORVM, IN QVO TAMEN explicationes locorum Scripturæ, ſecundum primum & proprium ſuum Indicem requirendæ, ſtudio omiſſæ ſunt.

## A.


*Ambroſius de ſepulchro ſibi aut Martyribus deſtinato, 9.a. de politicis imaginibus, 28.a. dictum eius de inuocatione Chriſti deprauatum, 39.a. de publica pœnitentia, 62.b. 66.b. de ieiunio, 103.a. 107.a.b. 137.b. ſermones eius ſuppoſititij, 107.b. 137.b. laus temperantiæ, 109.b. fuit propagator monaſtices, 135.b. de Iouiniano, 137.a.b. regula eius de ieiunio, 140.a. de Pentecoſte, 153.a. de feſtis Martyrum,* 154.a

*Anshelmus nihil habet de indulgentiis,* 60.a

*Athanaſius de idolorum cultu, 17.b. de imagine Chriſti, 26.b. 29.a. de politicis imaginibus, 28.a. de imagine Dei per Chriſtum reſtituta, 34.b. de quæſtionibus eius, 39.a. de ieiunio,* 104.b

*Auguſtinus de curatione mortuorum, 5.b. de Caianis, 7.a de miraculis ad ſepulturas Sanctorum factis, 8.b. de Sanctorum reliquiis, 10.a de adoratione ad ſepulchra Sanctorum, 11.a.b. de diſsimulandis iis quæ tollere non potuit, 11.b. de Romanis idola non habentibus, 15.b. de Diis gentium, ibidem. de Spiritibus in ſtatuis, 16.a. de loco, honore & cultu conſecratarum ſtatuarum, 15.a. 17.a. Iudæos non toleraſſe ſtatuas in templo, 22.b. de imaginibus Chriſti, Petri & Pauli, 27.b. contra imagines, 30.b. de ſigno & ſignato, 40.a. oratio eius pro liberatione ab hoſtibus obſidentibus vrbem, 55.a. contra indulgentias, 59.b. de ſatisfactione, 61.a. 64.a. 66.a.b. de publica pœnitentia, 63. 64.a. liber eius de dogmatibus Eccleſiaſticis, 64.a.b. de ieiunio, 103.b. 104.a.b. 105.a. 117.b. 112.a. 122.b. ſermones eius ſuppoſititij, 107.b. 137.a.b. 143.a. de temperantia, 109.b. contra delectum ciborum, 110.b. de ieiunio Sabbati, 123.a. de ſuffocato & ſanguine, 133.a. de Manichæorum abſtinentia & ieiunio, 133 b. de veritate non niſi è Scripturis requirenda, 134.b. de Iouiniano, 138.b. querela eius & moderatio in reprehendendo ea quæ inualuerant, 140.a. definitiones eius de cõtrouerſiis circa ieiunium, 140.a. 141. 142. 143. 144. de die Dominico, 151.b. de celebratione cœnæ Dominicæ, 151.a. de Paſchate, 152.b. de feſto Aſcenſionis, 153.a. de cauſis dierum feſtorum, 153.b. de feſtis Martyrum,* 154.a


## B.


*Baſilius de Martyrum patrocinio, 10.a. de gratia Dei apud reliquias olim quæſita, 10.a. 11.b. de imaginibus, 28.a. 29.b ſuppoſititia eius ſententia, 39.a. dicta eius de inuocatione Chriſti deprauata, 39.a.b. de publica pœnitentia, 61.a. de pœnis pœnitentialibus, 67.a. de ieiunio, 103.b. 104.a. nimius laudator ieiunij, 106.a. 136.a propagator fuit monaſtices, 135.b. leges ieiunij propoſuit, 135.b. de natali Chriſti, 154.a. de feſtis Martyrum, ibid. de conuentibus ſacris,* 157.a

*Bedæ pœnitentiale,* 69.a

*Bernhardus de peregrinationibus, 11.a. oratio eius, vt hic caſtigetur à Deo, 56.b. nihil habet de indulgentiis, 60.a. contra eas docuit, 60.b. de ieiunio,* 105.a *nimius eius commendator, 107.b. de meritis ieiunij,* 148.b

*Brentius de ieiunio,* 116.b


## C.


*Chryſoſtomi viui & mortui miracula, 8.b. cupiuit viſere monumentum Petri & Pauli, 9.a. de peregrinationibus, 10.b. de imaginibus, 31.a. de cruce Chriſti, 44.a. contra indulgentias, 60.b. de benedictione Menſæ, 101. de ieiunio, 103.b. nimius laudator ieiunij, 106.b. quomodo ſe in certamine de ieiunio contra Epiphanium & Theophilum geſſerit, 143.b. 144.a. de natali Chriſti, 154.a. de feſtis Martyrum, ibid. de pietate feſtis non alliganda,* 156.a

*Clemens Alexandrinus de Diis gentium, 15.b. de ſtatuis & imaginibus gentium, 15.a. de cultu ſtatuarum, ibi. de Deo non effigiando, 24.a. de adoleſcente quem Iohannes à latronibus reduxit, 61.b. 102 b. de benedictione menſæ, 101.b. de ieiunio quartæ & ſextæ feriæ, 125.a. de Tatianis, 128.a. Clemens Romanus de imaginibus, 24.a. octo libri de conſtitutionibus Apoſtolicis, nomine illius editi, 121.b. multa ſcripta adulterina nomine eius ſparſa, 122.a. Cyprianus de ſequendo non facta hominum, ſed præcepta Chriſti, 6.a. de die quo martyres obierunt annotando, 7.a. de ſatisfactione, 61.b. 67.a. 70.a. de pænitentia publica, 64.a. 66.b. de traditionibus hominum non curandis, 102.a. de vſu ieiunij, 102.b. 105.b. de inquirendis fontibus in diſputationibus, 154.b. de feſtis Martyrum,* 154 a

*Cyrillus de cultu mortuorum, 4.b. 5.a. de Panegyribus ad ſepulchra mortuorum, 6.b. de oſsibus Sanctorum, 7.b. de ſepultura in templis, 8.a. de inuocatione ad ſepulchra Martyrum, 9.a. 13.a. de reliquiis non circumgeſtandis, 11.a. de ſigno crucis, 29.a. 30.b. teſtimoniis eius abuſa eſt ſeptima Synodus ad ſtabiliendum cultum imaginum 34.b. 35.a. de vero ieiunio, 105.a. 145.b. 146.a. de die dominico.* 151.b


## D.


*Damaſcenus cultum idolorum defendit, 26.a. de imagine Chriſti, 26.b. vt Iconolatra damnatus, 33.a. cum manu truncatus fuiſſet ob defenſum cultum imaginum, adoratione imaginis Mariæ fuiſſe reſtitutum, 40.b. de Aerio,* 137.a


## E.


*Epiphanius de cultu mortuorum, 4.b. de reliquiis Ieremiæ, 9.b. de diis gentium, 15.b. de cultu idolorum, 16.b. de Tharach, 10.b. contra imagines, 30.a. de ieiunio,* 104.b. 106.b. 122.a. 128.b. 130.b *de traditionibus Apoſtolicis, 122.a. de conuentibus Eccleſiaſticis & ritibus eorum, 135.b. de abſtinentia à carnibus, 127.b. de Montano & Montaniſtarum ieiunio, 128.a.b. 130.b. 136.a. propagator monaſtices fuit, 135.b. monaſterium extruxit, 136.a. leges ieiunij tulit, ibidem. de natiuitate & baptiſmo Chriſti,* 154.a

*Euſebius de corporibus martyrum abiectis, 6.a de ſepultura honorifica martyrũ, 7.a. locum ſepulturæ vocat* κοιμητήριον*, 7.a. de monumento Petri & Pauli, 7.a. de throno Iacobi, 9.b. de profectione Hieroſolymitana,* 10.b. de

10.b.de inuocatione ad ſepulchra Sanctorum, 12.b. de gentibus idola non ferentibus, 15.b. de Diis gentium, 15.b.16.a.b. de conſecratione ſtatuarum, 16.a. de anathematum honore, 16.a. de Abgari Regis legatione ad Chriſtum, 26.b. de politico imaginum vſu, 27.a.b.de publica pœnitentia, 61.b.de adoleſcente quē Iohannes à latronibus reduxit, 61.b.103.a.de communione ijs etiam data qui ſatisfactiones nondum abſoluiſſent, 66.a.de pœnis pœnitentiariis, 67.b.de mitigatione earum, 69.b. de Alcibiadis nimia abſtinentia, 126.b.de Montano, 128.a. de die Dominica, 35.b. de conuentuum ſacrorum diebus, 151.b.de paſchate, 152.a.de feſtis martyrum, 154.a

F.

Fulgentius de imaginibus, 43.a

G.

Gerſonis querela de ſuperſtitionibus in Chriſtianiſmo, 46.a.fundamenta eius contra indulgentias, 81.b

Gregorius Magnus de imaginibus quod ſint libri Laicorum, 31.a.43.b.prohibet tamen adorationem & cultum imaginum, 31.32.a.39.b. Indulgentiæ eius fabuloſæ, 60.a.b.71.b

Gregorius Nyſſenus de peregrinationibus, 10.b. 60.b. de picturis & imaginibus in templis, 29.a

H.

Hieronymus de reliquiis Sanctorum, 2.b. de cultu mortuorum, 4.b.de Caianis, 7.a. de oſsibus Samuelis, 8.b. de Euchariſtia ad ſepulchra ſanctorum habita, 9.a. de circumgeſtatione reliquiarum, 10.a.de adoratione reliquiarum, 11.a.tuetur ſuperſtitiones muliercularum, 11.b.de cultu idolorum, 16.b.tranſtulit epiſtolā quandam Epiphanij, 30.a. de adoratione cui ea debeatur, 39.b.de imaginibus, 43.b.de ieiunio, 91.a.103.b.148.b. 149.a.b.153.a. de Euangelio Iohannis, 103.a. de Adami ieiunio, 103.b.de temperantia, 109.b. de ſuo ieiunio, 114.a.de Sacerdotibus Aegyptiis, 119.b. de Magis Perſarum, ibid.de Eſſæis, 120.a.de libertate ieiunij, 123.a. deHermæ libris, 123.a.de Tertulliano & Montaniſtis, 128.b.de Iouiniano, 138.a.de Pentecoſte, 153.a.de cauſis dierum feſtorum, 153.b.de feſtis Martyrum, 154.a. de conuentibus ſacris, 157.a

Hilarius de intelligentia dictorum ex cauſis dicendi ſumenda, 117.a

I.

Ignatij epiſtola ad Philippenſes & alia, 124.a. ad Heronem, 126.a.de ieiunio & cibis, 126.a.de die Dominica, 151.b

Ioſephus de Iudæis imagines nullas tolerantibus, 22.b

Irenæus de cœna Domini, 2.a.de ſpretis martyribus, 6.a. de pœnitentia cuiuſdam conuerſi, 62.b.de vſu ieiunij, 103.a.libros Hermæ legit, 123.b. de ieiunio quadrageſimali, 125.a.de ieiunij Paſchalis diuerſitate, 125.a

Iuſtini quæſtiones non eſſe ab ipſo ſcriptas, 10.a. de ritu baptiſmi & ieiunio, 103.a. de exercitiis Chriſtianorum in die Dominica & feſtis ſuis, 152.a

L.

Lactantius de cultu idolorum, 16.b. de imaginibus, 25.a. 43.b. de politico vſu imaginum, 28.a. de miraculis in Ethniciſmo, 40.a

Leo de ieiunio, 104.a.147.b

Lutherus de imaginibus quid ſenſerit & docuerit, 13.b. 22.b. qua cauſa & quo fructu indulgentias oppugnauerit, 50.a.de poteſtate indulgentiarum, 55.b.menſarios de templo Domini eiecit, 61.a. indulgentiarum expugnator, 84.a. quid de ieiuniis egerit aut reformarit, 116.b

N.

Nazianzenus de natali Chriſti, 158.b. de feſtis Martyrum, 154.a

Nicephorus de miraculis mortuorum, 8.b. de Imagine Chriſti, 26.b.de templo Mariæ, 26.b. de ſtatua Chriſti, 29.b.de adoratione imaginum, 28.b

O.

Origenes de corporibus mortuorum ſepeliendis, 6.b. de imaginibus, 24.b.43.a.de politicis imaginibus, 28.a. de publica pœnitentia, 67.a.de diſcrimine pœnitentiæ ſecundū peccata, 64.b.de libertate ieiunij, 123.a.132.b.libros Hermæ legit, 123.b.de ieiunio quartæ & ſextæ feriæ, 125.de ieiunio quadrageſimali, 125.a. de feſtis, 155.b

P.

Philippus Melanthon de diſciplina collapſa, 116.b

Proſper de temperantia, 109.b. 146.b. de feſtis diebus, 156.b

Prudentius de cura mortuorum, 5.b. de ſtatuis ſuper aras poſitis, 17.a.de Caſsiano Martyre, 29.b

R.

Rupertus Tuicenſis nihil habet de indulgentiis, 60.a

S.

Sozomenus de cultu idolorum, 16.a. 28.b. de publica pœnitentia, 61.a.b.62.b.de Eſſæis, 120.b.de Euſtachio, 133.b.de Spiridione, 134.b.de conuentibus ſacris, 151.b. de Paſchate, 152.a

T.

Tertullianus de monumento Petri & Pauli, 7.a. quod primum quodq; ſit verum, 134.b. de pictura in calice, 26.28.a.de exomologeſi in publica pœnitentia, 62.65. 66.b.nimia diſciplinæ Eccleſiaſticæ commendatio, 65.b.de vſu ieiunij, 103.a.124.b.de Adami ieiunio, 193.b. de Hermæ libris, 123.b.de Montano & ieiunio Montaniſtarum, 128.b.de die dominica, 151.a. de Pentecoſte, 153.a.de ſacris conuentibus, 157.a.de gentilium ſolennibus ſacris, 157.a

Theodoretus de reliquiis ſanctorum de Montano, 129.a. exempla ſingularis abſtinentiæ, 146.a. Sententia eius de ieiunio, 146.a

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVR-
TI AD MOENVM APVD IOHANNEM
FEYRABEND, IMPENSIS HÆRE-
dum Sigiſmundi Feyrabendij.




M. D. XCVI.

29.10.63 Lip

EXAMEN COR
[illegible]

× 106a ×

5

4107 B
1963